MATTHIAE BERNEGGERI

DIATRIBÆ

IN C. SVETONII TRANQVILLI C. JUL. CAESAREM, AUGUSTI QVAEDAM, ET TITUM VESPASIANUM.

EX AUCTORIS ADNOTATIONIBUS PASSIM AUCTAE ET EMENDATAE.

ARGENTORATI,

TYPIS BERNEGGERIANIS

Anno Christiano MDCLIV.

CICERO PRO M. COELIO.

Studia in adoleſcentiâ, tanquam in herbis, ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ.

Viro Nobilißimo,

DANIELI ETZINGERO,

S. P. D.

ET egregia tua Virtus, & literata Nobilitas, & exploratissima cùm in Cæsareis tum aliis obeundis muneribus Prudentia, jam inde à puero, Tibi me summam ad observantiam: ista verò beneficia, quæ parenti meo τῷ μακαρίτῃ quæ optimæ matri, quæ mihi cæterisque meis, plurima maximáque præstitisti, & adhuc præstas quotidiè, perpetuam ad animi gratitudinem obstrinxêre. Cujus & observantiæ, & animi grati publicum aliquod monumentum, ad aram Memoriæ suspendere, dudum officii mei fuerat, adeoque dudum statueram: nisi quod ob subnatas ex die in diem occupationes varias aliquid Te tali viro dignum elaborare non vacavit hactenus. Ne tamen id officium ultra differentem, fortè

fatum,

Digitized by Google

fatum, ut sunt res mortalium. intercipiat; placuit hoc tenue Suetonianarum diatribarum munusculum, quod inter Academicos labores ordinarios mihi natum est, offerre. In quo suscipiendo facies, uti spero rogoque, quod benigni creditores solent, ut hac quasi particula soluti debiti sinas tantisper Te sustentari, dum liceat, aliquo meliore meorum studiorum proventu sortem ipsam cum usuris dependere. Vale, Vir amplissime, meum meorumq; præsidium unicum, patriæ meæ clarissimum ornamentum. Argentorati', die 20. Januarii, anno, quem Tibi tuisque faustissimum opto fluere, M. DC. XXIV.

T. N. & Amp.

omni officio ac fide,

MATTHIAS BERNEGGERUS,
Halstadio-Austrius.

C. SUETONII
TRANQUILLI
DE XII. CAESARIBUS
LIBER I.

a) *Emendatissimi & candidissimi scriptorũ, eulogio Flavii Vopisci in Firmo, c. 1. Natalem eius incidere in principia Vespasiani, non longè certè abesse, colligitur ex eo, quod in extremo Nerone scribit ipse*, post annos à Neronis interitu viginti, adolescentem se, Parthos à Pseudo-Nerone concitatos. *Patrem habuit Suetonium Lenem, Imp. Othonis angusticlavium, & qui bello ad Bebriacum interfuerit tertiæ decimæ legionis tribunum. Accredamus hoc ipsi Suetonio, Othon. cap. 10. Quamvis eo loco membrana veteres non* Lenem, *sed* Lætum, *nostri patrem appellant. Sed & ipse, tribunus militum fuit. Plin. lib. 3. epist. 8. & Adriani Principis epistolarum aliquandiu magister. Spartian. in Adriani vitâ, cap. 11. Causarum in foro patronus. Plin. 1 epist. 8. Maritus infelix, hoc est, unus quod damnum, jus trium liberorum, à Trajano ipsi concessum, pensavit. Idem 10. epist. 99. & 100. Cæterqui vir eruditissimus, honestissimus, iisque nominibus in contubernium assumptus à Plinio. Idem 10. ep 99. Nisi quod hanc morum purpuram nonnihil deturpat attexta lacinia, quòd apud Sabinam Adriani Principis uxorem, ejus injussu, se familiarius egerat, quàm reverentia domus aulicæ postularet: si modò id verè prodidit Spartianus, in Adr. vitâ. cap. 11.*

b) *Nam & plures alios scripsit libros, quos omnes extare, pluris interesset Reipub. literariæ, quam multos, quibus æquo animo careremus, si illis potiremur. Scalig. animadvers. in Euseb. numero M.DCCCCLX. A Suida in τραγυλλος hi referuntur:* de Græcorum lusibus: de Romanorum spectaculis ac certaminibus: *quos libros innuere videtur Tertullianus libro de spectaculis cap. 5. f.* de anno Romano: de librorum signis: de Repub. Ciceronis: de vestium generibus: de vocibus ominosis: de Roma & ejus institutis moribusque: de stemmatibus illustrium Romanorum: *denique (qui tam nobis in manibus)* de XII Cæsaribus *libri octo: qui cum fragmentis ac tabulis quibusdam operis* de Grammaticis, de Rhetoribus, de Poëtis, *uni è vetustatis naufragio ad avi nostri portum superstites appulerunt. Citant & alii alios: & Ausonius epist. 19. tres* de regibus *libros, à Paulino, qui familiaris D. Augustino fuit, in compendium redactos: & Priscianus lib. 6. librum* de institutione officiorum, *stemque lib. 8. libros* Prætorum: *& Servius in Eclog. 3. Virgil.* de vitiis corporalibus: *& Sosipater Carisius lib. 2.* de rebus variis: *& Agellius lib. 9. cap. 8.* ludicræ historiæ libros, *qui tamen iidem forsan cum* de ludibus Græcorum, *quem à Suida nominari diximus. Horum omnium editionem, ex Plinio lib. 5. epist. cap. 11. colligere est, quàm non præcipitaverit autor. & merito.* Magnum *enim* est, dare aliquid in manus hominum: nec persuadere mihi possum, non & cum multis, & sæpè retractandum, quod placere & semper, & omnibus, cupias, *inquit iterum Plinius fine epist. 17. libri 7.*

Digitized by Google

c) *Etsi justus Rycquius, comment. de Capitol. Rom. cap. 39. hanc operis Suetoniani partitionem in libros, recentiorum Criticorum inventum esse putat: tamen & scripti codices meliores omnes & editiones antiquissimæ, inter easque quam ante hos centum annos vicini nostri Selestadienses procurârunt, non habent aliter, nisi quòd illi singulis libris singulas vitas includunt: atque ita libros 12. faciunt: Casaubonus autem è πάνυ, Suidæ monitu, quis librum octo constare dicit hoc opus, id ita partitus est, ut primùm quidem sex Cæsaribus, singulis singulos libros tribueret: è ceteris autem Galbæ Othoni Vitellio, solstitialibus Imperatoribus, septimum; Vespasiano, Tito, Domitiano (tribus quippe Flaviis) octavum assignaret. Quam partitionem adfirmat Theod. Marcilius, notis in Titum, à princ.*

DIVUS JULIVS CÆSAR.

CAPVT I.

[a] Julius [b] Cæsar [c] Divus, [d] annum agens sextumdecimum, [e] patrem amisit: [f] sequentibúsque Consulibus [g] flamen Dialis destinatus, dimissâ Cossutiâ, quæ, familiâ equestri, sed admodum dives, [h] prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnæ quater Consulis filiam duxit uxorem: ex qua illi mox Julia nata est: neque ut repudiaret compelli à Dictatore Sullâ ullo modo potuit. Quare & sacerdotio, & uxoris dote, & gentilitiis hæreditatibus [i] multatus, [k] diversarum partium habebatur; ut etiam discedere è medio, & quanquam morbo quartanæ aggravante, propè per singulas noctes commutare latebras cogeretur, séque ab [l] inquisitoribus pecuniâ redimere: donec per [m] Virgines Vestales perque Mamercum Aemilium & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos, veniam impetravit. Satis constat, Sullam, cùm deprecantibus amicissimis & ornatissimis viris alquandiu denegâsset, atque illi pertinaciter contenderent, [n] expugnatum tandem proclamasse (° sive divinitus, sive aliqua conjectura) *Vincerent, ac sibi haberent: dummodo scirent, eum, quem incolumem* [p] *tanto opere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum. nam Cæsari* [q] *multos Marios inesse.*

1.

2.

3.

Acepha-

Acephalum seu principio defectum hunc esse librum, post Ludov. Vivem, ævi proximi summus ille Criticus, Adrianus Turnebus, adversar. lib. 42. cap. 14. sibi aliisque persuasit ex eo præcipue, cum de natalibus & gente Cæsaris, in ejus successoribus ab ovo deductam commemorationem, hîc omissam videamus. Sed quia neque Plutarchus, in multis nostrum secutus, aliter vitam Cæsaris orditur: neq; vetusti bonæ notæ codices mutilatum initium arguunt: & verò fieri potuit, ut vel in libro de stemmatibus illustrium Romanorum, autor; vel Cæsar ipse, in parte aliqua ædis, quam Veneri Genetrici dedicavit, pro more descriptum stemma Iulium publicârit, non hîc otiosè repetendum: proinde Casaubono diversum à Turnebo sentienti facilè consentimus. Quanquam & illud negamus, penitus nihil hîc, quod ad prosapiam Cæsaris, attingi. Nam libri caput sextum aliter esse docet.

a) *Vt* Julius *gentis, ita* Cæsar *familiæ: illud nostri nomen, hoc cognomen est. Virgilius lib. 1. Æn. sub personâ Iovis ad Venerem:*

Nascetur pulchrâ Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

Iuliæ porrò gentis, & familiarum, in quas ea scissa fuit, originem altius repetunt, qui hæc talia ex professo scrutati, Richard. Streinnius B. in stemmatib. gent. Romanar & quos ille sequitur, Ful. Vrsinus ac Anton. Augustinus de familiis Rom. Henningius in theatro genealog. tom. 4. pag. 851. & seqq. Ludov. Vives additis Suetonio in vitâ Cæs. emendatis pòst à Lævino Torrentio: ex quibus ea petantur. Sufficiat nobis adduxisse verba Taciti lib. 4. Annal. cap. 9. Origo Juliæ gentis Æneas. *Itemque Vell. Paterculi lib. 2. hist. cap. 41.* nobilissima Juliorum familia, & quod inter omnes constat, antiquissima, ab Anchise ac Venere deducitur.

b) *Veritati consentaneum est, quod Plinius, 7. c. 9. scribit, primum Cæsarum* à cæso matris utero *dictum: quomodo nati,* Cæsones *etiam appellantur. Minus probabiliter alij* à cæsarie, *à* cæsiis oculis, *ab* occiso in pugnâ elephanto, *qui Maurorum linguâ Cæsar appelletur derivant: quos postremos egregiè refutat. Carol. Sigonius in libro de nominib. Romanor. cap. 5.*

c) *Hoc est, inter deos relatus, more Romano, de quo prolixè Ioan. Rosinus Antiq. Rom. lib. 3. cap. 18. ibique Th. Dempsterus in paralipom. Ioh. Kirchmannus lib. 4. de funerib. Rom. cap. 13. Brisson de V. S. in Divus.*

d) *Natus Cæsar 4. Id. Quintil. (12. Iul.) anno V. C. 653. C. Mario VI. & L. Valerio Flacco. Coss. Igitur annus ætatis ejus 16. incidit in Coss. L. Cornelium Cinnam IV. Cn. Papyrium Carbonem II.*

Digitized by Google

e) *C. Iulium Cæsarem Prætorem. de quo* repente nullis evidentibus causis, dum manè calceatur, Pisis exanimato, *Plinius lib. 7. initio capitis 53.*

f) *Hoc est, sequenti anno, ætatis decimo septimo. Nec aliter Cicero orat. 2. Rull. post pr.* superioribus Coss. *h.e superioribus annis. Nam anni apud Rom. à Consulibus, qui magistratus annuus est, numerati. Hinc in panegyr. Pacatus:* Consul creatur: habiturus est nomen annus. *Et Lucanus:* —— annos à Consule nomen habentes.

g) *De hoc Sacerdotio enucleatè Alex. Genial. dier. lib. 6. c. 12. & ibi Tiraquellus. Non est nostro contrarius Tacitus lib. 3. Annal. cap. 58. ubi scribit,* 72. annis post Cornelii Mærulæ cædem (*hoc est, anno ab V. C. 668.*) Flaminem Dialem neminem esse suffectum. *Cæsarem enim tantummodò destinatum ait autor, & à Sullâ eodem sacerdotio mox multatum: non dicit inivisse aut gessisse. Hanc conciliationem hausimus ex Lips. not. 132. ad Tacit. 3. Annal. & not. 94. ad l. 2. Vell. Paterc. quæ si vera est, ut est nostro judicio verissima, propè est ut statuamus præter meritum hoc loco accusatum erroris à Casaub. Plutarchum.*

h) *Puero Cæsari. De prætextæ origine & usu videatur omninò Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 6.*

i) *Lege Cornelia de proscriptione, quæ proscriptorum liberos & bonis patriis privavit, & ab honoribus petendis repulit. Casaub. h. l.*

k) *Marianarum scilicet, ob affinitatis necessitudinem, quæ inter alia validum partium vinculum, vt magnus ille Reip. Criticæ Consul Ian. Gruterus pluribus deduxit ad illa Liviana, 24. cap. 41.* Castulo Urbs Hispaniæ, adeò conjuncta societate Pœnis, ut uxor inde Annibali esset. *Educatus enim Cæsar apud Aureliam matrem, C. Cottæ filiam, & Iuliam amitam, Marij conjugem. Vnde illi, patricio, amor plebejæ factionis, quæ Mariana dicta, & odium Sullanæ, quæ ab optimatibus erat.*

l) *è quibus Cornelium Phagitam, Sullæ libertum, nominat autor infra cap. 74.* à quo Cæsarem redemisse se duobus talentis, *scribit Plut. in Cæs.*

m) *Quarum summam in deprecando Romæ fuisse autoritatem, præter alios autor & hoc exemplo, & in Tib. c. 2. Vitell. c. 16. demonstrat. Vnde Cicero in dissuasione legis agrariæ:* si quid deliquero, nullæ sunt Virgines, quæ me à vobis deprecentur. *Idem cum pro Fonteio causam diceret, sororis ejus Vestalis intercessione usus;* superbum sit, *inquit,* ejus obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possent. *Adde Tacit. 3. Hist. 51. & plures.*

n) *Exoratum. Sic infrà Tib. c. 21.* expugnatus precibus uxoris. *Huic respondet mox sequens verbum* Vincere, *iratis, in hac quidem notione, familiare, ut*

re, ut ait Donatus. Græcos quoque suis illis πολιορκεῖν *&* νικᾶν *similiter uti, exemplis docet h. l. Casaub.*

o) *Nam hæc duo divinandi genera sunt, unum, naturale, quod raptu animi & divino quodam instinctu constat: alterum artificiosum, ex conjecturâ, vel observatione diuturnâ. De utroq; Cicero lib. 1. & 2. de divinat.*

p) *Vulgò contrahunt*, tantoperè. *Sed separant manusc. teste Cas. h. l. Quomodo Plaut. Casin.* Id expetivisse opere tam magno senem. *Et Licin. Macer apud Priscian. lib. 6.* non minimo opere milites quietes volebant.

q) *Hoc est, multa consilia & studia optimatibus inimica, qualia in Mario, populari factioni addicto, fuere. Sic Lucan.* 8, 285. Multusque in pectore vano est Annibal. *Ovid.* Et multos illic Hectoras esse puta. *h. e. viros fortes. Philostratus in Apollonio.* Pharaote plenus ad venisti.

CAPUT II.

1. Stipendia prima in Asi fecit, M. Thermi prætoris [a] contubernio: à quo ad arcessendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore [b] prostratæ Regi pudicitiæ: quem rumorem auxit, intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per caussam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. 2. Reliqua militia, secundiore fama fuit: & à Thermo in [c] expugnatione Mitylenarum [d] corona civica donatus est.

a) *Hoc est. convictu, idque ex more & disciplina Romana, qua inter comites imperatoris ac magistratuum erant honestiores multi, imo Senatorum filij, & tale nobiliorum genus, qui amicitæ caussa, aut militiæ sponte eos secuti. Hi è contubernio Prætoris, aut contubernales ejus dicebantur, quoniam eadem cum ipso pedatura tendebant. Et sane utilitas hic clara, quod juventus caste modesteq; agebat, sub oculis & in latere Ducis: quod sermonibus militaribus, & interdum consiliis intererat: deniq; duces agere, ut Plinius admonet*, parendo discebat. *Hæc excerpsimus è Lipsio, lib. 5. de mil. Rom. dial. 2. p. 217. Cui addendus Car. Sigonius lib. 2. de antiq. jure provinc. cap. 2. in fin. itemq; Sc. Amiratus dissert. in Tacit. lib. 2. disc. 10.*

b) *Sermo hic de non nominanda fœditate, cujus meminit D. Paulus ad Rom. 1. v. 27. & ea tamen id temporis, quo* corrumpere & corrumpi, seculum vocabatur (*Tacit Germ. c. 19.*) *nimis quam usitata. Nimirum* nihil in uno judicatur notabile aut fœdum, quod genti suæ publicum est, *inquit Seneca 3.*

de irâ 26. Pudorem rei tollit multitudo peccantium: & desinit esse probri loco commune maledictum. delictorum evanescit pudor, postquam res latiùs evagata est. *Idem 3. de Benef. 16.*

c) *Mitylenarum expugnationem narrat Livius epit. 89. in fin.*

d) *De qua libet adscribere verba Plinij, 16. cap. 4.* Civica corona, militum virtutis insigne clarissimum, iligna primò fuit: postea magis placuit ex esculo, Iovi sacra. Variatúmque & cum quercu est, ac data ubique, quæ fuerat, custodito tantum honore glandis. Additæ leges arctæ, & ideò superbæ: civem servare, hostem occidere: utque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die: utque servatus fateatur: aliâs testes nihil prosunt. Acceptâ licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgi etiam ab Senatu, in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi patrique, & avo paterno. *Hæc ille, quem locum enarrat, omnémq; civicarum rationem exponit egregiè Carol. Paschalius lib. 7. Coron. cap. 8. & seqq.*

CAPUT III.

a Meruit & sub b Servilio Isaurico in Cilicia, sed brevi 1.
tempore. Nam Sullæ c morte comperta, simul spe novæ 2.
d dissensionis, quæ per e M. Lepidum movebatur, Romam
properè rediit. Et Lepidi quidem societate, quamquam ma- 3.
gnis conditionibus invitaretur, abstinuit: cùm f ingenio ejus diffisus, tum g occasioni, quam minorem opinione offenderat.

a) *Stipendia scilicet, militavit.*

b) *Ammian. Marcellin. 14. c. 25.* Hæ duæ provinciæ (*Isaurica & Cilicia*) bello quondam piratico catervis mixtæ prædonum, à Servilio Proconsule missæ sub jugum, factæ sunt vectigales. *Adde Strab. geogr. lib. 14. pag. 457, 49. Paul. Diacon. hist. miscell. 6. cap. 3.*

c) *Quippe* magnis conatibus opportuni sunt transitus rerum, *inquit, Tacitus 1. Hist. 21.*

d) *Talibus ingeniis & præcipuis omniáq; vasta cupientibus, quale Cæsari erat,* compositis rebus nulla spes: omne in turbido consilium, *ut ait idem autor eodem in loco. Nam juxta Aristoph. in Equit.* Anguillis tunc captura.

e) *Is inuito Sullâ, suffragante Pompejo, consulatum adeptus, cùm acta Sullæ jam defuncti rescindere tentaret, excitato bello, à Q. Catulo collegâ ex Italiâ pellitur. Eâ de re Plutarch. Appian. Florus, alij.*

f) *Socordi,*

f) *Socordiæ minimèq; circumspecto, proinde ad molitiones rerum novarum inepto.*

g) Ὁ καιρὸς τῶν πραγμάτων ψυχή: occasio anima actionum est. *Pachymer. l.3.c.18. in fin.* Ὁ καιρὸς ἐν πᾶσι μεγάλην ἔχει μοῖραν πρὸς τὰς ὑποθέσεις: plurimum valet ad perficienda quæ animo destinaveris, Occasio. *Polybius lib.10.*

CAPUT IV.

Cæterum compositâ [a] seditione civili, Cornelium Do-
1. labellam, [b] consularem & triumphalem virum, repetundarum postulavit: absolutoque, Rhodum secedere statuit, & ad declinandam invidiam, & ut per otium ac requiem Apollonio [c] Molonis, clarissimo tunc dicendi magistro, operam da-
2. ret. Huc dum hybernis jam mensibus traijcit, circa Pharmacusam [d] insulam à prædonibus captus est: mansitque apud eos non sine summa [e] indignatione prope qradraginta dies, cum uno [f] medico, & cubicuariis duobus. Nam comites servosq; cæteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus
3. redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde [g] quinquaginta talentis, expositus in littore, non distulit, quin è vestigio classe [h] deducta persequeretur abeuntes: ac redactos in potestatem, [i] supplicio, quod illis sæpe minatus inter jocum fuerat, affice-
4. ret. Vastante regiones poximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quò pertenderat, transiit in Asiam: [k] auxiliisque contractis, & præfecto [l] Regis [m] provincia expulso, [n] nutantes ac dubias civiates retinuit in fide.

a) *Quam Romæ Lepidus adversus collegam Catulum excitaverat, ut modo dictum.*

b) *Hoc est, qui & consul fuerat, & triumphum egerat. Quanto magis est mirandum, Cæsarem, 21. annorum tum adolescentem (ea enim ætate tum fuisse affirmat autor dialogi de oratoribus, sive Tacitus, seu Quintilianus is est, cap. 34.) repetundarum quas provincialibus eripuit pecuniarum arcessere ausum. Sed nimirum ejus ævi more fecit, quo se tali forensis militiæ rudimento ad majora parabant adolescentes: id quod & dialogo quem diximus, & apud Quintilianum, lib. 12.*

lib.12.c.6. aliis item exemplis comprobatur: ubi hæc adiecta ratio: crediti sunt clari juvenes obsidem Reipub. dare malorum civium accusationem: quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiduciâ bonæ mentis, videbantur.

c) *scil filio, more Græco: ut Thucydides Olori, Pausanias Pleistoanactis, Agis Archidami &c. Sic enim legendum esse, non autem ut alij*, Apollonio Moloni, *jam pridem ex Plutarcho docuit Io. Baptista Pius annot. prior. cap. 8. Præclare vero Cæsar, quod hac ætate* se dedit erudiendum iis artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, (*Verba Livii sunt, lib. 1. c. 39.*) *è quibus artibus Eloquentiam vel præcipuam, & imperaturo maxime necessariam esse, Plutarchus ostendit in præcept. gerend. Reip. post init. eumque secutus Melch. Iunius quæstion. politic. part. 1. quæst. 19.*

d) *Ad litus Asiaticum, supra Miletum.* Hodie Parmosa *corrupte dicitur, autore Bellonio.*

e) *Sic manuscripta. Malim tamen cum Vrsino, Casaubono, Grutero,* dignatione, *hoc est, honore, quo eum prosecutos piratas, ex Plutarcho constat. Nihil enim hic indignationis: quin imo per ludum jocumq; cum piratis hoc tempus transegisse: carmina & orationes scripsisse, eaque in ipsorum cœtu recitasse, tradit idem Plutarchus. apophteg Rom. c. 42.*

f) Amico *rescribunt alij, Plutarchum secuti: sed* medico *habent omnes codices veteres, manuscripti cusiq;, à quorum consensu in medicorum gratiam non discedemus, cum præsertim ἀνύστατα non sint, medicum amicumque Cæsaris esse, quod iis visum, qui omnes tum Romæ medicinam profitentes, servos fuisse falso sunt arbitrati. Certe enim & ingenui plures erant, ij præcipue, qui ex Græcia & artis & rei faciendæ gratia Romam profecti. Tales autem fuisse magnatibus Romanis amicos, ostendunt cum alia, tum ille locus Taciti lib. 4. Annal. cap. 3.* Sumitur in conscientiam Eudemus, Amicus & medicus Liviæ, specie artis frequens secretis. *Idem lib. 6. Annal. c. 50.* Charicles medicus Tiberii Cæsaris amicus. *Adde infr. Cæs. 42. a.*

g) *Tot enim ἀνδραπόδων obtulit, illis non nisi 20. talenta postulantibus. Quod quid aliud erat, quod sociorum populi Romani fortunis insultare?* Non enim sua sed publica civitatium sociarum pecunia redemptus fuerat, *ut inquit Vell. Paterculus Hist. lib. 2. cap. 42.*

h) *Ex portu Milesiaco, teste Plutarch. in Cæs.*

i) *Meritò. Nam* latrones atque piratæ mortalium omnium hostes communes sunt, atque fœdus humani generis (*ut Florus lib. 3. loquitur*) abruperunt *Omnino perverso judicio Normanni (quod P. Æmil. lib. 3. de gestis Francor.*

Francor. ſcribit) vetuſtiſſimorum temporum opinione piraticam in laude ponebant. Quod ipſum de Priſcis Græcis memorat ſub initium libri 1. *Thucydides. Cæterum de genere ſupplicij quo hos Cæſar affecerat, autor infra cap.* 74.

k) *Quæ ſociorum proprie: cum legiones ex Romanis conſtent, ut patet ex Vegetio. lib.* 2. *de re milit. cap.* 2.

l) *Mithritatis.*

m) *Aſia minore.*

n) *Hoc eſt, ad defectionem ſpectantes, ob novum ibi orientem Solem. Sic fieri amat.* Quo ſe fortuna eodem & favor hominum inclinat, *ait Iuſtinus lib,* 5. *cap.* 1. *itemq; Plautus Sticho, act.* 4. *ſcen.* 1.

Ut cuique homini res parata eſt, firmi amici ſunt: ſi res labat,
Itidem amici collabaſunt. Res amicos invenit.

Noſtra tempora, quaſo, vide: Plautum dices oracula locutum.

CAPUT V.

1. [a] TRIBUNATU militum, qui [b] primus Romam reverſo per ſuffragia populi honor obtigit, [c] auctores reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis, cujus vim Sulla [d] diminuerat, enixiſ-
2. ſime juvit. L. etiam Cinnæ, uxoris fratri, & qui cum eo civili diſcordia Lepidum ſecuti, poſt [e] necem Conſulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem [f] rogatione Plotia confecit, habuitque & ipſe ſuper ea re [g] concionem.

a) *Quo de munere Sigonius lib.* 2. *de ant. jure provinc. c.* 2. *accuratiſſimeq; Lipſius lib.* 2. *mil. Rom. dial.* 9. *Malim hic cum Torrentio legere*, Tribunus militum, *hoc eſt, cum eſſet Tribunus militum.*

b) *Gradus enim hic ad Senatorium ordinem erat. Quod patet ex Senecæ verbis, epiſt.* 47. *ubi de Tribunis captis aut cæſis in clade Variana*: Quam multos, *inquit*, ſplendidiſſime natos, Senatorium, per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? *Sic Dionis abbreviator in Domitiano*, Julium Calvaſtrum, in ſpem Senatoriæ dignitatis, Tribunum fuiſſe *memorat. Et ſane promotio illa quæ per gradus fit, quanto ſit melior ea, quæ per ſaltum, oſtendunt Iunius quæſtion. politic. part* 1. *quæſt.* 10. *Scip. Amiratus lib.* 3. *diſc.* 3. *Piccartus obſerv. decad.* 10. *cap.* 5. *Langlæus ſemeſtr. lib.* 7. *cap.* 1.

c) *Turnebus lib.* 24. *adverſar. cap.* 14. *è quibuſdam libris* auctores *probat: nec tamen vulgatam improbat: quam cum Torrentio, Grutero, aliis, retinemus.*

d) *Lege lata scilicet*, ne quis post gestum tribunatu ullius honoris esset capax. *Ita factum, ut qui ad majora aspirarent, hunc honorem aversarentur. Appian. lib. 1. Civil. Adde Cæsar. lib. 1. de bello civ. cap. 7.*

e) *Quomodo necem? Nam* Lepidum Cos. in Sardiniam profugum morbo & pœnitentia periisse *scribit Florus in fine libri 3. νόσῳ τηκεδόνι Appianus: Plutarchus in Pomp. vita*, expirasse morbo correptum, non ob res perditas (ut autumant) sed quum esset nactus epistolium, ex quo stuprum uxoris suæ comperit. *An forte nex de tali quoq; morte? Sed aliorum autorum exempla requiro. Et manifestum invenio apud Iustinum lib. 42.* Statim à princ. post necem Mithridatis. *Nam in fine libri præcedentis, dicitur*, hunc fato decessisse. *Ita Seneca consol. ad Marciam cap. 21. fin.* fata nobis sensum nostræ necis auferunt.

f) Rogatio est (*inquit Festus*) cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnis pertineat: & de una pluribusve rebus, de quibus, non omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines resve populus scivit, Lex appellatur. Itaque inter legem & rogationem hoc interest: rogatio est genus legis quæ lex, non continuo ea rogatio est rogatio non potest non esse lex, si modo justis comitiis rogata est. *Addendus Agellius lib. 10. noct. Attic. cap. 20. Cæterum appellata* Plotia, *sive &* Plautia, *à* Ploto, *tribuno plebis, qui rogationem eam ad populum tulit.*

g) *Orationem, cujus reliquias habet Agellius lib. 13. cap. 3.*

CAPUT VI.

Quæstor Juliam [a] amitam, uxoremque Corneliam, defunctas [b] laudavit [c] more pro Rostris. Et in amitæ quidem laudatione, de ejus ac patris sui [c] utraque origine sic refert: *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum est. Nam ab [d] Anco Marcio sunt Marcii [e] Reges, quo nomine fuit mater: à [f] Venere Iulii, cujus [g] gentis familia est nostra. Est ergo in [h] genere & sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent: & cærimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges.* In Corneliæ autem locum Pompejam duxit, Q. Pompeji filiam, L. Sullæ neptem: cum qua deinde divortium fecit, [i] adulteratam opinatus â [k] P. Clodio: quem inter publicas cæremonias penetrasse ad eam mulie-

1. 2. 3. 4. 5.

muliebri veste, tam constans fama erat, ut Senatus quæstionem de pollutis sacris decreverit.

a) *Patris sororem, Marij uxorem.*

b) *Ait in Cæs. Plutarchus,* in honorem quidem magnarum natu fæminarum, orationes funebres habere, id moris fuisse Romæ: in adolescentiorum vero funeribus cum moris non esset, primum Cæsarem uxorem suam defunctam laudasse, eaque re favorem sibi plebis conciliasse. *Cæsar suam ipsam uxorem?* Vix serius dolor videri queat, cui esse disserto vacat, *ut ait Quintilianus lib. XI. inst. orat. cap. 1. post m. ubi ambitiosos illos improbat institores eloquentiæ, qui in discrimine capitis pro se ipsi dicunt. Ac nostris sane moribus, in tali officio, aliena facundia opus est. Ad excusandum tamen institutum Rom. pertinet illud Sidonij Apollonaris lib. 4. fine epistolæ* 11. animum natura desidiosissimum, dolor fletu gravidus accendit. *Nec aliter Plinius lib. epist.* 20. Ingenio vim & amaritudinem dolor addit. *Adde quod ait Ovidius* 14. *Metam.*

Talibus, atque aliis, in quæ dolor ipse disertum
Fecerat. ——

c) *Materna & paterna.*

d) *Quarto scilicet Rege Romanorum, & Numæ Pompilij ex filia nepote.*

e) *Rex, gentis Martiæ cognomen, non potestatis nomen est. Torrent. h. l.*

f) *Notum enim, quod ex concubitu Anchisæ & Veneris natus scribatur Æneas, pater Iuli, cujus Iuli nepotes sive posteri, nominati sunt Iulij.) Adde Tacit. Annal.* 4, 43, 7.

g) *Hoc interest inter gentem & familiam, quod inter totum & partem. Gens enim multas familias comprehendere potest. Vt in gente Cornelia familia est Syllarum, Scipionum, Dolobellarum &c. præterea gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. Sic noster in Neron. cap.* 1. Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorum & Ænobarborum.

Duplex hic imperandi gradus Horatio quoq; notatur lib. 3. carmin. od. 1.

Regum timendorum in proprios greges;
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Quem locum Bachananus expressit in interpretatione metrica Psalmi 82. *Sic Agapetus Diaconus in Basilicis, cap.* 68. Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ. *Libenter huc retulerim illud Plularchi, in libro ad Princ. indoctum*: Quis ergo imperabit Principi? Lex, omnium regina mortalium atque immortalium ut ait Pindarus: non ea foris scripta in Libris, aut lignis insculpta. sed viva in ipsius corde Ratio, semper una habi-

tans atque excubans & animum nunquam sinens esse principatu vacuum. *Ratio enim certe nil aliud, quam Imago Dei, ad quam sumus ab ipso conditi.* Neque verò aut per Senatum, aut per Populum, solvi hac lege quisquam potest, *ut ait Cicero 3. de Rep. citatus à Lactantio, 6. cap. 8. Quare non nisi cum exceptione admittendum illud Plinij, paneg. cap. 65.* Principi leges neminem scripsisse: *& quod facete dixit Matthesius in 39. cap. Syracida* Imperativum prima persona carere.

h) *Amita Iulia materno & paterno.*

i) *Adulterio stupratam. Sic infra, cap. 48. Et in Aug. cap. 67.* adulterare matronas, *pro*, stuprare. *Autori nostro peculiare, hoc quidem usu, verbum. Veteres eo absolute sunt usi. Vt apud Agellium, 10. cap. 23.* illate, si adulterares, digito non auderet contingere. *Sic autor infr. cap. 48.* ob aduiteratam equitis Rom. uxorem.

k) *Quem ex eo scelere* furiam muliebrium religionum *appellat Cicero 1. famil. epist. 9. m. quo loco, ut & ad Attic. 1. epist. 9. item apud Senecam epist. 97 Plutarchum in Cæs pag 711. & seq. & alios, hac de re plura.*

l) *Intelligit sacra Bonæ Deæ. Cicero in orat. de Aruspicum responsis:* Sacrificium Bonæ Deæ fit per Virgines Vestales: fit pro populo Romano: fit ab ea domo, quæ est in Imperio: fit incredibili ceremonia.

CAPUT VII.

[a] Quæstori [b] ulterior Hispania [c] obvenit: ubi cum mandatu prætoris, ure dicundo [d] conventus circumiret, Gadeisque venisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, [e] ingemuit: & quasi pertæsus ignaviam suam, quòd nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continò efflagitavit, ad captandas quam primum maiorum rerum occasiones in urbe. 1. Etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) [f] coniectores ad amplissimam spem incitaverunt, arbitrium orbis terrarum portendi [g] interpretantes: *quando mater, quam subiectam sibi vidisset, non alia esset, quam terra, quæ omnium* [h] *parens haberetur.* 2.

a) *De Quæstoribus provinciarum Carol. Sigonius lib. 2. de ant. jur. provinc. cap. 2. 3. & ex eo Rosinus lib. 7. ant. Rom. cap. 45.*

b) *Batica:*

b) *Bætica scilicet, à flumine eam mediam secante cognominata. Citerior enim, Tarraconensis est. Plin lib. 3. cap. 1.*

c) *Sortito obtigit.*

d) *Loca sunt, in quibus populi, juris dicendi causa à magistratibus juridicis congregantur. Tales conventus in Bætica, Cæsaris provincia, quatuor fuisse, videlicet Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, Hispalensem, autor est Plinius 3. cap 1.*

e) *Pectus generosum, &, ut dicam cum Poëta, Horat. 2. epist. 1. v. 59.* laudis avarum! *Quale Themistocli quoq;, quem trophæa Miltiadis dormire non sinebant: quale Theseo fuit, cui noctu in somnis gesta Herculis occurrebant, & interdiu concitabat æmulatio, stimulabatq;, edere paria agitantem. Plutarch. in Theseo, post princ Præclare Symachus lib. 10. cap. 25.* Ornamentis honorum incitatur imitatio: & virtus æmulatur exemplo honoris alieni.

f) *Significanter ac proprie sic dicti oi ὀνειροκρίται, somniorum interpretes. Nam arsilla non nisi σοχαστικὴ sive* conjecturalis *est. & proinde fallax nonnunquam, sed nostri ratione. Quod enim in se certitudinem aliquam habeant insomnia, non dubitandum putamus. Ammianus Marcellinus egregie, lib. 12. rer. gest. cap 3.* Somniorum rata fides, *inquit*, & indubitabilis foret, ni ratiocinantes conjectura fallerentur. Et quia vanities aliquoties plebeja strepit, hoc imperite mussando, si esset præsentiendi notitia quædam, cur ille se casurum in bello, vel alius hoc se passurum ignoravit aut illud? sufficit dici, quod & gramaticus locutus interdum est barbare: & absurde cecinit musicus: & ignoravit remedium medicus: & non ideo nec grammatica, nec musica, nec medicina subsistit? Vnde præclare Tullius ait (*lib 2. de nat. deor. cap. 4*) Signa ostenduntur à diis rerum futurarum. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum conjectura peccavit. *Hæc Ammianus. Plura de somniorum certitudine ex hujus argumenti libris Aristotelis, Hippocratis, Synesii, Artemidori &c. petenda. Cicer. lib 1. de divinat. longius a fine:* Male conjecta, maleque interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum insciti.

g) *Id quæ minime vane: docuit ventus. Nec aliter Artemidorus (qui hanc artem acutè, & ex ipsis fontibus naturæ tractavit, judicio Lipsii, 1. miscell epist. 42.) lib. 1. de interpret. somn. c. 81. post pr. id somnij genus interpretatur. Meurs. in Pisistrato, pag. 135.*

h) *Congruè hoc ad sacras literas; Syræid. cap. 40. v. 1.* Σύμπασαι, *Livius lib. 1. cap. 56 f.* Terra communis mater omnium mortalium. *Et lib 5 c. 54.* Hæc terra, quam matrem appellamus. *Plinius, 2. cap. 63.* Terræ uni rerum na-

rum naturæ partium, cognomen indidimus maternæ venerationis. *Lucretius lib. 2.*

Quare magna deum mater, materque ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.

CAPUT VIII.

Decedens ergo ante tempus; [a] colonias Latinas de pe- 1.
tenda civitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi Coss. conscriptas in Ciliciam legiones paullisper [b] ob idipsum retinuissent. nec eo secius majora mox in urbe molitus est.

a) *Duplex est Gallia: Cisalpina & Transalpina. Cisalpini iterum duplices: Cispadani & Transpadani. Ex his qui cis Padum, jus civitatis Romanæ sunt assecuti, post bellum Marsicum: qui trans Padum, jus Latij sive Latinitatem, eodem tempore. Sed non contenti Latinitati Transpadani, turbas sæpe moverunt, quibus Cæsar (ut est in hoc loco) rerum novarum studio fautorem instinctoremque se præbuit. Hæc fere Lipsius not. 82. ad Tacit. 11. Annal. Addit ex Dionis lib. 41. eosdem promotione Cæsaris tum Dictatoris, denique civitatem etiam, seu jus civitatis obtinuisse. Civitatem autem accipiamus, sine jure suffragij. Id enim à Claudio demum adsecutos, autor est Tacitus 11. Annal. 23. Porro notandum Romanos coloniis suis, aliis alia jura dedisse. Summum beneficium erat civitas Romana: secundo loco Latinitas: tertio jus Italia censebatur. De quibus distincte Carolus Sigonius passim in libris de antiq. jure Italiæ & provinciarum.*

b) *Quia scilicet verebantur, ne à Cæsare concitarentur Latina colonia ad aliquid novi moliendum.*

CAPUT IX.

Siquidem ante paucos dies quam ædilitatem iniret, ve- 1.
nit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla & P. Autronio, post designationem consulatus, [a] ambitus condemnatis, ut principio anni Senatum adorirentur: & trucidatis quos placitum esset, [b] dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo [c] magister equitum diceretur, constitutaque ad arbitrium Repub Sullæ & Autronio consulatus restitueretur. Meminerunt hujus conjurationis [d] Tanusius Geminus 2.
in histo-

in historia, M. Bibulus in [e] edictis, C. Curio pater in orationibus. De hac significare videtur & Cicero in quadam ad [f] Axium epistola, referens, *Cæsarem in consulatu confirmasse*
3. *regnum, de quo ædilis cogitarat.* Tanusius adjecit, Crassum, [g] pœnitentia vel metu, diem cædi destinatum non [h] obisse, & idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedisse. Convenisse autem Curio ait, ut togam de
4. humero dejiceret. Idem Curio, sed & M. Actorius Naso, autores sunt, conspirasse cum etiam cum Cn. Pisone adolescente: [i] cui ob suspicionem urbanæ conjurationis provincia Hispania ultro extra ordiem data sit: pactumque, ut simul foris ille, ipse Romæ, ad res novas consurgerent, per Lambranos & Transpadanos: destitutum utriusque consilium [k] morte Pisonis.

a) *h.e. Vetita largitionis & suffragiorum corruptela.* Vitium virtuti propius, *ut inquit Salustius Catil. c.* 11. *sed tamen vitium: ideoque legibus apud Romanos Calphurnia, Tullia, aliis (quas enumerat Carol. Sigonius lib. 2. de judiciis, cap.* 30.) *vetitum.* At hæc omnis lex, *ut inquit Modest. IC. lib.* 1. *ff. ad l. Iuliam de ambitu.* postea cessavit in vrbe: quia ad curam Principis magistratuum curatio, non ad Populi favorem pertinebat. *Sed annon apud Principes etiam pecunia & nundinatio in hac comitia venit? Ecce Seneca (mittam enim alios) 1. de Benef. 9. de suis temporibus quæritur,* nummarium tribunal, audita utrimque licitatione alteri addici. *E melioribus tamen Imp. Alexander Severus apud Lampridium, cap.* 49. Ego vero non patiar, *inquit,* mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim, illum punire hominem, qui emit & vendit, quippe quæ emeris, vendere genitum jus est, *ut ait modo indicato loco Seneca. Huic Alexandri dicto succinens Imp. Iustinianus Novella* 8. Ἀργυρολογεῖν, *inquit,* τὰς ἀρχὰς μάστιγος δεῖ πονηρίας παροιμιώδη ἢ πίστεως. *Contra hanc officiorum nundinationem iura videantur apud Aristotelem lib.* 2. *Polit. cap.* 9. (*al.* 11.) *& Bodinum lib.* 6. *de Repub. cap.* 2. *pag.* 651. *b.c. præcipue vero lib.* 5. *cap* 4. *pag.* 552. *& præc. ubi haud dubie Franciam suam perstringit, in quam Ioan. Ovvenus lib.* 1. *ad tres Mesan. epig.* 16. *hæc lusit:*

Fugitur officio rarus sine munere judex;
Cur, nisi quod sanctum munere Munus emit,

Certe

Certe Francia quod jacet, & perit, hanc habet vel inter primas causas, ita censente Lipsio in Notis ad lib. 3. Politic. cap. 10.

d) Tamulius *habet Seneca epist. 93. Nisi forte hinc corrigendus ipse Seneca Nam & Plutarch. in Cæs.* Ταμύσιον *habet. Scriptor ignobilis, & cujus annales dicti, quod illi Catulliani Annales Volusi*, cacata carta. *Senec. d. epist.*

e) *Sunt illa ipsa, quæ Cicero ad Attic. lib. 2. epist. 21. vocat Archilochia edicta: ideo quia Archilochi poetæ maledicentissimi jambos acerbitate æquare possent. Plutarchus in Pompejo,* διαγεγυμνασμένος βλασφημίας ἴαμβοις καὶ κωμῳδίαις *quod notat h. l. Casaub. Horum iterum autor meminit infra, cap. 49.*

f) *Alij aliter. Firmat hanc lectionem Turnebus 24. adversar. 14.*

g) *Nimirum ob spatium temporis interpositum, pro eo ac fieri amat. Bene Nicephorus Gregoras lib. 6. hist Byzant. cap. 15.* Consilia hujusmodi, ipsa res statim sequi debet: neque quicquam aliud est omnium, quod eandem & ingenij & manus promptitudinem ardensque studium flagitet. Sin quis tempus terere velit, & militum (conjuratorum) animos suspensos atque ambiguos faciet, & debilitabit metu expectationeque incerti eventus.

h) *Adstatum diem præsto non fuisse. Vti dicimus*, obire vadimonium, obire diem auctionis, obire diem edicti, *apud Ciceronem. Sed neq; tamen* adisse, *seu* adiisse, *quod optima quædam habent membrana, vt nove dictum, est rejiciendum, judice Grutero.*

i) *Clare Salust. Catil. c. 19.* Senatus provinciam Pisoni non invitus dederat: quippe fædum hominem à Repub. procul esse volebat. *Vbi regnantium Artem observa, qua removentur homines honoris specie, alioquin eo indigni*, damit man jhrer mit gutem fug abkomm/ *& quo melius sit statui publico: Hanc artem sæpe necessariam, proindeq; honestam, faciunt. Accidit enim interdum, ut, quod apud Thucydidem lib. 3. Diodotus inquit*, nemo aperte, nisi fraude decipiat, bene mereri de Repub. queat. *Vt plurimum tamen Livor aulicus ea grassari solet. Ita Tacit. 1. Hist. 13.* Otho à Nerone in provinciam Lusitaniam, specie legationis seponitur. *quem*, exilii honorem *acute vocat seq. cap. 21. Sic idem lib. 2. Annal. cap. 42.* Tiberius amoliri Germanicum specie honoris statuit &c. *quem ad locum plura id genus exempla colligit Gruterus in illo thessallaro discursuum ad Tacitum opere, part. 2. disc. 15. Porro de Pisonis urbana conjuratione, cujus hic meminit autor, videatur omnino Sallust. Catil cap. 18.*

k) *De qua Sallust. Catil. c. 19.*

CAP. X.

CAPVT X.

1. [a] Aedilis, præter comitium ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus [b] ad tempus extructis: in quibus, abundante rerum copia, [c] pars apparatus exponeretur.
2. Venationes autem ludosque, & cum collega, & separatim, edidit: quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet: nec dissimularet collega ejus M. Bibulus, evenisse sibi quod Polluci. Ut enim Geminis fratribus ædes in Foro constituta, tantum [d] Castoris vocaretur: ita
3. suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici. Adjecit insuper Cæsar etiam [e] gladiatorium munus, sed aliquanto
4. paucioribus, quam destinaverat, [f] paribus. Nam cum multiplici undique [g] familia comparata [h] inimicos exterruisset, cautum est de [i] numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam Romæ habere liceret.

a) *Vnde natus hic sit ab Ædilibus ornandi fori mos, tradit Livius lib. 9. fine capitis 40. De ipsa vero Ædilitate ubertim Alex. Genial. dier. lib. 4. cap. 4.*

b) *Temporarius, tamdiu duraturus, donec spectacula peragerentur. Ita Plinius l. 34. c. 7.* Scaurum *ait* in ædilitate theatrum temporarium fecisse.

c) *Sic legunt Casaubonus, Torrentius, alij, & explicant, id quod forum & comitium non ceperat, Cæsarem in porticibus ad id extructis populo proposuisse. Sed Palatinorum Codicum consensus indicatus à Grutero, facit, ut præferam dudum à Iacobo Bononiensi suppeditatam lectionem*, par apparatus, *hoc est, abundanti illi rerum copiæ, multitudine & elegantia, respondens. Puto enim, apparatum hunc rerum, spectantium oculis in porticibus, expositarum, ab illa rerum copia diversum fuisse: prout etiam in modo allegato Livij loco, fori ornatus, a thensis cæteraq; triumphali pompa distiugnitur.*

d) *Vulgi quidem appellatione. Nam autores interdum aliter. Ecce Suetonius ipse, Tiber. c. 20. n. 5.* Pollucis & Castoris ædem *vocat. Cicero Verr. 5. sub fin.* templum Castoris & Pollucis, celeberrimo in loco prætorij locatum. *Plinius 10. cap. 43. & 34. cap. 6.* ædem Castorum *vocat, cum injuria tamen alterius, cum alteri tantum id nominis fuerit. Quomodo & Euripides Electra,* τὰ Κάστορε, *simul utrumq;* τῶν Διοσκούρων *appellat: & vetus interpres Actor. 28. v. 11.* navis cui insigne Castorum. *Porro quando & quare cum vota, tum dedicata fuerit ædes illa Castoris, è Livio disimus lib. 2. c. 20. f. & 42. m.*

e) *In quo, omni apparatu harenæ argenteo usus est: quod alij postea imitati.* *Testu Plinius lib 33. cap 3. n. qui idem hujusdem muneris gladiatorii meminit lib. 15. cap. 18 f. & lib. 19. cap. 1. sub fin.* Munus *autem noster hic appellat spectaculum, seu ludum, qui populo quasi muneris loco exhibetur, & quo oblectamenti genere, perinde ac munere quodam is capiebatur, ut volunt aliqui. Verior tamen originatio Tertulliani videtur in lib de spectac. cap. 12. ubi,* Munus dictum est, *inquit,* ab officio, quoniam etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur &c. Nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat; captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare, itaq; quos paraverant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum, apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo. *Unde &, qui ludos gladiatorios exhibent populo, dicti* Munerarii. *Semel hoc monuisse sufficiat. Nam dictiones ista sæpius recurrent.*

f) *Par gladiatorum Plutarchus in Cæs. & alibi vocat* ζεῦγος μονομάχων, *quod Gallice,* une couple des escrimeurs. *Cicero de opt. gen. oratorum c. 6.* gladiatorum par nobilissimum. *Quomodo eidem, Verr. 4.* scyphorum paria *sunt, quæ nos* poculum *appellamus. Hinc & proprium arenæ verbum* comparare, *hoc est, gladiatorum paria inter se committere. Adde Lipsi. lib. 2. Saturnal. cap. 19.*

Arcanum politicum hic velim iterum observes. Ambitionem Cæsaris aperte non ausi retundere ob increscentem ejus potentiam, retundunt ex obliquo. Quæ dere, ut solet, egregie Gruterus ad illud Livii, lib. 46 in epitom. à pr. Eumenes, quia Macedonico Bello se medium egerat; ne aut inimicus judicatus videretur, si excluſus esset: aut liberatus crimine, si admitteretur; in comitio lata lex est, ne cuiquam Regi Romam venire liceret. *Nimirum in Repub sæpenumero, juxta præceptum Pacuvii,*

Quum contendi nequitum est, clam tendenda est plaga.

g) *Has autor in Aug. c. 42. explicatius* Lanistarum familias, *appellat. Nimirum familia hic, tota illa gladiatorum manus, quæ sub uno Lanista. Vide omnino Lipsi. Saturnal. lib 1. cap. 15.*

h. *Sullanos. optimates.*

i) *De quo idem Lipsius, eodem libro, c. 12. & not. 141. ad Tacit. lib. 13. Annal.*

CAPUT XI.

Conciliato populi favore, tentavit per partem tribunorum, ut sibi Aegyptus [a] provincia plebiscito daretur: nactus 1.

extra-

extraordinarii imperii occasionem, quod Alexandrini [b] regem suum, socium atque amicum à Senatu appellatum, expulerant, resque vulgo improbabatur. nec obtinuit, adver-
2. sante optimatium factione. Quorum auctoritatem ut quibus posset modis invicem diminueret, [c] tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim à Sulla [d] disjecta restituit: atque in exercenda de sicariis [e] qæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant, [f] quamquam exceptos [g] Corneliis legibus.

a) *Generali notione* provinciam *accipe, pro quacunque publici muneris procuratione, qualis hic erat, reductio socii Regis in suum regnum, quam sibi extra ordinem demandari Cæsar petiit. Nec enim Ægyptus proprie dicta provincia tum erat: quod clare patet infr. cap. 35. 2. b. quippe nec vectigalis populo Rom. nec à Romanis magistratibus administrata.*

b) *Ptolemeum, Cleopatræ patrem, Auletem ex eo, quod indignissimam viro Principe choraulam exercuisset, cognominatum. De hoc & ejecto, & post complures annos per Gabinium reducto, videndi, Dio, 39. Strabo 12. Plutarchus in Catone, Cicero ad Lentulum. Existimat Adr. Turnebus, comment. in Cic. orat 2. Rull. (operum tom. 1. pag. 45. 18.) autorem nostrum hic temporis oblitum: idemq; comm. in or. 1. Rull. (pag. 12, 32.) ad Lathurum Ægypti Regem ista refert: quorum neutrum videtur.*

c) *De his accipiendus Propertius lib. 3. eleg. 9. v. 46.*

Jura dare statuas inter & arma Mari.

Recte arma. *Nam tropæorum illa moles ex armorum varia miscella construebatur, ut ex Virgil. XI. Æn. à princ. & Statio sub finem 2. Thebaidos apparet. Idemq; testantur etiamnum hodie Mariana hæc, de quibus autori sermo, tropæa de Cimbris Teutonisque lapidea, quæ à Castello Aquarum, ubi quondam constiterant, in suggestum Capitolinum Senatus Populusq; Rom. transferri nuper jussit, (teste αὐτόπτῃ Iusto Rycquio comment. de Capitol. Rom. cap. 28. f.) ut scilicet antiquorum (quæ auro fulsisse, constat ex Plutarchi Cæsare) memoriam quamquam in dissimili materia, civibus hospitibusq; renovaret.*

d) *Factum id contra vetus institutum, quo nefas erat, dedicata tropæa moveri teste Vitruvio.*

e) *Fugit hoc loco ratio* Beroaldum, *qui de βασάνῳ seu quæstione per tormenta hæc accipit.* Quærere legibus, *quod & veteres* anquirere, *dicuntur,*

qui criminum quæstiones exequuntur, quiq; quæstiones publicas exercent. Id exemplis docet in de V. S. Brissonius. Vnde qui rebus capitalibus præerant, olim quæstores *vel* quæsitores *dicti, quos Iustinianus Novell. 80. ἐρευνάδας interpretatur. Quitamen (ἐρευνάδες inquam) non sunt, quos autor supra cap. 2. vocat* Inquisitores, *ut Casaubonus eo loco sentire videtur. Inquisitor enim ibi, qui Plutarcho in extremo Demosthene συναδικῶν quod muneris etiam militibus ac libertis, ut ibidem Phagita, mandatum:* quæstionem *autem* exercere, *seu quæstioni præesse, Prætorum erat proprie. De hisdem accipio, quod autor supra cap. 6. dixit, Senatum* quæstionem *de pollutis sacris decrevisse.*

f) Quod autem legitime factum est, nullam pœnam meretur. *l. Gracchus 4. C. ad l. Iul. de adult.*

g) *Sabellicus hoc loco vagatur extra oleas,*

Quærit et in scyrpo soliti quod dicere, nodum.

Erroris ei causa, quod legem Corneliam accepit, à Cornelio tribuno plebis (pro quo Ciceronis extat oratio) latam, de iis qui legibus solvuntur. Atqui erat accipienda, à L. Cornelio Sylla Dictatore lata denominataq; lex Cornelia de sicariis & veneficiis, *qua etsi non tenebantur qui à Sylla proscriptos occidissent: nihilominus tamen eosdem ut sicarios in judicium Cæsar pertraxit, id spectans, ut optimatium, Syllanorum hominum, ipse Marianus ac plebejæ factionis, leges convelleret, autoritatemq; quovis modo minueret.*

CAPUT XII.

Subornavit etiam [a] qui C. Rabirio perduellionis diem dicerent: quo præcipuo adjutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatum senatus coërcuerat: ac sorte judex in reum ductus, tam cupide condemnavit, [b] ut ad populum provocanti, nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. 1

a) *Hoc est, qui Rabirium ob Saturninum tribunum plebis, quem ut sacrosanctum, violare nefas erat, occisum (ea perduellio est) accusaret. Extat oratio Ciceronis pro C. Rabirio perduellionis reo, qua cum Dionis libro 37. lucem huic toti loco dabit.*

b) *Ita Tacit. 2 Hist.* 10. Annio Fausto reo nihil æque proderat, quam nimia potentia accusatoris. *Exprepsit eum populi affectum Livius 42. c. 63. n. 3.* Vulgus pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris utitur, deteriori atque infirmiori favet. *Nec populi modo, sed omnium Æschylus in Supplicibus v. 497.*

Tãs

Τοῖς, ἥσσοσι γὰρ πᾶς τὶς εὐνοίας φέρει:

Inferioribus quisque fert benevolentiam.

Quod adeo verum, ut pronunciet Valerius Max. 5. cap. 3. exemp. 3. Etiam quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddunt. *Quomodo Tacitus l. 15. Annal. cap 44. n. 10.* de Christianis Neronis crudelitate sublatis: quamquam adversus sontes, *inquit*, & extrema exempla meritos (*tace impie!*) miseratio tamen oriebatur. *Quippe* Misericordia non caussam, sed fortunam spectat, *inquit Seneca 2. de Clem 5. Quod ipsum sublimiori præcipue fortunæ accommodans Cicero pro L. Manil. cap. 9.* Sic fieri solet, *inquit*, ut Regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant. *Vere, & confirmant exempla Seleuci apud Iustinum lib. 27. cap. 2. Alexandri apud Egesippum lib. 1. de excid. Hierosol. cap. 10. Marij apud Florum, 3. cap. 21. n. 16. Persei apud Val. Flaccum lib. 6. Argon. v. 74. aliorum. Et annon hodie simile quid evenire, aut eventurum certe, videtur? Inconsulte, qui vicissitudinis rerum humanarum immemores, victis superbe nimium ac pertinaciter instant.* Mars communis (*ait Cicero pro Mil. c. 22.*) sæpe spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto.

CAPUT XIII.

1. Deposita provinciæ spe, [a] Pontificatum maximum pe-
2. tlit; non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, cum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri [b] osculanti fertur, domum se nisi Pontificem
3. non reversurum. Atque ita potentissimos duos [c] competitores, multumque & ætate & dignitate antecedentes, superavit, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus tulerit.

a) *Pontificatum, aliaq; Sacerdotia, cumulum dignitatis additum fuisse Romanis proceribus, Tacitus lib. 1 histor. cap. 77. omnisq; adeo historia confirmat. Cujus instituti rationem Cicero reddit in orat. pro domo sua, ad Pontifices, à princ.* Præclare à majoribus nostris institutum est, quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipub. præesse voluerunt: ut amplissimi & clarissimi cives, Rempub. bene gerendo, religiosissimi religiones sapienter interpretando, Rempub. conservarent. *Mihi vero probum illud Synesii Cyrenensis Episcopi, epist. 67.* πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα: Civilem virtutem (*politicam administratio-*

strationem) jungere cum Sacertotio velle, est miscere omnino non miscenda. *& Nicephori Gregoræ lib. 3. histor.* οὐ γὰρ θεωρία πνευματικὴ καὶ πρᾶξις πολιτικὴ, ὡς τὰ πολλὰ συνεῖναι πεφύκασι: Spiritualis contemplatio & civilis administratio utplurimum inter se jungi non possunt. *Et egregios, profecto sacerdotes, qui non tam victimarum, quam hominum cruore madescebant, in bellis quorum Injustitia mater, soror Immanitas erant! Nec id mirum tamen in Paganis illis: permirum, atq; adeo indignum, in Christianis, in quibus Erasmus Adag. Silen. Alcib.* Episcopos aliquot reperias *inquit*, quorum solennem illam consecrationem si spectes, si novum ornatum inspicias, mitram gemmis & auro nitentem pedum item gemmeum: in summa totam illam ἐκ ποδὸς εἰς κεφαλὴν mysticam πανοπλίαν, videlicet cælestem quempiam & homine majorem virum expectes. Inverte Silenum, nihil interdum invenies nisi bellatorem, negotiatorem, denique tyrannum. *Hæc ille parrhesiasta. Mihi sane faciem horum temporum intuenti, sæpe venit in mentem illud Hispani rustici minime rusticum*: Abad y ballestero?

b) *De hujusmodi osculis officiosis (non enim Venereis) ex professo tractat egregie Lipsius Elector. lib. 2. cap. 6. cujus expilare scrinia, vel myrothecia potius, animus non est. Hoc addo, videri Germanos nos (nisi verum fateri nolimus) hac parte rusticulos, præ non Romanis modo veteribus, aliisq; paganis (nam & Persas, occurrentes sibi, se mutuo, loco salutationis, osculatos, Herodot. lib. 1. Xenoph. lib. 1. Cyripæd. prodiderunt &c.) sed & Hebræis, quibus item hoc charitatis symbolum in usu fuisse, pluribus Scripturæ locis manifestum. Nec mutarunt Christiani, salutationem facere in osculo sancto jussi præcepto Apostolico, 1. Corinth. 16. 20. 1. Thessal. 5, 25. 1. Petr. 5, 14. Cujus officij abstinentia vel subtractione agnoscebantur jejunantes. Tertullian. de oration. Etsi quid veteres dico? Vel à Gallis, à quibus & vestes, & linguam, & morum culturam hodie petimus, hanc unam humanitatis partem nondum didicimus. Quanquam habent & Gallicæ basiationes istæ promiscuæ sua sane incommoda, quæ præclari ex ea gente viri quam meis verbis exponere malo. Sic autem Michaël Montanus (Thaletem Gallicum hunc vocat Lips. miscellan. centur. 1. epist. 43.) in Gustibus, lib. 3. cap. 5. longius post med.* C'est une deplaisante coustume, & injurieuse aux dames, d' auoir à prester leurs leures, à quiconque a trois valets á sa suitte, pour mal plaisant qu'il soit,

Cujus livida naribus caninis
Dependet glacies rigetque barba:
Centum occurrere malo ..... lingis. (*Martial. 7. epigr. 94.*)

Et nous

Et nous meſme n'y gaignons guere. Car comme le monde ſe void parti, pour trois belles, il nous en faut baiſer cinquante laides: & un eſtomach tendre comme ſont ceux de mon aage, un mauuais baiſer en ſurpaye un bon.

c) *Q. Catulum Luctatium, principem Syllanæ factionis. & Servilium Iſauricum, ſub quo militaſſe Cæſarem, dictum ſupra cap. 3 De utroq; Plutarchus in Cæſare. de Catulo ita Saluſtius in hiſt. Catil. cap.* 49 Catulus, ex petitione Pontificatus, odio incenſus, quod extrema ætate, maximis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat. *Indignum id quidem, attamen crediderim, non magis ea repulſa, quam agnata quibuſdam ſenibus invidia ſtimulatum Catulum: de qua Plutarch. in præc. gerendæ Reip.* Sicut non quævis arbor patitur educitq; circumplicatam ſibi vitem, ſed quædam ſuffocant, & incrementis ejus officiunt: ita in Rebuſp. φιλόπονοι καὶ φίλαρχοι nonnulli nullas concedunt juvenibus actionum occaſiones ſed gloriam ſibi eos quaſi alimentum præripientes, invidia premunt. *Quanto melius Q. Fabius Maximus apud Livium lib. 10. cap. 13* & ſe gloriæ ſeniorum ſuccreviſſe: & ad ſuam gloriam conſurgentes alios lætum adſpicere. *Quo pertinet etiam exemplum Cerialis apud Tacitum in Agricolæ vita, cap. 8.*

CAPUT XIV.

1. [a] Prætor creatus, detecta [b] conjuratione Catilinæ, ſenatuque univerſo in ſocios facinoris [c] ultimam ſtatuente pœnam, ſolus municipatim dividendos, cuſtodiendoſque publi-
2. catis bonis, cenſuit. Quin & tantum metum injecit aſperiora ſuadentibus, idemtidem oſtentans, quanta eos in poſterum à plebe Romana maneret invidia, ut D. Silanum conſulem deſignatum non piguerit, ſententiam ſuam, quia [d] mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipſe ſenſiſſet, exceptam: obtinuiſſetque adeo trahendis ad ſe jam pluribus, atque in his Ciceronis conſulis fratre, niſi [e] labantem
3. ordinem confirmaſſet M. Catonis [f] oratio. Ac ne ſic quidem impedire rem deſtitit, quoadusque manus equitum Romanorum, quæ armata præſidii cauſa circumſtabat, immoderatius perſeveranti necem comminata eſt: etiam ſtrictos gadios usque eo intentans, ut ſedentem una proximi deſeruerint: vix

pauci

g pauci complexu togaque obiecta protexerint. Tunc plane 4.
deterritus, non modo cessit, sed etiam [h] in reliquum anni
tempus Curia abstinuit.

a) *Vrbanus scilicet, quo de Sigonius passim, & ex eo, ut solet, Rosinus lib. 7. ant. Rom. c. 11.*

b) *Quæ ex Sallustio, Dione, Plutarcho, aliis, notior quam ut hic explicari necesse sit.*

c) *Hoc est, mortem, quam* ἑκάτιον δίκην *Plutarchus,* ἑκάτιον κόλασιν *Appianus lib. 2: bell. civil. pag. 430. d.* ἑκάτιον τιμωρίαν *Demosthenes. Et tamen Silanus consul, de quo mox, Cæsaris oratione mutatus, sententiam suam de coniuratis puniendis ea lenire conatus est interpretatione, ut diceret, se per ultimum supplicium carcerem intellexisse, non mortem: eo quod carcer Romano viro ultimum supplicium sit. Plutharch. in Cat. Caute quidem hoc: sed profecto non ex usu sermonis Romani.*

d) *Quare turpe? Mihi vero Thrasonicum atq; Giganteum semper est visum, quod symboli loco à multis vsurpari videas*: antes muerto, que mudado. Non est Levitas, *inquit Seneca lib. 4. de benef. c. 38.* à cognito & damnato errore discedere: & ingenue fatendum est, Aliud putavi: deceptus sum. Hæc vero superbæ stultitiæ perseverantia est: Quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit. Non est turpe, cum re mutare consilium. *Hæc ille. Cæterum hunc de Silani sententia locum illustrat Quæstura Seb. Corradi, pag. 236. & seqq.*

e) *Nutantem, & in mitiorem Cæsaris sententiam inclinantem Senatum.*

f) *Sane quam sapientissima, vereq; Catoniana. Extat in Sallust. historia Catilinaria, c. 52.*

g) *E quibus Curionem nominat Plutarch. in Cæs.*

h) *A Nonis Decembribus ad Calendas Ianuarias. Cæs. h. l.*

CAPUT XV.

Primo præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii 1.
ad [a] disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata,
qua curationem eam in [b] alium transferebat. Verum impar 2.
optimatium conspirationi, quos relicto statim novorum consulum [c] officio, frequentes obstinatosque ad resistendum
concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit.

a) *Discus-*

a) *Discussionem, judicium, an scilicet populus Catulo vel alii potius, reficiendi, quod igni consumptum erat, Capitolii curam demandare vellet.*

b) *Scilicet Pompejum, in quem non tam curationem, quam dedicationis & inscriptionis honorem Cæsar ambitiose transferre laboravit. Sed frustra fuit. Nam* inscriptum Capitolino fastigio Catuli nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad Vitellium mansit, (*asserente Tacito, 3. Hist. 72.*) cujus tempore iterum incendio periit. *Videndus Dio lib. 43. & præcipue I. Rycquius, comment. de Capit. Rom. cap. 11.*

c) *Hoc est, honorifica novorum consulum deductione.* Officium *in hac notione (pro obsequio & honore quem digniori præstamus) est etiam infra cap 82.* Cæsarem assidentem conjurati, specie officii, circumsteterunt.

CAPUT XVI.

1. Cæterum Cæcilio Metello Trib. pleb. turbulentissimas [a] leges adversus collegarum intercessionem ferenti auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit; donec ambo administratione Reipub. decreto patrum summoverentur.
2. Ac nihilominus permanere in magistratu, & jus dicere ausus, ut comperit paratos, qui vi ac per arma prohiberent, dimissis [b] lictoribus, abjectaque [c] prætexta, domum clam refugit, pro
3. conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo post sponte & ultro confluentem, operam sibi in [d] asserenda dignitate tumultuosius pollicentem, compescuit.
4. Quod cum præter opinionem evenisset, senatus ob eundem cætum festinato [e] coactus, gratias ei per primores viros egit: accitumque in Curiam, & amplissimis verbis collaudatum, [f] in integrum restituit, [g] inducto priore decreto.

a) *De Pompejo Magno ad urbem vocando cum exercitu; specie, ad imminens a Catilina periculum propulsandum: re, ut in unius Pompeij potestatem Respub. deveniret. Videndi, qui plenius omnia narrant, Plutarch. in Catone min. Dio lib. 37. & pluribus locis Cicero.*

b & c) *Quo scilicet occultius fugeret. Erat enim utrumque magistratus insigne.*

d) *Vindicanda.*

e) *Collectus, congregatus.*

f) Digni-

f) *Dignitatem ei prætoriam reddidit.*

g) *Abolito, antiquato, & ut vulgo nunc dicunt, cancellato.*

CAPUT XVII.

Recidit rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ 1.
nominatus, & apud Novium Nigrum Quæstorem à L. Vettio
indice, & in senatu a Q. Curio: cui, quod primus consilia
conjuratorum detexerat, constituta erant publice [a] præmia.
Curius e Catilina se cognovisse dicebat: Vettius etiam chiro- 2.
graphum ejus, Catilinæ datum pollicebatur. Id vero Cæsar 3.
nullo modo tolerandum existimans, cum implorato Cicero-
nis testimonio, [b] quædam se de conjuratione ultro ad eum
detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit. Vettium 4.
pignoribus captis, & directa supellectile male multatum, ac
pro Rostris in concione pæne discerptum, conjecit in carce-
rem: eodem Novium Quæstorem, [c] quod compellari apud
se majorem potestatem passus esset.

a) Indicinæ præmia *vocat Apulejus lib. 7. μήνυτρα Græci. Quantum autem Curio constitutum præmium, colligamus licet ex Sallust. Catil. cap. 30.* decrevit Senatus si quis indicasset de conjuratione quæ contra Remp. facta erat, præmium servo libertatem, sestertia centum, libero impunitatem ejus rei, & sestertia ducenta, *hoc est, æstimatione nostra, Philippicos* 5000.

Graves uterq; cum Cæsare inimicitias exercuit: proinde minus dignum fide testimonium ipsorum erat. Noluerunt majores nostri (*Ciceronis pro Fonteio verba sunt*) hanc patere inimicitiis viam, ut, quem quisque odisset, eum testimonio posset tollere. Ementiuntur enim sæpe accusatores in eos, quos oderunt.

b) *Infirma excusandi se ratio, nec infrequens in dissimulanda conjuratione calliditas. Adduxisse sufficiat exemplum Fenij Rufi, qui cum esset inter conjuratos adversus Neronem,* convictos violenter urgebat, nondum ab indicibus nominatus: sed quo fidem insciliæ pararet, atrox adversus socios: idem conscius & inquisitor. *Tacit. lib. 15. Annal. cap. 58. & 66.*

c) *Magistratus seu* potestas major, *est Consulatus, Prætura, Censura, quarum maxima sunt auspicia*: minor, *Quæstura & Ædilitas, quarum minora. Cæsarem ergo Prætorem, ad Quæstorem Vettium dēferri* (*id enim est* compellari)

pellari) *non oportebat. Haud raro tamen, nec id malo more, fieri videas, ut superior inferioris judicium subire teneatur. Quomodo Chrysobulla Palatinum in quibusdam causis Cæsaris judicem constituit: & Rex Galliæ Parlamenti Parisiensis judicio se submittit: & Rex Bohemiæ, quoad Silesiam, judicio superiori Vratislaviensi, quod ad Ducatum Glogovienſem, istius Ducatus Paribus Curiæ subjicitur: & Electores Saxonici coram suprema sua Lipsensi Curia Electorali se conveniri patiuntur: & Archiduces Austriæ, cum sint immunes à jurisdictione Imperij, ortis controversiis, aliquem è suis Vasallis judicem constituunt, coram quo conveniantur ac jus accipiant. Est autem receptum, eoq; jure utimur, ut, si quis major vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit ei, & adversus eum, jus dici. l. 14. ff. de jurisdict. Videndus omnino Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 6. ubi de mutuis magistratuum inter ipsos imperiis & officiis. Plin. panegyr. c. 36.* Dicitur auctori atque etiam procuratori tuo (Princeps) in jus veni: sequere ad tribunal. Item sors & urna fisco judicem assignat: licet rejicere: licet exclamare, hunc nolo, timidus est, & bona seculi parum intelligit: illum volo, quia Cæsarem fortiter amat. Eodem foro utuntur principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur Fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.

CAPUT XVIII.

1. [a] Exprætura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu [b] sponsorum removit: ac neque more, neque jure, antequam provinciæ [c] ornarentur, profectus est: incertum, metune judicij, quod [d] privato parabatur, an quo
2. maturius [e] sociis implorantibus subveniret. Pacataque provincia, pari festinatione, non expectato successore, ad [f] triumphum simul consulatumque decessit. Sed cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset urbem, & ambienti ut [g] legibus solveretur, [h] multi contradicerent, coactus est, triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere.
3.

a) *H. e. post præturam sortitione adeptus præfecturam Baticæ & Lusitaniæ. Nam ea,* ulterior Hispania *est. De Hispaniæ divisione & præfecturis accurate Lipsius not. 48. ad Tacit. 1. Hist.*

b) *Non nisi unius sponsoris, quod sciam. Plutarchus enim in vita Cæs. auctor est,* Cæsarem, quum res ei difficili in loco cum creditoribus esset,

importunis profecturo, confugisse ad Crassum, ditissimum civitatis, qui receptis in se creditoribus, nec iis tamen omnibus, verum durissimis tantum ac molestissimis, 830. talentorum (*hoc est, si ex Budæi supputatione ad æstimationem Gallicæ pecuniæ redigas,* 498000. *coronatorum*) sponsione eos placarit. *Obiter hoc, in l.* 25. *D. de pignorat. act.* onerosum creditorem *dici, qui sit durus & acerbus, quales hi Cæsari erant.*

c) *A Lambino & Vrsino hæc lectio est, adstructa pluribus autorum, ac Ciceronis potissimum, exemplis, tam à Torrentio h. l. tum etiam a Sigonio lib.* 2. *de antiq. jure provinc. cap.* 1. *longule à fine, ubi ostendit,* ornari provincias, *aut etiam præsides ipsos, esse, cum novo Senatusconsulto, post impetratum lege Curiata imperium, designaretur latitudo provinciæ, magnitudo exercitus, stipendium in milites, viaticum in Legatos & cohortem, comitatus, & cætera generis ejusdem. Sed neq; tamen* (*bona cum pace tua, doctissime Casaubone*) *vulgatum illud,* ordinarentur, *præfracte nimium damnaverim, quod video magnis etiam illis Criticis, Turnebo lib.* 24. *adverss. cap.* 14. *& Grutero, in Suspicionibus, non improbari. Sic Iustinus lib.* 30. *c.* 2. *pr.* Tribunatus, præfecturas, & ducatus ordinare.

d) *Hoc est, præturæ abeunti Cæsari. Non aliter apud Livium lib.* 41. *c.* 7. tribum Manlio comminantur, PRIVATVM rationem rerum ab se gestarum redditurum, quoniam Consul noluisset. *Magnum utiq; commodum ambulatoriorum annuorumve magistratuum. Vidit & Mamercus dictator, qui apud eundem Livium lib.* 4. *cap.* 24. maximam libertatis populi Romani custodiam esse *ait*, si magna imperia, diuturna non essent: & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset. *Cæterum ea de quæstione, præstetne perpetuos, an breviore circumscriptos esse tempore magistratus, adeundi rerum politicarum consultissimi, D. Brsolán. lib.* 2. *Polit. c.* 3. *memate* 20. *Iunius part.* 1. *quæst. ult. Scipio Amiratus lib.* 1. *disc.* 12. *Piccartus observ. dec. ad.* 6. *cap.* 7. *& alii.*

e) *Provinciæ libus Hispanis, vicinorum latrocinio tum infestatis, ut est apud Dionem lib.* 37. *Plutarch. in Cæs.*

f) *Nam Calecis & Lusitanis victis ad Oceanum usq; cuncta perdomuerat.*

g) Solvi legibus, *dicuntur, quibus aliquid contra receptas leges facere permittitur.* Oportebat (*ait in Cæs. Plutarchus*) Triumphum petentes, extra urbem manere: Consulatum vero præsentes petere. *Cæsar itaq; reversus ex Hispania, cum, ut ea lege solveretur, obtinere non potuisset, coactus est, omisso triumpho urbem ingredi, ne Consulatu excideret. Cicero tamen orat.* 2. *de leg. Agr. cap.* 9. *cum enumerasset ea, quibus aliquis ab honoribus petendis arce-*

tur.

tur, ut sunt adolescentia *legibus annalibus exclusa*: impedimentum legitimum (*hoc est, legibus cautum, ut cæcitas, surditas, furor, ignominia*) *item si quis esset aut reus, aut alio gerendo magistratu districtus; tandem subjicit*, ut quis præsens profiteatur seu nomen suum inter candidatos det, nulla alia in lege umquam fuisse, ne in his quidem magistratibus quorum certus ordo est: *cujusmodi sunt scilicet Ædilitas, Pratura, Consulatus: qui magistratus quotannis certo ordine creantur. Postea vero etiam lege Pompeja, & jure magistratuum, absentes à petitione honorum summoti sunt, ut notat Turnebus ad dictum locum Ciceronis, oper. tom. 1. pag. 38, 56.*

h) *Cato inprimis, qui de industria, dicendo diem absumpserat, ne quid illis Senatus Cornelia lege gratificari posset. Plutarch. Cæs.*

CAPUT XIX.

1. E duobus [a] consulatus competitoribus, [b] L. Lucejo, M. que Bibulo, Lucejum sibi adjunxit, pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, [c] nummos de suo,
2. [d] communi nomine per centurias [e] pronunciaret. Qua cognita re optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in [f] summo magistratu [g] concordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, [h] ne Catone quidem abnuente, eam largitionem è Repub. fieri. Igitur cum Bibulo consul
3. creatur. Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut [i] provinciæ futuris coss. minimi negotii, id est, silvæ calles que,
4. decernerentur. Qua maxime injuria instinctus, omnibus officiis Cn. Pompejum affectatus est, offensum patribus, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta sua: Pompejoque M. Crassum [k] reconciliavit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac [l] societatem cum utroque iniit, ne quid ageretur in Repub. quod displicuisset ulli e tribus.

a) Cosulatus *glossema sapit. De hac ipsa consulatus petitione Cicero lib. 1. ad Att. sine epistola 14.*

b) *Is est, quem idem Cicero luculentissima epistola 12. libris, famil. rogat, ut res suas in consulatu gestas seorsim describat.*

c) *Enfa-*

c) *En fœdam nundinationem honorum! quam ſpectans haud dubie Sallustius Iug. cap.* 8. 20. 35. omnia Romæ dicit eſſe venalia, ipſamque adeo venalem vrbem, ſi emptorem invenerit. *Auſonius gratiar. act. ad Gratianum, pag.* 251. *f.* Conſul ego, Imperator Auguſte, munere tuo, non paſſus ſepta, neque campum, non ſuffragia, non puncta, non loculos: qui non prenſaverim manus, nec cum ſalutantium confuſus occurſu, aut ſua amicis nomina non reddiderim, aut aliena impoſuerim: qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis claſſibus non intremui, nihil cum ſequeſtro depoſui, cum diribitore nil pepigi Romanus populus. Martius Campus, equeſter ordo, roſtra, ovilia, Senatus, unus mihi omnia Gratianus. *Erat enim id moris, fruſtra legibus obnitentibus, ut candidati, ad conciliandaſuffragatorum ſtudia, per centurias tribuſq; nummos dividerent: cui negotio præpoſiti*, diviſores *appellabantur. Mamertinus in panegyrico*: Priſcis temporibus campus multorum ambitu fuit infamis: nota Diviſorum flagitia, notæ libellorum præſtigiæ. *Nec enim tum valuit illud Claudiani, Conſ.* 3. *Honorii*: —— emitur ſola virtute poteſtas. *Hæc fere in ipſius Imperii populariſ occaſu contigerunt, cum omnia peſſum irent. Quam ob κακοπολιτείαν, ſalutis Romanorum interfuit, omnem poteſtatem ad unum conferri, in Monarchiam Democratia commutata.*

d) *Suo & Cæſaris.*

e) *Palam promitteret. Autori noſtro familiare in hoc ſignificatu verbum. Vt infra cap.* 25. pronunciare epulum. *Galb. c.* 16. pronunciare donativum militibus. *Domitian. c.* 4. *in fin.* pronunciare teſſeras. *Sic Liv.* 2. *c.*20. pronunciare præmia militi. *Sueton. Vitell. c.* 4. pronunciatum eſt, ut duæ tantum cohortes exirent.

f) *Conſulatu, ex ordinariis quidem. Nam dictatura ſuperior: ſed extraordinaria.*

g) *Clarum hinc, nonnunquam ex diſcordia Magiſtratuum, Reipub. ſalutem exiſtere. concordiam eidem διαλοφόρον eſſe. Facit huc egregius locus apud Plutarch. in Ageſil. pag.* 598. *quem integrum ut exſcribam, pretium operæ cenſeo.* Quum Ageſilaus alliceret ac demereretur omnes Senatores, Ephori timentes illius potentiam, mulctam ei irrogaverunt. Siquidem, ut opinantur phyſici, ſi contentionem & litem ſegreges a Mundo, fore ut corpora cœleſtia conſiſtant, omnium item generatio & motio conquieſcat, propter mutuum univerſitatis cum his concentum. Ita Laconicus legislator videtur virtutis facem Reip. ſubdidiſſe, ambitionem & concertationem, aliquod ſemper inter bonos certamen, & pugnam machinans;

nans: illam vero mutuo conniventem in non coarguendo gratiam, quæ iners sit & ignava, parum recte dici Concordiam censens. Nempe vidisse id Homerum quoque nonnulli arbitrantur. neque enim facturum fuisse, ut Ulysse & Achille verborum asperitate provectis ad convitia, lætum finxisset Agamemnonem, nisi magnopere censuisset Reipub. interesse mutuam procerum æmulationem & dissensionem. Hoc tamen non ita simpliciter probes. quippe sunt noxiæ contentiones civitatibus, si sunt immodicæ, graviaque pericula secum trahunt. *Hæc ille. Putem eodem applicandum illud Senecæ, epist. 95. sub finem*: Societas nostra lapidum formicationi simillima est, quæ caſura, nisi invicem obstarent: hoc ipso sustinetur: *seu verbis Agellii, lib. 6. cap. 1.* quasi mutuo adversoque fulta nisu subsistit. Τὸ ἀλλήλων δέος (*ait Thucydides lib. 3. in concione Mytil.*) μόνον πιστὸν εἰς ξυμμαχίαν: *addo ego*, εἰς πολιτείαν, *in qua quid ni liceat idem struere, quod in familia sua Cato? Is contentiunculas semper aliquas ac dissensum inter servos callide serebat, suspectam habens nimiam concordiam eorum metuens q.* *Autor in ejus vita Plutarchus. Adde Bodinum lib. 4. de Repub. cap. 5. Tolosan. lib. 23. cap. 9. num. 3.*

h) *Insignis omnino locus, & qui doceat, in administranda Repub. non ubiq; nos præfracte rectos esse debere: sed præcepto Taciti, Agric. cap. 8. VTILIA HONESTIS MISCERE. Catonem vide, Virtutum vivam illam imaginem, certius sapientis exemplar quam sit Hercules aut Vlixes (Nam has ei laudes tribuit Seneca de tranq: cap. ult. & de constant. sapient. cap. 2.) adhæc acerbissimum largitionis hostem, quod caput est, addictum sectæ Stoicæ, cui individuum utilitatis cum honestate contubernium est. Et ille tamen adductus charitate patriæ largitionem illam, etsi sua natura minus honestam, at patriæ profuturam, non improbavit. Sic Aristides, in rerum suarum administratione justissimus semper habitus, unde illi justi cognomen, in gerenda tamen publica re, multa contra jus & æquum designavit, accommodans sese πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πολιτείας, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένην*: rationibus patriæ, quæ multa injustitia opus haberet. *Quomodo Demades Athen. quum multas leges rogare, multaq. dicere cogeretur præter civitatis dignitatem & morem*, ignoscendū sibi dicebat esse, eo quod naufragia civitatis gubernaret (er müsse flicken an den *reliquis contusæ Reip. Id enim est* πολιτεύεσθαι τὰ ναυάγια.) *teste Plutarch. in Phocione à princ. & in præcept. polit. pag. 803. a. Nimirum cordati Politici semper meminisse debent illius, quod ex Ciceronis 2. ad Att. ep. 1. Plutarchus adducit in Phocione post princ.* se non tanquam in Platonis πολιτείᾳ, sed tanquam in Romuli fæce versari. *Nam ut est apud Livium. lib. 26. cap. 22.* Sapientium civitatem

civitatem (*qualis illa Platonica, & Thomæ Mori Vtopica est*) docti fingunt magis, quam norunt.

i) *Non possim hunc locum explicare melius ipso Turnebo, cujus ecce tibi verba, ex adversar. lib. 3. c. 22.* Hic existimo significari, sylvarum publicarum administrationem, & saltuum publicorum, in quibus professi pecoris sui capita pecuarii pascebant, scripturamque (hoc est, Vectigal pro pascuis illis exactum) solvebant. Nam callis, de quo nonnihil jam ante (*scilicet lib. 2. adv. cap. 9. & comment. in orat. 1. Rull. pag. 15, 35.*) scripsimus, ex eo appellatur, quod pecudum callo calcetur. Interdum autem a Senatu, cui jus erat ordinandarum & decernendarum consularium provinciarum lege Sempronia, consulibus mandabantur sylvæ calles que. *Hæc Turnebus. Conatur eundem locum explicare Cælius Rhodigin, lib. 26. lect. antiq. sub finem capitis 5. sed bifariam hallucinatur: ut & Brodæus miscell. 1. cap. 39. Primo quod pro* calles *substituit* colles, *contra fidem libb. quomodo & Tacitus 4. Annal. 27.* Curtio Lupo quæstori provincia, veteri ex more calles evenerat. *Deinde quod ad hunc sylvarum curam Consulibus injungendi morem respicere putat Virgilium Eclog. 4. isto versu:*

Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.

Non enim istud, sed hoc dicit poëta: si carmen Bucolicum canimus & sylvestre, sit tamen dignum consule Pollione. Magis ad rem facit Plautinus ille jocus, pseudolo act. 1. sc. 2. Te cum securi, caudicali præficio provinciæ (Sey du Holtzhawer/ Capitler / oder Schimbrucker graf / *barone del campo di fiore.*) *Quin enim ad hunc, quo de sermo, morem alluserit facetissimus poeta, dubitandum non est. Porro cur optimates futuris coss. hoc est Cæsari ejusq; collegæ, tam ignobilem provinciam decreverint, conjicere in proclivi est, id factum ad infringendam hominis potentiam, & crescendi copiam adimendam. Cum enim nullis ibi copiis opus esset minus erat à Cæsare metuendum.*

k) *Quid hac reconciliatione spectarit Cæsar, pulcherrime Dio Cassius explicat sub finem lib. 37. quem omnino vide. Prolixior enim locus est, quam ut huc referri queat.*

l) *Conspiratio ea potius quam societas erat, quæ urbi orbiq; terrarum, nec minus diverso quoq; tempore, ipsis hisce triumviris, exitiabilis fuit, ut scribit Vellejus Paterculus lib. 2. Histor. cap. 44. Addit Appianus lib. 2. bell. civil. post pr. Varronem in hanc conspirationem librum scripsisse, cui titulus τειπρόσωπος, Tricipitina. Exemplum politici, de quo paulo ante, scemmatis, optimatium dissensiones plusquam concordiam Reipub. prodesse.*

CAP. XX.

CAPUT XX.

1. Inito honore, primus omnium instituit, ut tam sena-
tus quam populi diurna [a] acta conficerentur & publicaren-
2. tur. [b] Antiquum etiam [c] retulit morem, ut quo mense
[d] fasces non haberet, [e] accensus ante eum iret, [f] lictores po-
3. ne sequerentur. [g] Lege autem agraria promulgata, [h] ob-
nunciantem collegam armis foro expulit. Ac postero die
in senatu conquestum, nec quoquam reperto qui super tali
[i] consternatione [k] referre, aut [l] censere aliquid auderet, qua-
lia multa sæpe in levioribus turbis decreta erant, in eam co-
egit desperationem, ut quoad potestate abiret, domo [m] ab-
4. ditus [n] nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. Unus ex
eo tempore omnia in Repub. ad arbitrium administravit: ut
nonnulli urbanorum, [o] cum quid per jocum [p] testandi gra-
tia signarent, non *Cæsare & Bibulo*, sed *Iulio & Cæsare coss.* a-
ctum scriberent, bis eundem præponentes, nomine atque
cognomine: utque vulgo mox ferrentur hi versus:

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

5. [q] Campum Stellatem [r] majoribus [s] consecratum, agrumque
Campanum, ad subsidia Reipub. vectigalem relictum, divisit
extra sortem, [t] ac XX. millibus civium, [u] quibus terni plures-
6. ve liberi essent. [x] Publicanos remissionem petentes, tertia
[y] mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum
vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit.
7. Cætera item quæ cuique libuissent, [z] dilargitus est, contra-
8. dicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. M. Catonem
interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carce-
9. rem jussit. L. Lucullo liberius resistenti tantum [aa] calumnia-
10. rum metum injecit, ut ad genua ultro sibi [bb] accideret. [cc] Ci-
cerone in judicio quodam deplorante temporum statum, P.

Clodium inimicum eius, frustra jam pridem dd à patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, ee horâque nonâ, ff. ra-
11. duxit. Postremo in universos diversæ factionis induxit Vettium præmiis, ut se de inferendâ Pompejo nece solicitatum à quibusdam profiteretur, productusque pro Rostris, auctores gg ex compacto nominaret: sed uno atque altero frustra, nec sine suspicione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis consilii eventum, hh intercepisse veneno ii indicem creditur.

a) *Quæ Dio cæteriq; vertunt ὑπομνήματα. Dicta ea cum hic, tum a Tacito, 13. Annal. 31. & 16, 18.* Diurna, *quia scilicet in dies conficerentur. Eadem duplicia: Senatus, Populi. In illis breviter inscriptum, quidquid apud patres diceretur ageturq; : & conficiendis præerat e Senatu quispiam, quem vocabant a cura Actorum, vel ab Actis Senatus: cui tamen adjuncti scribæ censuales q, quos are* Actuarios *item dicebant. Hæc vero (populi inquam Acta) complectebantur res rationesq; populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, natvitates, illustres mortes, matrimonia, divortia. De utriq; accuratè Lipsius excurs. A. ad Tacit. lib. 5. Annal. quædam etiam Britannicus comment. ad Iuvenal. satyr. 9. v. 84. Cæterum ut instituta hic a Cæsare confectio Actorum mansit: ita publicationem eorundem abrogatam ab Augusto, tradit autor in ipsius vitâ, cap 36.*

b) *Duo præcipuè sunt autorum loca, qua lucem hic nostro fœnerant. Primus Livii, lib. 2. cap. 1.* post ejectos Reges, duo Consules cum annuo imperio creati sunt, qui omnia jura, omnia insignia (potestatis regiæ) tenuere. Id modo cautum est, ne si ambo, fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit. *Alter Agellii, lib. 2. noct. Att. c. 15. ubi, cum fasces illos alternis mensibus Consules habuerint, pluribus exponit, cui Consulum, & quo jure, fasces prius dati fuerint. De hac imperitandi sanè quàm utilissima vicissitudine multa scitu dignissima collegit ex antiquitate Tiraquellus commentar. Primogenior. quæst. 17. opin. 5. quæ non exscribo. Cæterùm à Cæsare restauratum hunc morem, sequentibus item Imperatoribus observatum, colligamus licet ex Ammiano Marcell. lib. 22. cap. 9. ubi de Imp. Iuliano, tum Consule, hæc habet:* Mamertino (Consule) ludos edente circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat, ut solebat: statimque admonitus, jurisdictionem eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxiam Decembris auroram & ipse mutavit.

c) In-

(c *Instauravit, revocavit. Ita Virgil. 5. Æn.*

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Retulit Ascanius.

d e f) *De fascibus, accensis, lictoribus, enucleatè ut omnia, Lipsius, elector. lib. 1. cap. 23. Aliqua etiam Rosinus lib. 7. antiq. Rom. cap. 48.*

g) *Legem agrariam, quæ erat de agris viritim inter plebejos dividendis, non Consuli, sed audacissimo tribuno convenientem, Cæsar ideò promulgavit, obnitentibus honestissimis in senatu viris, ut populi favorem aucuparetur. Res ex Dione, Cicerone, Plutarcho, Vellejo, aliis, nota. Legis agrariæ capita, atque adeò hunc ipsum autoris locum ubertim exponit Sigonius lib. 2. de ant. jure Ital. c. 2.*

h) *Infaustis denunciationibus remorantem. Ex augurum disciplinâ verbum hoc est, qui dicuntur* obnunciare, *cùm aliquid mali ominis viderint, quod prohibeat, ne quid eo die cum populo agi possit. Obnunciatione, inquit Pedianus, perniciosis legibus resistebatur. Sicut verò tribunorum intercessioni obtemperâsse necessarium censebatur: ita planè augurum obnunciationi: quod Cicero lib. 1. de divinatione, & Plutarchus in Crasso significant. Si quis tamen obnunciatione factâ, in re cœptâ persisteret, ut hîc Cæsar, id* contra auspicia fieri *dicebatur.*

i) *Tumultu & quasi seditione. Sic usus eâ voce Valer. Max. lib. 9. c. 7. inquit:* creditorum quoque consternatio adversùs prætoris urbani caput exarsit. *Ita Livius 34. c. 2.* consternationem mulierum *vocat, factionem quæ conspiraverant ad abrogationem legis Oppiæ. Et sequenti capite 3. de eodem tumultu:* volo tamen, *inquit,* audire, quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum. *Vbi* consternatio *planè idem, quod nos* ein geschöll *appellamus.*

k. & l.) *Utrumq; verbum senatorium.* Referre *Dioni passim est* χρηματίζειν, *vel,* γνώμην εἰς τὸν βουλὴν εἰσφέρειν, *hoc est, in Senatu aliquid proponere, ut de eo sententia dicantur: id quod proprium erat munus Consulum, aut iis cessantibus, Tribunorum vel Prætorum.* Censere, *isti correlatum, est, sententiam de re propositâ in Senatu dicere, vel de scripto recitare.*

m) *Domi latitans, octo scil. mensibus, autore Plutarch. in Pompejo. Seneca tamen Consol. ad Marciam, cap. 14. Bibulum toto honoris sui anno, domi latuisse scribit, idq; ut invidiam collegæ Cæsari faceret, quasi eius vi aut metu domo attineretur. Quàm autem hoc inconsultè, patet ex Vell. Pater. lib. 2. c. 44 f. Nam eo facto dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam.*

n) Nihil aliud quàm, *mere Græco,* μηδὲν ἄλλο, *prorsus, haud scio*

an alii quàm nostro phrasis usitata, apud quem sapiùs extat: ut Aug. c. 83. Claud. 30 & 16. Ner. 43 Vesp 10. Domitian. 21. &c. nisi quod Tacitus 2. Hist. 91. ad eam formam: nō ultra quàm tribunos plebis advocavit. *pro, tantùm advocavit.*

o) *Torrentius sic invertit hæc verba*: cùm quid testandi gratiâ signarent, per jocum non Cæsare &c. *sed quia parùm decorè jocularia seriis testationibus immiscentur, receptam lectionem veriorem putamus.*

p) *Testationes hic intelligit, quæ erant quædam præscriptiònes & tabulæ testificandi gratiâ factæ & obsignatæ. Cicero pro Quintio*: Testificantur isti, Pub. Quintium non stitisse, & se stitisse: tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur. Consignationes *etiam vocásse videtur Quintilianus lib. 12. sub finem cap. 8* promittit litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes. *Hæc fere Turnebus adversar. lib. 2. fine capitis 27.*

q) *Campum Stellatem agri Campani partem facit Livius lib. 9. c. 44. p.* Ager *generis nomen est*: campus, *species agri plani, & montibus carentis. Quomodo & Stellatem hunc campum locis quibusdam editioribus submissum & subjectum, & quidem Caleno propinquum fuisse, patet ex eodem Livio, lib. 22. c. 13. m. Qui idem hinc cognominatæ Stellatinæ tribus meminit lib. 6. c. 5 f.*

r) *Non dandi, quod obiter intuenti queat videri, sed auferendi casus hic est, pro*, à majoribus, *Amat autor hæc ellipsi uti. Vt capite præcedenti*: opera optimatibus data est. *Et cap. 16* administratione Reip. summoveri. *Alibi sæpiùs, ubi semper* à *præpositio subaudienda.*

s) *Cùm hujus consecrationis à majoribus factæ Cicero nullam in oratione contra Rullum faciat mentionem, cum tamen ea res ad dissuadendam legem agrariam plurimùm valeret, asserit Torrentius, aut hic legendum*, conservatú: *aut dicendum potiùs, id quod de ejus agri consecratione scripsisse potuit Cicero, nobis periisse. Aliter Turnebus, lib. 3. adversar. c. 23. & comment. in or. 1. Rull.* (pag. 24. 46.) *Ciceronem & Suetonium de hujus campi conditione, contraria opinatos. Quid nos? ἐπέχομεν.*

t) Ac *exturbant alii. Casaubonus optimè*, ad xx. m. c. *quod Vellejus hac ipsâ de re loquens lib. 2. cap. 44.* circiter xx. m. c. *Sic autor infrà cap. 25.* Gallia patet ad 3200. millia passuum. *Sic Terent Heaut.* talenta ad quindecim collegi, *hoc est, circiter. Eodem modo Græci utuntur illis suis*, ὡς, ὡσεί, μάλιστα, *cùm ob rotunditatem numeri, articulos tantùm, omissis digitis, exprimunt. Id quod cùm Lucæ cap. 3. v. 23. fieri, aliqui non attenderent, in constituendâ Epochâ Christianæ radice fædè sunt hallucinati.*

u) *Cùm* in multitudine populi, dignitas Regis; & in paucitate plebis, detrimentum sit principis, *ut est Proverb. cap. 24. v. 28. ut legumlatoribus*

bus administratoribusq; Rerumpub. aliarum, ita Romanis præcipuè, conjugiorum suboliq; magna semper cura: nec ignominiæ solum cælibatus, sed pœna erat: præmia verò proposita multitudini liberorum, idq; non solum è Iuliæ aut Papia legibus Imp. Augusti tempore latis: sed more Romano prisco. quod vel ex Livio 41. c. 8. & 45. cap. 15. & c. colligi potest. Inter præmia fuisse, ut in divisione agrorum patres aliis præferrentur, ex hoc autoris nostri loco discimus: quo de cæteris q; πολυπαιδίας præmiis exquisitè Lipsius in excurs. C. ad Tacit. 3. Annal.

x) *Publicorum vectigalium conductores, de quibus Cicero pro Plancio cap.* 9. Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipub. Publicanorum ordine continetur. *A quo eodem tamen illustri Oratore in Verrinis relatæ & revelatæ Publicanorum fraudes & iniquitates, ob quas genus hoc hominum olim infame apud Iudæos erat: nunc apud Christianos cumprimis honestum.* Nec id sanè mirum (*inquit Eras. annot. in N.T.*) cùm institores ac mensarii omnibus pæne anteponantur apud utriusque Reip. summates, quos nec Aristoteles, nec Tullius, inter honestos cives haberi vult.

y) *Pensitationum, quas pro vectigalium locatione dabant. Videndus Nannius miscell. lib. 4. c. 1.*

z) *Ex omni Cæsaris historiâ patet, eum duplici præcipuè viâ grassatum ad potentiam: profusâ largitione in tenuiores, & affectatione potentiorum, ad faditatem adulationis usq; diligenti.*

Videndi qui hæc plenius exponunt, Plutarchus in Cæs. Dio sub initium libri 38. *Agellius lib. 4. Noct. Att. c.* 10.

aa) *Criminationũ. Aut fallor, aut hic tale quid est, quale Plutarchus de Themistocle memorat, in ipsius vita, pag.* 115. Quũ enim bello Persico, sacræ navis trierarchus Architeles, instante Barbaro, periculo se subducere cũ nave properaret, Themistocles eum hac arte retinuit, ut minaretur, traducturum se eum apud cives, quasi pecuniam ab hostibus accepisset. *Idemq; Themistocles, autore Thucydide lib.* 1. cùm Athenis exul in Ioniam profugeret, ac navis ad Athenienſium exercitum, tempestate deferretur, eodem usus astu, periculum declinavit, ut ostenderet, si à gubernatore prodatur, se quoque dicturum, quod pecuniis cultus ipsum veheret. *Et epist.* 81. Ad honestum consilium per mediam infamiam tendendum. Nemo mihi videtur pluris æstimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quàm qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Illud Senecæ non usq; quaq; probare possum lib. 3. de irâ. cap.* 41. Conscientiæ satisfiat: nil in famam laboremus: sequatur vel mala, dummodo benè merearis. *Nam ne-*

gligere (*ait Cicer. 1. off.*) quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiã omninò dissoluti. *Plato quoq; lib. 12 de LL. pag. 950.* Maximum, inquit, & rectissimum est, ut, quum SIS probus reverâ, ita velis VIDERI, laudemque honestæ vitæ venêris: aliter minimè, si modò cumulatæ virtutis rationem penes te habere volueris. *Pondus his addit B. Ambrosii gnome:* Duo sunt tibi necessaria, Conscientia & Fama: Conscientia propter Deum: Fama propter proximum.

bb) *Rectè. non enim* accederet, *quod habent aliqui. Livius eodem modo lib. 44. c. 31. f.* genibus prætoris accidens, *hoc est, supplex prætori factus. Cicero ad Att. lib. 1. epist. 11. sub fin.* pedibus omnium sigillatim accidente Clodio. *Non dissimilis, sed in re aliâ verbi usus lib. 3. ad Att. ep. 20. f.* quidquam accidisse ad animum tuum. *Liv. 45. c. 28. m.* Fama accidit, trajecisse mare legatos. Plaut. *Stich. 1. 2.* Sonus aures accidit.

cc. dd. ee.) *Quæ Cicero, collegam suum Antonium in judicio defendens, de Reip. conditione questus est circiter horam diei sextam, homines improbi ad Cæsarem detulerunt, quibus cùm se perstringi sentiret, ut vicissim ægrè Ciceroni faceret, perfecit, ut ejusdem diei* horâ nonâ (*erat autem ea à forensibus actionibus aliena*) *inimicus ejus Clodius, per adoptionem C. Fonteii* à patribus ad plebem, *hoc est, ex patriciâ familiâ in plebejam, transiret. Videndus Cicero in orat. pro domo suâ ad Pontifices; & addenda Corradi Quæstura pag. 263. &c.*

ff) *Libri veteres,* transduxit. *Cæsar ita sæpiùs, ut 2. Gall. 9.* in flumine vadis repertis, partem copiarum transduxit. *Et c. 10.* milites pontem transducere, &c: *Qui idem ad hanc formam, 2. bell. 13.* armis omnibus ex oppido transditis. *Liv. 42. c. 60.* Transductis copiis. *Sic suprà cap. 14. variatum,* traductis, transductis.

De totâ hac historiâ videantur Appianus lib. 2. bell. civil. longiùs à pr. Cicero in oratione contra Vatinium testem, & præcipue lib. 2. ad Attic. epist. 24. Unde perspicietur, quam inique Dio lib. 38. hujus à Cæsare compositi mimi nefarij; consilii, Ciceronem & Lucullum reos peragat. Solet is autor (quod præter Casaub. h. l. dudum Lipsius epistolic. quæst. lib. 4. epist. 3. & not. 125. in Tacit. lib. 13. Annal. monuit) alioqui cumprimis bonus, tamen interdum & adulari, & hallucinari, & optimis quibusq; Romanorum, Cassio, Bruto, Ciceroni, Seneca, aliis, obtrectare. Nimirum Græcus fuit, & ingenij, minime constantis.

gg) *Ex composito. Spectat hoc Cicero, modo indicata epist. 24. lib. 2 ad Att. cum ait,* Vettium illuc (*in rostra*) factum institutumque (*à Cæsare scilices subornatum*) venisse.

hh) *Clam*

hh) *Clam sublatum. Noctu enim in carcere fuit extinctus, ne palam fieret, cujus præmiis ad falsum indicium esset inductus. Cæterum hujusmodi flagitia (intercipiendi, quibus scelerum instrumentis sumus usi) minime esse nova, exemplis aliquot ostendit magnus ille filiarum Mnemosynes antistes Gruterus, ad istud Taciti*: nec illum sponte extinctum, verùm immisso percussore. *lib.3. Annal.c.16.*

ii) *Vettium puta.*

CAPUT XXI.

1. Sub idem tempus [a] Calpurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in consulatu, duxit uxorem: suamque Juliam Cn. Pompeio collocavit, repudiato priore sponso [b] Servilio Cæpione, cuius vel præcipua opera paullo ante Bibulum impu-
2. gnaverat. Ac post novam affinitatem, Pompeium [a] primum rogare sententiam cæpit, cum Crassum soleret: essetque consuetudo, ut, quem ordinem interrogandi sententias consul Kalend. Januariis instituisset, eum toto anno observaret.

a) *Romanam κακοπολιτείαν observa. Cæsar Calpurniam, L. Pisonis, quem successurum sibi in consulatu, Consul ipse creaverat, uxorem ducit: Iuliam vero filiam suam Pompeio despondet. Cur utrumq; ? ut eorum potentia magis magisq; floresceret, & factionem firmaret. Nec immerito, frustra licet, vociferatus tum Cato, rem intolerandam esse*, nuptiarum lenociniis imperia vendi, & Rempub. prodi. *Qua in re memoranda, Plutarchus in Cæsare, utitur eleganti, & haud scio an aliis autoribus usurpata voce, διαμαστρωπεύειν ἡγεμονίαν γάμοις, quando per mulieres mutuo nos ad imperia, provincias, officia, promovemus. Res nec nostro sæculo infrequens, & de qua dubites, an, si cætera adsint, vituperanda semper. Agricolam certe Tacitus in eius vita cap.7, commendat ex eo, quod ad capessendos magistratus in urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam sibi junxerit: idq; matrimonium*, ad majora nitenti *non modo* decus, sed & robur *fuisse dicit. Quin & optimus imperator M. Antoninus Philosophus in hac navi. De eo Iulius Capitolinus, in ipsius vita cap 19.* Quum moneretur, ut repudiaret Faustinam uxorem adulteram, si non occideret, dixisse fertur: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem quid erat nisi Imperium quod ille ab socero, volente Adriano adoptatus, acceperat? *Sed & aliorum per matrimonia promotorum exempla videantur apud Piccart. observat. decad.6.c.3. & Clapmar. de arcan. Rerumpub. lib.4.c.9.*

(b *Huic*

b) *Huic Servilio Capioni Cæsar Pompeij filiam spopondit, pactam antea Fausto Sullæ filio. Sed fasne alterutri parti sponsalia retractare cum lubet? Vtiq; l.1.C.de sponsal.duminodo sint vera & proprie dicta sponsalia, hoc est, mentio & repromissio nuptiarum futurarum.l.1.ff.eod.tit..Videatur Collegium Iurid. Argentorat.lib.23 tit.1.thes.ult.*

c) *Hic omnino videndus Agellius lib.4.cap.10.& lib.14.c.7.De ordine rogandi sententias in Senatu, plura monendi locus erit in Aug. fine capitis 35.*

CAPUT XXII.

[a]Socero igitur [b]generoque suffragantibus, ex omni pro- 1.
vinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento & opportunitate, idonea sit materia [c]triumphorum. Et initio quidem [d]Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, [e]lege 2.
Vatinia accepit: mox per senatum, [f]Comatam quoque: [g]veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperavit, quin paucos post dies [h]frequenti curia jactaret, invitis & gementibus adversariis adeptum se quæ concupisset: proinde [i]ex eo [k]insultaturum omnium capitibus: ac negante quodam per contumeliam, *Facile hoc ulli*[l] *fœmina fore*, responderit, quasi alludens, [m] *In Assyria quoq; regnasse Semiramin, magnamq; Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.*

a. & b.) *Pisone & Pompejo.*

c) *A Romanis plures prope de Gallis triumphos, quam de toto orbe terrarum actos esse, Manlius consul jactat apud Livium lib.38.cap.17. pr. sed jactat nimirum. Videtur autem de Gallis ex parte prædicari posse, quod de Germanis ultro Tacitus in libello de situ moribusq; Germ. cap.37. fatetur*, triumphatos magis quam victos, *aut certe ut Florus histor. lib.4. cap.ult. de ijsdem habet*, victos magis quam domitos *a Romanis fuisse. Sallustium audiamus, in Iugurth. cap. ult. ingenue profitentem*, Romanorum virtuti alia omnia prona esse: cum Gallis pro salute, non pro gloria certare.

a) *Quæ &* Subalpina *Plinio lib. 16.cap.11. &* Italia Gallica *Appiano in Annibalicis. Divisa ea in* Cisspadanam *&* Transpadanã. *Leander in descript. Italiæ* Lombardiam di là e di quà del Pò *eadem significatione vocat. Padum enim fluviũ Itali* Pò *nominant; &* cis *atq;* trans *per* là *&* quà *interpretantur.*

b) *Va-*

b) *Vatinij tribuni plebis rogatione, extra sortem scilicet, & sine decreto senatus, idq; contra legem Semproniam de provinciis, qua cavebatur, ut quotannis provincia decernerentur. Torrent. h. l. Videndus Cicero ad Lentulum epist. 7. & orat. pro Balbo, pro domo sua, & de provinciis consularibus.*

c) *a capillorum cultu sic dictam, & intonsis quos habet incolis, teste Plinio, lib. 11. cap. 37. post pr. Pyrenæis jugis, Rheno, Oceano & Gebenna inclusam.*

d) *Non absimile quid est in Livio lib. 1. c. 17. f.* Cum sensissent ea moveri patres, offerendum ultro rati quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, ut &c. *Et lib. 6. cap. 17. f.* Remisso, id quod erepturi erant, ex SC. Manlius vinculis liberatur. Imminentem necessitatem sponte prævenire, *inquit in simili re Tacitus lib. 1. Annal. cap. 30.*

a) *Cum senatores adessent in Curia frequentes.*

b) *Ab eo tempore. post hac.*

c. d) Insultare capitibus *idem est, quod infra in Nerone cap. 45.* illudere capitibus. *Vtrumq; de fœda Venere dicitur, ut ostendunt Lipsius not. 49. ad Tacit. 13. Annal. & Muretus observation. juris cap. 7. Offensi, ii, quos contemnebant contumeliæ causa tale quid minitabantur, ut apud Catullum aliquot locis perspicitur. Hæc propria specialisq; phraseos hujus est significatio. Generalius autem accepta, notat idem quod Græcis est ἐνυβρίζειν, ludibrio & contemptui habere: quod se facturum Cæsar hoc loco jactat. Sed alter, quisquis ille fuit, phrasin ab hoc generali ad illum specialem & obscœnum sensum trahens, negat facile hoc ulli fœminæ fore. Nam id Veneris genus masculorum tantum est. Exprobrat ergo Cæsari vel prostratam Regi Nicomedi pudicitiam, de qua, superius autor cap. 2. vel effœminatos illos gestus ac molles, a Cicerone quoq;, teste Plutarch. Cæs. pag. 709. in eo notatos, componendi accurate comam, caputq; uno digito scabendi. At Cæsar ἀλλοκότως, arreptam fœminæ vocem in suum usum detorquet, & exemplo Semiramidis ac Amazonum ostendit sibi quoq; viam ad imperium minime præclusam.*

e) *De γυναικοκρατίᾳ locus hic est, à Cæsare, ut apparet, non improbata: quam tamen prudentiæ magister Tacitus adeo non probat, ut in Germ. cap. 45. scribat,* Sitones, gentem Suevicam, dum imperio fœmineo colla submittunt, in eo non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerare: *à libertate quidem, cum cæteri fere omnes Germani sint ἀυτόνομοι; ipsi autem sub regno vivant; a servitute vero, quia scilicet alij, etsi serviunt sive regnantur, Regibus tamen serviunt, ac proinde viris; ipsi autem fœminis parent, quibus tamen natura prudentiam, autoritatem, taciturnitatem, constantiam, cæteras q; virtutes imperatorias, ut plurimum negavit, eas q;* (cum Plinio dicam in panegyr. c. 83.)

obsequii gloria contentas esse *jußit. Quod & nonnullibi legibus, quas vocant, fundamentalibus (qualis est Gallorum Salica, vetans regnum a lancea transire ad colum) cautum scimus. Quod si tamen à Deo, populo, lege, moribus, specialis regnorum conditione necessitateq; sic flagitante, fœminis imperium (& fit hoc non raro) deferatur, ob sexum non excludendas esse putamus, præsertim cum nonnunquam inveniantur, quæ ad exemplum Aggrippinæ apud Tacitum lib. 6. Annal. cap. 25* virilibus curis Fœminarum vitia exuerunt: *nec muliebris imperii boni fælicisq; desint exempla, cuiusmodi præterea, quæ hoc loco producit autor, plura collegit Lipsius lib. 2. monit. & exempl. polit. c. 3. quibus, nisi nimium Hispanizaret, addidisset etiam exemplum Elisabethæ, Angliæ Reginæ laudatissimæ, cuius consiliis sapientissimis Anglia annis plusquem 45. gubernata, ad summam fælicitatem usq; floruit.*

CAPUT XXIII.

Functus consulatu, C. Memmio Lucioque Domitio prætoribus, de superioris anni actis referentibus,[a] cognitionem senatui detulit, nec illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes, absumto, in provinciam abiit: & statim[b] quæstor eius in præjudicium aliquot criminibus arreptus est. Mox & ipse a L. Antistio tribuno plebis[c] postulatus,[d] appellato demum[e] collegio,[f] obtinuit, cùm Reipub. causa abesset, reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno negotio habuit[g] obligare semper annuos magistratus, & cõpetitoribus non alios adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui sibi pepigissent propugnatùros absentiam suam: cuius pacti non dubitavit a quibusdam jusjuranduni, atq; etiam syngrapham, exigere.

1.

2.

3.

a) *Quam supra cap. 15.* disquisitionem *appellavit autor, ut & in Nerone cap. 2. ubi simul causam huius disquisitionis exponit: quia Cæsar consulatum adversus leges auspiciaq; gessisse existimabatur.*

b) *Non fallit hic ratio Casaubonum, de eo potius, qui fuit Cæsari consuli quæstor, quam qui euntem in provinciam erat comitaturus, hæc accipiente, Praterquam enim quod verisimile non est, post obitum Cæsaru remansisse in urbe, ejus tum quæstorem; etiam subjuncta vox* præjudicii *hoc arguit, quæ in quæstorem provincialem, utpote qui nihil dum una cum Cæsare gesserat, cadere non*

potest:

potest: urbano autem quæstore damnato, qui Cæsari fuerat in administranda Repub. socius, de Cæsare ipso, ob parem utriusq; causam, idem erat metuendum. Fuit quippe præjudicium *velut exemplum, ad quod causa subsequens decideretur.*

c) *Accusatus in judicio. Verbum autori non infrequens: ut supra c. 4. De labellam repetundarum postulavit. Et in Aug. c. 16. postulabatur injuriarum.*

d. e) *Cum provocasset ad cæteros è collegio tribunos.*

f) *Legis Memmiæ beneficio scilicet, quæ eorum, qui Reipub. causa abessent, recipi nomina (id enim est hoc loco,* reum fieri) *vetabat. Autor Val. Max. lib. 3. cap. 7. ex 9.*

g) *Obnoxios sibi reddere. Livius lib. 1. cap. 35. n.* 10. Tarquinius Priscus non minus regni sui firmandi, quam augendæ Reip. memor, centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati, factio haud dubia Regis, cujus beneficio in Curiam venerant. *Eadem causa* Perdicca, mortuo Alexandro, inter Principes, provincias dividit, ut munus imperii, beneficii sui faceret, *teste Justino. lib. 13. cap. 4.*

CAPUT XXIV.

Sed cum L. Domitius, consulatus [a] canditatus, palam
1. minaretur, coss. se, effecturum quod prætor nequisset, adempturumque ei exercitus: Crassum Pompejumque in urbem [b] provinciæ suæ Lucam extractos compulit, ut detrudendi Domitii causa consulatum alterum peterent: & ut in quinquen-
2. nium sibi imperium prorogaretur: perfecitq; utrumque. Qua fiducia ad legiones quas à repub. acceperat, [c] alias privato sumtu addidit: unam etiam ex Transalpinis conscriptam, [d] vocabulo quoq; Gallico ([c] *Alauda* enim appellabatur) quam disciplina cultuque Romano institutam & ornatam, postea
3. universam civitate donavit. [f] Nec deinde ulla belli occasione, ne injusti quidem ac periculosi, abstinuit, tam fœderatis quam infestis ac feris gentibus ultro lacessitis: adeo ut Senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli *dedendum eum hostibus censue-*
4. *rint.* Sed prospere [g] decedentibus rebus, & sæpius, & plurium

qu âm quiſquam umquam dierum [h] ſupplicationes impetravit.

a) *I. Lipſius elect. lib. 1. cap. 13. demonſtrat, Romanis in veſtitu placitum quondam colorem album, ſive quia is, ut Plato vult, latitiæ proprius & deorum: ſive potius agreſtis illa & prima gens, ſpretis accerſitis coloribus, lanæ nativum retinuit, id eſt, album. Sed petitores non contenti inſito lanæ colore, cretam addebant in veſtem, ut candeſceret, imo ſplenderet. Ideo Polybius λαμπρὸν dicere malnit petitorũ togam, quam λευκὴν: & Latinè commodè eam dixerimus ſplendentẽ. Hac ergo nota petitores honorũ a vulgo diſcreti, & κατ' ἐξοχὴν dicti Candidati.*

b) *Gallia Ciſalpina. Plinius tamen lib. 3. c. 5. Lucam Hetruriæ facit oppidum.*

c) *Quæ nonnulli hic interſerunt*, alias publico, *meliorum codicum conſenſu, doctorumq; virorum decreto, dudum ſunt ejecta.*

d) *Notandum exemplum. Galli in Romanam militiam adſciti à Cæſare, Gallicum & ipſi ſibi nomen ſumpſerunt, non Romanum, turpi hominum noſtratium hujus temporis nota, qui quavis vel corruptiſſima lingua, quam ſua ipſorum, quam puriſſimam habemus, vocari malunt. Ecquæ enim militaris aut operis, aut officij pars eſt, cujus non à Gallis, Italis, Hiſpanis, appellationem Germani petant?*

e) *Neſcio quid hic mendi ſubodorari mihi videor. Si nullo codicum antiquorum ſubſidio nixus, reſcriberem*, Alaudarum appellabatur: *facili literarum ductu* enim *tranſeunte in* tum: *vel hoc modo*: Alaudarum enim ap. *forſan audaculus haberi queam. Sed certe id fecero Cicerone non nolente, atq; etiam invitante. Nam is ubiq; πληθυντικῶς* seu *multitudinis numero, nominis hujus meminit*: *nec legionem* Alaudam, *ſed milites ipſos* Alaudas, *ac* legionem Alaudarum *appellat*: *ut Philippic. 14. 8. Phil. 5. c. 5. Phil. 11. c. 18. Phil. 13. c. 2. ad Attic. lib. 16. epiſt. 8. Sic olim Cares, teſte Plutarcho in Artoxerxe, propter galeas criſtis inſignes, militari Laſcivia, Ἀλεκτρύονες*, galli gallinacei *vocitati fuerunt. quomodo etiam noſtra tempeſtate certam militum manum, qua ſe adverſus inopinos hoſtium inſultus tuentur Clivenſes, ejuſq; tractus incolæ, à noſtratibus* die hanen *ſedern appellantur: ubi tamen ipſam Carum criſtatorum legionem parum, ni fallor, concinne*, gallum gallinaceum *appellaveris: etſi rectè Adæus quidam Athenis, nomine ſingulari ſingularis ipſe, Ἀλεκτρύων.* Gallus gallinaceus *ex eo cognominatus eſt, quod criſtam in capite geſtaret, teſte Athenæo lib. 12. c. 8. Sed hanc tamen corrigendi lubidinem ſufflaminat autoritas Plinij, qui de eadem illa legione Gallicana ſingulariter item in lib. 11. initio capitis 37. Paro volucris, inquit, ex illo (puta capite criſtato) Galerita appellata quondam, poſtea Gallico*

vocabulo

vocabulo etiam legioni nomen dederat Alaudæ. Quæ Plinij verba malè Sabellicus assecutus, ex iis apparere dicit, Alaudæ nomen legioni datum, quia milites galeis essent instructi, cum Galli galeam, alaudam vocarint: prout etiamnum hodiè in plurimis VVallonum Galliæ Belgicæ pagis, Salade galeam significat. Quin imo, si rectus oculus Plinium intueare, hoc dicit: ut alauda avis ideo dicta est galerita, quia apicem habet in capite, hoc est, plumam elatam, ad similitudinem galeri: sic legionem istam Gallicam a cristarum gestamine cognominatam Alaudam. Ostendit autem non modo Casaubonus hoc loco, sed & fusè Phil. Cluverius Germ. antiq. libro 1. cap. 44. solitos priscos ut alios, ita præcipue Germanos Gallosq; militum galeis, cristarum adjectione, terribiliorem speciem addere, eo quod primi in omnibus prælis oculis vincantur, ut inquit Tacitus in Germ. cap. 43. Cæterum ipsam Alaudæ vocem, etsi admissam postea in Latinorum vocabulorum classem, origine tamen fuisse Gallicam, arguit cùm non abludens ab alaudæ voce vox alouette, qua hodieq; utuntur Galli. tum etiam quod ante Cæsarem id vocabuli Latinis incognitum; ac ne citerioris quidem ævi scriptoribus nimis tritum. Ecce enim Plinius & loco dicto, & lib. 30. cap. 7. galeritam, & Agellius lib. 2. cap. 29. cassitam hanc avem appellant, Quid vero de Ioannis Goropij Becani sentiendum etymologia, qui lib. 8. hieroglyph. item lib. 1. Gallic. Alaudam legionem voce Cimbrica dictam hariolatur, non propter similitudinem avis cristatæ: sed quia tota ex veteranis constaret, ut sit quasi Al-aude? Plinio & rationi contraria est: quomodo cæteræ illiusdem originationes, utut acuminis specie multos capiunt, ita plerumq; sunt absurdæ, ut vix absq; risu Lucillianus ille Crassius, Heracletusve, nec sine indignatiuncula Democritus, si vivant, lecturi videantur. Ios. Scaligeri, castigat. ad Festum pag. 15. & Lipsii centur. 3. ad Belg. epist. 40. magnorum virorum, de eo viro judicia mihi magna.

f) Exemplum ambitionis ex omni occasione triumphum quærentis, ut loquitur Plinius panegyr. c. 16. Iuvenali quoq; perstrictum, satyr. 10. illis versibus:

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens, &c.
Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se
Romanus, Grajusque, ac Barbarus induperator
Erexit: causas discriminis atque laboris
Inde habuit. Tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis. ——

Adde Alberic. Gentilem de armis Romanor. lib. 1. cap. 11.

g) *Lipsius jam pridem emendabat*, cedentibus: *quod & Grutero placeret, nisi codicum consensus pro recepta lectione staret: Casaubonus*, ei cedentibus, *aut* cadentibus. *Verum neq; hic libenter ab omnibus libris discedit, & recte monet, ista talia nonnulla καινοφωνῶν Suetonio propria esse posse. Certe* decedere *& significationis hujus, & compositionis, ratione, non modo Graco* ἀπαλλάττειν *vel* ἀπαλλάττεσθαι, *sed & nostrati*, ab/ehn/ablauffen/ *examussim respondet.*

h) *Erant ha, quando re feliciter gesta ex Senatusconsulto templa aperiebantur, populo certatim ad pulvinaria confluente, dinq; pro eorum in Remp. merito supplicante, gratiasq; agente. Quodammodo respondent* ἐπινικίῳ *nostratium hymno*, Te Deum laudamus, *processionibusq; solemnibus. Qua de re pluribus Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 5. cap. 27. Notet hoc loco lector prudens, verissime dictum à Seneca tragœdo, Hippolyt. v. 598.*

Honesta quædam scelera successus facit.

Et Hercul. Furent, v. 251. ----- prosperum ac fælix scelus
Virtus vocatur. ------

Sic alter Seneca lib. 2. de ira, fine capitis 8. Pro gloria habentur, quæ, quamdiu opprimi possunt, scelera sunt. *Noster ille Cæsar, paulo ante dedendus hostibus, ut pro civitate perfidiam expiaret, quemodo olim Hanno Carthaginiensis censuit Annibalem dedendum esse Romanis ad pœnam, ob ruptum fœdus, teste Livio lib. 21. c. 10. prospere succedente scelere, decreto publico supplicationum honorem impetrat. Ita Catilina, sceleratus & parricida vocatur, quia conatus opprimere patriam, ipse oppressus est: at idem ille Cæsar, felix & pater patriæ, quia perfecit. Quid regnorum venatores, & prædones orbis, hodie? Taceo & ingemisco.*

CAPUT XXV.

Gessit autem [a] novē annis, quibus in imperio fuit, hæc fere. 1.
Omnem Galliam, quæ [b] à saltu Pyrenæo [c] Alpibusq; & mon 2.
te [d] Cebennâ, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque [e] circumitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac benè meritas civitates, in [f] provinciæ formam redegit, eiq; g quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit. Germanos qui trans Rhenū incolunt, primus Romanorum, h ponte fabricato agressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est & Britannos, [i] ignotos antea, 3.
superatisque pecunias & obsides imperavit. Per tot successus 4.

sus ter, nec amplius,[k] adversum casum expertus: in Britanniâ, classe vi tempestatis propè absumptâ: & in Gallia, ad Gergoviam legione fusa: & in Germanorum finibus, Titurio & Aurunculejo [l] legatis per insidias cæsis.

a) *Octo tantum annos Dio numerat, longius à fine libri 44. Appianus in epit. de bell. Gallic. ipseq; alibi Suetonius, decem.* Παχυλῶς *hi omnes* καὶ κατὰ πλάτος. *Decennium enim fuit, semestri minus.*

b) *Ejciunt quidam à, nec abest incommodè.* Saltus Pyrenæus, *qui & Livio 21. c. 23. & Æmilio Probo in Hannibale sic dicitur, montes Pyrenæos significat, Hispaniam à Galliâ dividentes, quos etiamnum Hispani vulgo* los Pireneos *vocant universim. nam partes illorum particularia nomina habent. Dictum volunt plerique vel* ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *ab igne: quod crebris fulminum ictibus feriatur: sive quod eius sylva (autore Diodoro lib. 6.) injecto à pastoribus igne, quondam universa conflagrarint. Silio Italico judice, lib. 3. Pyrene puella, Bebrycis filia, in eo monte ab Hercule compressa, ibique quum à feris laniata esset, sepulta, denominationis hujus honorem tenet. Est & in Germania mons Pyrenæus, non ille à Georgio Fabrico (in itin. Chemnicens. post princ.) fabricatus, ut temere VVolfgangus Hungerus in annot. ad Cuspin. sub Conrando Salico. scribit: sed priscis etiam autoribus notus, Appiano, Plinio panegyr. c. 14. Seneca, consol. ad Helv. c. 6. (Lipsius cum hæc duo loca in suis ad ea notis aliter accipit, non est Lipsius) itemq; Dionysio. Quo pertinet & epigramma Bassi, quod in laudem Germanici edidit:*

ἕρια πυρηναῖα, καὶ αἰ βαθυάγγεες ἄλπεις,
αἵ ῥ' ἅμα τοῖς ἰγνὺς ἀποβλύπτελε. h. e.

Saxa Pyrenæi, & depressæ vallibus Alpes,
Quæ Rheni fontes haud procul aspicitis.

Philargyrius in Virgyr. 4. Georg. Brennum *hunc montem vocat, quomodo etiamnum à Germanis appellatur* Brenner *vel* Prenner, *ab urendo, ut putatur. Nam frigore urere in media æstate, expertum se, cùm in Comitatu Tyrolensi eum aliquando superasset, scribit Ortelius in thes. Geogr. Quanquam Fabricio in eo loco quem citavimus.*

Incertum, Hispanis an nomen traxerit ille
Montibus; aut aliâ quâ sit ratione vocatus.

b) *Qui sunt montes, longissimi tractus, Italiam à Germaniâ & Gallia, tamquam muro nativo, separantes. Hodie multis locis, in Germania, adhuc & isti, & alij montes altiores,* Alben *vocantur.*

d) *Qui mons, ut Cæsar lib. 7. bell. Gall. cap. 8. scribit, Arvernos* (ceux d'Avergne

d'Avergne) *ab Helviis* (ceux de Vivaretz) *distinguit. Dicuntur hodiè* Montagnes de Cebenes, *&* Cevenes, *ut Scaliger suis ad Merulam literis monet, & ex eo* Cebenna *per* C. *veram genuinamq; scripturam esse confirmat ut rectius* Κεμμενὸν *Ptolemæo & Straboni*, Cebennæ *Latinis quibusdam, decantur.*

e) *Animadversione dignum est, quod omnes non modo Historici, sed etiam Geographi veteres (excipio Polybium & Ptolemeum) ut insularum, ita regionum quoq; ut hic Galliæ, magnitudinem, ex* circumitu *seu ambitu, colligunt. Atqui quam sit erronea ea conjectura. Quintilianus docet lib. 1. instit. orat. cap. 10. ut pudeat, Rhetori tam elegantem usum Geometri notum esse, qui pleriſq; summis hominum, opinione philosophis plane sit ignotus. Sic autem ille*: Quis non ita proponenti credat: quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt, eorum spacia quoque, quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id falsum est. Nam plurimum refert, cujus sit formæ ille circuitus: reprehensique à Geometris sunt Historici, qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa circumcurrens linea, si efficiet orbem, quæ forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur, quàm si quadratum paribus oris efficiat. Rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus æquis lateribus, quam inæqualibus. Unde etiam fieri potest, ut majore circuitu, minor loci amplitudo claudatur. *Geometræ concise & uervose sic efferunt*: *Ex isoperimetris homogeniis ordinatius est majus; ex heterogeneis, ordinatis terminatius.*

f) In provinciæ formam redigere, *nihil erat aliud, nisi leges domesticas adimere, & Romanas dare, ac Prætorem, qui quotannis, ex legibus datis provinciam administraret, instituere. Sigonius passim de ant. jure Italiæ & provinciarum.*

g) *Ita è Vaticano cod. Lipsius ant. lect. lib. 5. c. 18. adfirmante emendationem Eutropio lib. 6. ubi de Cæsare*: Galliæ autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties. *hoc est, decies centena millia Philippicorum, Qua de supputatione per occasionem alibi.*

h) *De quo vide Cæsarem ipsum lib. 4. bell. Gall. cap. 17.*

i) *Britannorum dux Galgacus hoc ipsum Romanis objectat in illa cordatâ ad milites oratione, apud Tacit. vit. Agric. c. 30.* Nos terrarum, inquit, ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit nunc terminus Britanniæ patet: atque omne IGNOTUM pro magnifico est. Sed

est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus & saxa, & iis feriores Romani &c. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens satiaverit, &c. *Quo ex loco tum illud patet, Americam (à secundario inventore sic appellatam, non sine injuria primi, Christophori Columbi) priscis incognitam fuisse: quomodo etiam cap. 12. ejusdem libelli Tacitus* Britanniam extremam terrarum, *& cap. 33.* ipsum terrarum ac Naturæ finem *appellat: tum etiam vere scriptum à Sallustio infragm.* Romanis unam, & eam veterem bellandi causam, profundam Imperii cupidinem esse. *Atq; utinam non etiam hodie Tiridatis, Armeniæ Regis barbari, vere barbarum illud apud Tacit. 15. Annal. 1. approbatores suos inveniret:* sua retinere, privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse! *Cui perverso judicio judicium sanum pium q; B. Augustini opponimus, lib. 4. de civit. cap. 6.* Inferre bella finitimis (*& quanto magis ignotis?*) ac inde in cætera procedere, & populos sibi non molestos, sola regni cupiditate conterere ac subdere, quid aliud quam GRANDE LATROCINIUM nominandum est?

k) *Et hoc ipsum quin ad prudentiam Cæsari cautionem q; profuerit, dubitandum non est. Revera enim τὰ παθήματα μαθήματα*, nocumenta documenta sunt, *ut inquit Crœsus apud Herodotum lib 1. c. 207 quod nostri:* was verkehrt/ das lehrt. *Ὁ πονήσας δὲ νόῳ, καὶ φρεμάθειαν φέρει*: qui mente laboravit, Prudentiam, inde aufert, *ait ister. od. 1. Pindarus.* Vexatio dat intellectum. *Es. 28. 19 id q; imprimis in re bellica verum, in qua ἐμπειρότεροι γίνονται οἱ κινδύνων τὰς μελέτας ποιήμενοι*: periculis ipsisq; cladibus edocti, usu peritiores evadunt, *quod de Græcis prædicat Thucydides lib. 1. longius à prin. Contra qui assidue in rebus prosperis & lætis, vix sapiunt. Annibal apud Livium lib. 30. c. 30. m.* Non temere incerta casuum reputat, quem Fortuna nunquam decepit. *Idem apud eundem lib. 36 cap. 7. ad Antiochum*: Hæc suadeo, qui ut non omnis peritissimus sum belli, cum Romanis certe bellare, bonis malisque meis didici. *Et ille quidem alienis auspiciis gessit bellum, tales autem & qui suis. Ecce Caractacum, Silurum Regem, multa* ambigua, *multa prospera extulerunt, ut cæteros Britannorum Imperatores præmineret, adfirmante Tacito lib. 12. Annal. c. 33. Ecce Mithridati Regi fortuna, multis rebus erepta, usum dedit bene suadendi, quod ipse de se confirmat in epist. ad Arsacem, apud Sallust. lib. 4. hist. Ecce (nam & sequioris ævi exempla dabo) Carolus V. Galliarum Rex, & re & cognomine Sapiens, unde nisi quòd à teneris adversa fortuna jactatus, patrem suum Iohannem capi abduciq; vidit, & regnum pæne totum ab Anglis occupari? Ludovicus XI. plane callidus: sed & ille per annos 6. à patre & patria profugus, apud Philippum*

lippum Ducem Burgundiæ egit, quid nisi exsul? Superiori memoriâ Princeps Allobrogum Emanuel in eadem hac classe fuit. Horum fortuna solare te, quisquis es, magnanime Princeps. quippe, quod cum experientia docet Virgil. Æn. II.

---- multos alterna revisens
Lusit & in solido rursus Fortuna locavit.

1) *Legati hic sunt, qui maximam in exercitu potestatem absente Imperatore cum parte copiarum in expeditionem mittuntur. Vulgo* Leutenant, *quod è Gallico* Lieutenant. *& hoc ex Latino* locum tenens *detortum.*

CAPUT XXVI.

Eodem temporis spatio [a] matrem primo, deinde [b] filiam, nec multo post [c] neptem amisit. Interimque quæ consternata [d] P. Clodii cede Repub. cum Senatus [e] unum cos. nominatimq; Cn. Pompejum fieri censuisset, egit cum tribunis plebis collegam se Pompejo destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri cæpisset, petitio secundi Consulatus daretur, ne ea causa [f] maturius, & imperfecto adhuc bello, decederet. Quod ut adeptus est, [g] altiora jam meditans, & spei plenus, nullum [h] largitionis, aut officiorum in quemquam genus, publice privatimque omisit. [i] Forum de manubiis inchoavit: cuius area super [k] HS. millies constitit. [l] Munus populo epulumque [m] pronunciavit in filiæ memoriam, quod ante eum [n] nemo. Quorum ut quam maxima expectatio esset, ea quæ ad epulum pertinerent, quamvis [o] macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat. Gladiatores [p] notos, sicubi, [q] infestis spectatoribus dimicarent, [r] vi rapiendos reservandosque mandabat. [s] Tirones neque in [t] ludo, neque per [v] lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per [x] senatores armorum peritos erudiebat: precibus enitens, quod epistolis ejus ostenditur, ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique [y] dictata exercentibus darent. [z] Legionibus stipendium in perpetuum duplicavit. Frumentum, quoties copia esset, etiam modo

sine

aa sine modo mensuraque præbuit: ac singula interdum mancipia bb & prædia viritim dedit.

a) *Aureliam.*

b) *Iuliam, Pompeij uxorem.*

c) *Filiam Pompeij, quæ non multos post dies mortem matris Iuliæ secutā fuit. an filium dicam? Nam &* nepotem *hic aliqua manuscripta proferunt, ad Lucani & Velleij mentem, à qua stat Lipsius Elector. lib. 2. c. 17. Pro recepta autem lectione Plutarchus & Dio. Sed bene Casaubonus rem contentione non dignam autumat, ut in qua facile diversa scripserint Auctores, cùm in aliis longe maioribus sæpe dissentiant.*

d) *Rem narrat præter alios Appianus lib. 2. bellor. civil. longius à princ.*

e) *Videndi, Livius epit. 107. Plutarchus in Pomp. & Cat. min. Appian. lib. 2. bell. civili. Valer. Maximus lib. 8. c. 15: Cæterum ut binos Consules, ab initio, exactis Regibus continua serie creatos novimus: ita apud unum, imperium consulare stetisse, præter hoc Pompeij, vix aliud exemplum reperias, nisi quod Syllæ temporibus, Cinna interempto, solus Carbo, & occiso in bello sociali Rutilio, solus Sextus Cæsar, consulatum gessere, teste Appiano lib. 1. bell. civil. & Livio epit. 83. Sed illi tamen à principio suos quisq; collegas habuerunt: Pompejo uni soliq; consulatum decrevit Senatus, quod factum, ne quid eo temporum statu detrimenti Respub. caperet. Nam ut sapienter admonet, 1. Annal. 9. Tacitus:* non aliud discordantis patriæ remedium est, quam ut ab uno regatur. Præcipue vero plurium imperium, *asserente Livio, 4. c. 31:* bello inutile est. Nam tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alii videtur, aperiunt ad occasionem locum hosti. *Quæ causa, teste eodem lib. 3. c. 70.* in exercitu Romano, cum duo Consules essent, potestate pari, quod saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summa imperii, concedente altero collega, penes alterum erat. *Sane Germanis Principib. contra Carolum V. Imp. belligerantibus nihil magis obfuit, quam quod consilia bellica essent divisa inter Io. Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philippum Landgravium, quod summa rei non esset penes Philippum Landgravium, ut prudenter annotavit Sleidanus. lib. 18. Quod si ergo vel hæc species Monarchiæ salutaris; quanto magis ipsa Monarchia?*

f) *Casaubonus,* immaturius. *Nihil mutaverim. nam id vocis etiam notat,* citius, properantius, ante tempus, *ut patet, ex seq. cap. 80.*

g) *Naturam observa cupiditatum humanarum, quæ tam temperatæ nunquam sunt, ut in eo quod contigit, desinant: gradus à magnis ad majora fiet:*

& spes improbissimas complectuntur, insperata assecuti, ut ait Seneca lib. 1. de clem. cap 1. Adsonat illud Thucid. lib. 4. in orat. legator. Lacedæmonior. οἱ ἀήθως τὸ ἀγαθὸν λαμβάνοντες τῶν ἀνθρώπων, ἀεὶ τοῦ πλέονος ἐλπίδι ὀρέγονται, διὰ τὸ καὶ τὰ παρόντα ἀδοκήτως εὐτυχῆσαι. *Quem locum imitatum esse Livium 30. c. 42. opinatur P. Victorius lib. 25. V. L. c. 3. Pertinet huc & illud Nicephori Gregoræ lib. 4. c. 5.* οὐκ ἔστι τῶν πάνυ ῥᾳδίων, τέρας λαμβάνειν τὴν ἀνθρώπων πλεονεξίαν· μέχρις ἂν ἐπιμένῃ τῇ τε δεξιᾷ, καὶ τῇ αἰχμῇ τὸ δύνασθαι: Avaritia (*adde ego, ambitio*) humana non facile acquiescit, dum conatibus fortuna respondet, *&, verbo Basilij Magni,* οὐδαμοῦ τῆς εἰς τὸ πρόσω φορᾶς ἵσταται: semper ulterius progrediendo, nunquam sistit.

h) *De hac largitione Cæsaris admiranda, vel stupenda potius, distincte Lipsius in Admirand. lib. 2. c. 12.*

i) *De hoc videndus Alexander ab Alex. lib. 2. Genial. dier. cap. 12. & ibi Tiraquellus. Præcipue Lipsius de magnit. Rom. lib. 3. cap. 7. pag. 142. & Pollet. hist. fori Rom. lib. 1 c. 3. in princ. pag. 15. f 10. seq.*

k) *Sestertius dictus, quasi semistertius aut sesquitertius. eo quod in se contineat asses duos cum semisse, seu tertio asse dimidiato (De prisco sestertio hoc accipe. Nam ubi eius valor, non tamen pondus, bello Punico II. prout etiam nostris hisce temporibus accidit, auctus est, sestertium quaternis assibus permutatum esse docet Plinius lib. 33. c. 3.) Hinc per geminum II. & S. à qua semis incipit, notatur hoc modo H. S. Sestertium autem in neutro genere, & in plurali sestertia, singula valebant mille numos sestertios. hoc est, 25. Philippicos Hispan. Vnde* Sestertium millies (*ita compendio dicebant, pro, centena millia sestertium*) *hoc loco sunt, ex supputatione Lipsii, vicies quinquies centena millia Philippicum, quæ tantum in aream fori expensa. Nostri homulli hodie Suetonium hic dicant mera mendacia flare. Sed ad Ovidium eundum nobis est, ut animos veteres, pro veteris ævi magnificentia, capiamus.*

l) *Spectacalum gladiatorium. Dictum supra, cap. 10. 3. a.*

m) *Quod & supra cap. 19. 1. e. submonuimus,* pronunciare *munus, est, palam promittere, quod factum, propositis à Munerario seu Editore libellis, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: scilicet allicienda plebi, & expectationi commovendæ. Noster autor. Tit. c. 8. id vocat* proponere *munus: Cicero alicubi,* ostendere. *Videnda Lipsii Saturnalia, lib. 2. c. 18.*

n) *Nemo? Atqui Faustus quoq; Syllæ filius, in honorem defuncti patris, ludos gladiatorios exhibuit, populoq; præbuit epulum. Autor Dio, lib. 37. Idem in funere Africani Q. Maximum fecisse, testis est in Muræniana Cicero. Sed nimirum de Fæminarum funeribus autori sermo, quarum honori stirps illa Veneris*

Cæsar,

Cæsar, primus etiam hoc modo (piget pudetq;) consultum voluit. Nec dubitandum, quin eius exemplum alii cupide sint imitati. Spartianus certe scribit, Hadrianum præcipuos honores socrui suæ ludis gladiatoriis impendisse. De ludis epulisq; funebribus amplius agit Ioan. Kirchmann. fun. Rom. lib. 4. & in Saturnalibus Lipsius.

o) *Macellarij, sunt, ὀψοπῶλαι. cupedinarij, qui obsonia deliciasq; popinales parant & vendunt, Turnebus ad Cic. orat. 2. Rull. (pag. 62. f.) notat, lanios pecudum carnem, macellarios ferarum & avium tractare.*

p) *Nobiles, famosos, celebres.*

q) *Lactantius lib. 6. divinar. instit. cap. 20. ferinam immanemq; Romanorum in spectandis ludis gladiatoriis voluptatem gravissime perstringens.* Hos, *inquit*, ludos, vocant, in quibus humanus sanguis effunditur. Adeo longe ab hominibus secessit humanitas, ut cum animas hominum interficiant, ludere se opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum sanguinem voluptati habent. Quæro nunc, an possint pii & justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi: sed & flagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia: &c. irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est, & tamquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. *Eum populi furorem tangit & Cicero pro Milone*: In gladiatoriis pugnis, timidos, & supplices, & ut vivere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes, & animosos, & se acriter ipsos morti offerentes, servari cupimus. *Ex his intelligitur, opinor, quid hoc loco sit*, infestis spectatoribus dimicare. *Scilicet in arena, populi præcipuum jus fuit. Intercedebat pro victis lassisq;: idem interfici jubebat. Ea jussio facta pollice converso, quod patet ex Iuvenalis satyr. 3. v. 36. Favoris contraria nota, premere pollicem. Plin. 28. c. 2. sub fin. Hæc hausimus è Politian. miscell. c. 42. Turneb. adverss. lib. 11. c. 3. Lipsius. Saturnal. lib 2. c. 22. Sabellicus aliter*: infestis spectatoribus, *inquit, passive dixit, hoc est, gladiatorum injuriæ obnoxius, itaq; vi rapuit, in allata spectatoribus injuria ultionem S. bellice, da verbo veniam: ineptus.*

r) *Discrimini surripiendos, non misericordiæ, ne erres: sed ut sibi reservatis iis, munus suum gladiatorium, quod magnificentissimum parabat, institueret. Hujus muneris Cæsarei meminit & Plinius lib. 15. c. 18. circa fin. & lib. 19. c. 1. f.*

s) *Novitios, Gladiatoriæ artis imperitos. De his Symmachus lib. 2. epist. 46.* Nam gladiaturæ idoneos, communis cura prospiciet, quæ pars in apparatu Quæstorio prior est, ut auctoramento lectos, longus usus instituat.

t) *Publice enim aperti Romæ ludi gladiatorii, & in iis Magistri (quibus laniſtæ) à quibus juvenes uſum armorum condiſcerent. Videndus præcipue Lipſius lib. 1. Saturnal. Serm. cap. 14. & 15.*

x) *Nam neq; hos puduit gladiatoriam profiteri. Quod & multi poſtea Imperatores fecere. Spartianus de Hadriano*: idem armorum peritiſſimus, & rei militaris ſcientiſſimus, gladiatoria quoq; arma tractavit. *Idem de Vero*: armiſque gladiatoriis ſe & venatibus exercuit. *De Cæſare ipſo vide locum eximium A. Hirtij in commentario belli Africi, cap. 71. Huc revocandus egregius Amirati diſcurſus 10. libri 2. quale Gymnaſium Principibus frequentandum.*

y) Dictata, *ſunt artis gladiatoriæ præcepta, tyronibus à laniſtis data. Verbo eo utitur & Tertullianus ad Martyres c. 1. Nec inepte*, Dictata: *quia reverâ præcepta ſua armorum, commiſere etiam ſcripto, ut patet ex Horatij ſatyr. 11. v. 8. Hirtius gladiatoriam hanc docendi rationem benè cum militari comparat, loco quem paulo ante citavimus.* Cæſar *anquirit*, non ut imperator exercitum veteranum, ſed ut laniſta tirones gladiatores condoce facere: quo pede ſe reciperent ab hoſte, & quemadmodum obverſi adverſariis, & in quantulo ſpatio reſiſterent. *Hoc nobis hodiè eſt* drillen. *Quod autor noſter hoc loco*, Dictata dare, *laniſtæ noſtrates eodem modo*, die lection geben. *Ita ludij iſti verbis plerisq; à meliore noſtro Ludo deſumtis utuntur. Unde etiam iidem illi laniſtæ, honeſtiori, & nobis Academicis invidendo verbo nominati olim Doctores, & Magiſtri, quod patet ex Val. Max. lib. 2. cap. 3. Quintilian. declam. 302. & Cicer. 3. de orat.*

z) *De hoc loco, & univerſim de ſtipendio militum Rom. uberrime Lipſius Elect. lib. 1. c. 2. De mil. Rom. lib. 5. Dial. 16. Ad lib. 1. Annal. Taciti, excurſ. F. Nec addo Soli lucem.*

aa) *ô virum magni benigniq; animi: ſed non nati ad priſcam & ſtrictam Diſciplinam: quæ ab illo profecto magis magisq; eſt lapſa. Quis alioqui modus frumenti militibus dandi fuerit, docet Lipſ. lib. 5. de mil. Rom. dial. 16.*

bb) Pro & prædia, *Ful. Urſinus, approbante Caſaubono & Grutero, mavult* ex præda: *quod & tantorum virorum, & rei gratia, non diſpliceat: etſi ab ingenio ea lectio, non à libris eſt.*

CAPUT XXVII.

Ad retinendam autem Pompeij[a] neceſſitudinem ac voluntatem, Octaviam ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, I.

pta erat, [b] conditione ei detulit, sibique filiam eius in matri-
2. monium petiit, Fausto Sullæ destinatam. Omnibus verò circa eum, atque etiam parte magna Senatus, [c] gratuitò, aut levi fœnore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo [d] congiario prosequebatur: libertos insuper servulosque cuiusque, prout
3. domino patronove gratus quis esset. Tum reorum, aut [e] obæratorum, aut [f] prodigæ juventutis, subsidium unicum ac promptissimum erat: nisi quos gravior [h] criminum, vel [g] inopiæ [i] luxuriæve vis urgeret, quam ut subveniri posset à se. *his* plane palam *bello civili opus esse* dicebat.

a) *Hoc est, affinitatis jus & conjunctionem, quam &* Necessitatem *vocat Cæsar in suasione legis Plautiæ, citata ab Agellio lib. 13. c. 3. Festi nota huc facit.* Necessarios esse qui aut Cognati, aut Affines, & in quos necessaria officia conferuntur præter cæteros. *Facit ergo duos Necessitudinis gradus: Cornelius Fronto de differentiis vocabulor. tertium addit, Meritorum.* Necessitudo, *inquit*, est vel sanguinis, vel meritorum, cum præceptoribus, cum amicis.

b) *Beroaldus & Sabellicus, doctissimi viri, falluntur haud dubiè, dum hanc vocem in trita significatione capientes, ita locum explicant: ea* conditione, *ea lege, Cæsarem Pompejo detulisse Octaviam, ut & sibi daretur filia Pompeji, & Pompeius in pristino fœdere studioq; persisteret.* Conditio *nonnumquam, & (ut opinor) etiam hoc loco, pro matrimonio & conjunctione sponsaliorum & nuptiarum usurpatur. Exempla Brissonius in de V. S. ex jure producit: aliqua suppeditat & autor noster. Vt in Claud. c. 26.* nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret. *Galb. c. 5.* Neque sollicitari ulla conditione amplius potuit. *Sic. Plin. lib. 1. epist. 14. in fin.* in conditionibus deligendis hic quoque ponendus est calculus, ut census hominum spectentur. *Ex quo propemodum adducor, ut hic pro* conditione, *scribendum existimem,* conditionem, *ut scilicet sit Appositio,* Octaviam conditionem. *& conditio non tam nuptias, quam nuptam ipsam significet: quomodo etiam apud Ammian. Marcellin. lib. 22. c. 9.* admissio *pro* admissionali: *apud Florum,* regna *pro* regibus: *apud Livium* prætura *pro* prætore: *apud Trebell. Pollionem (ubi vide Salmasii Notas pag. 328.* ludus *pro* ludio: *alibi* matrimonia *&* conjugia *pro ipsis* conjugibus: spectacula, *pro* spectatoribus: servitia *pro* servis *&c. sumuntur.*

c) Non

c) *Non insuper habendum, quod Torrentius in uno ms. reperit*, gratuitu, *ne quis forte* gratuito, *referat ad fœnis. Nullum enim fœnus gratuitum est.*

d) Congiarium *a* congio *nomen habet, quæ liquidorum mensura, sex sextariorum capax. Solebant autem antiquitus dare in populum tot olei congios aut vini. Inde nomen ductum longius, ad quasvis, etiam pecuniæ donationes, sed maximè virorum Principũ, aut publicas in plebem, quod* congiarium in capita promissum *vocat Seneca epist. 73. longissime autem ad quodvis munus, privatim & in singulos collatum, ut hoc loco: item apud Senecam consol. ad Marciam, c. 22.* Sejanus patrem tuum clienti suo congiarium dedit. *Et lib. 2. de Benef. c. 16.* Alexandri congiaria fuerunt urbes: hat ganze Stätt verschenckt. *Proprie huc facit illud M. Cœlii*: Plancus magno congiario donatus à Cæsare, *quod extat apud Ciceronem. lib. 8 familiar. fine epistolæ 1.*

e) Domino *ad* servulos *referendum*, patrono *ad* libertos. *Sunt enim ista ex numero τῶν ἀφέσεων.*

f) *Quomodo etiam ad Davidem, in alia tamen fortuna, confugerunt omnes, qui erant in angustia constituti, &* oppressi ære alieno. *& amaro animo, ut est lib. 1. Regum. c. 22. v. 2.*

g) *Aurelio Cottæ, & Haterio Antonino*, quamvis per luxum opes avitas dissipassent, *annuam pecuniam statuit Nero Princeps, quod inter laudes ejus refert Tacitus lib. 13. Annal. cap. 34. & merito. Quid ni enim his talibus quoq; subveniretur, præsertim si solummodo* peregrinatus est eorum animus in nequitia, non habitavit, *ut Valer. Maximus lib. 6. c. 9. de Polemone Athenienſi loquitur, perditæ & ipso adolescente luxuriæ: sed qui tamen Xenocratis præceptis, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Nec me nimiũ terreat in animis adolescentum, tanquam agro salici, subnascens aliquod petulantiæ lolium, qui sciam. & Scipionem Africanum, in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficacius ostendit, solutioris vitæ primos adolescentiæ annos egisse: & Valerium Flaccum, quantum prius luxuria fuerat exemplum, tantum postea sanctitatis & modestiæ specimen evasisse: & Quinto Fabio Maximo adolescente nihil magis infame, nihil eodem sene ornatius, illo sæculo Romam habuisse: & Q. Catulum, L. Sullam, alios, quasi perruptis & dissectis nequitiæ, qua obsidebatur ipsorum adolescentia, claustris, viros magnos evasisse: quod ostendit allegato modo loco Valerius. Adeoverum est, quod Themistocles de se (nam & ipse turpem adolescentiam egerat, à patre abdicationis nota inustam. at quantus vir postea?) prædicavit:* ferocissimos pullos, ubi recte docti & informati fuerint, generosissimos equos evadere. *Plutarch. in Themistocle, sub initium. Adde Latin. Pacat. panegyr. Theodos. cap. 7. m.*

h. i. k) *Accu-*

h.i.k) *Accuratus autor noster est, etiam in iis quæ obiter dicit. Nam tres ecce causas bellorum civilium, quasi aliud agens, exponit. Earum prima vis* criminum gravior. *Aperuit hunc fontem seditionis & Aristoteles lib. 5. politic. c 3. p.* Propter metum, *inquit*, ad seditionem deveniunt, qui pœnas scelerum suorum formidant: & hi, contra quos paratur violentia, prævenire volentes, priusquam malum patiantur. *Exemplum deinde Rhodiorum subjicit. Cui addendum è Thucid. lib. 5. Cleonis*, qui maxime pacis consiliis obstiterat, eo quod in pace conspectiora sua flagitia, minusque fidei suis calumniis futurum putabat. *Sic. apud Liv. 28. c. 24. f.* auctores seditionis, turbatis rebus, cum omnia omnes auderent, minus insignia fore, quæ ipsi fecissent, existimarunt. *Et in Tacit. 1. Histor. 53.* Cæcina cum ut peculator accusaretur, ægre id passus, miscere cuncta, & privata vulnera Reipub. malis operire statuit. *Secunda & tertia (merito jungenda, nam una fere sequitur ex altera) sunt* Inopia *&* Luxuria, *quas & junctim proponit idem Aristoles lib. 5. politic. c. 6. m.* Fiunt in Repub. mutationes, cum homines per luxum sua prodigunt atque consumunt. tales enim, res novas quærunt: & aut ipsi Tyrannidi imminent, aut ad eam alios vocant. *Iungit easdem Tacitus lib. 1. Histor. c. 21. exemplo* Othonis, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium. Multa simul extimulabant: Luxuria etiam Principi onerosa: Inopia vix privato toleranda. *De inopia tamen controversiam movet acutissimus ille ab Hetruria doctor,* --- MACVLOSI nomine notus VELLERIS --- *qui disput. de Rep. lib. 1. c. 1. lib. 2. c. 7. lib. 3. c. 16. & 25. docet*, subditos à motu & rebellione prohiberi, in pace & fide facilime retineri posse, si Inopia cohibeantur. *Hunc magna verborum & rationum acie oppugnat Antimachiavellus (Innocentius Gentilletus, IC. Delphinensis eo nomine occultatur) & inter alia hunc ipsum Suetonij locum opponit. Sed, ut in plerisq; aliis, nisi judicio fallimur, ita hic quoq; Andabatarum more pugnat, & in alienissimum verba Machiavelli sensum detorquet. Lege, relege quæ dixi Machiavelli loca: nihil aliud ab ipso dictum reperies, quàm quod dudum applaudente Veritate Thucidides lib. 1.* Ob soli sterilitatem, terram Atticam (& quæcunq; talis est) minus plerunq; seditionum procellis agitatam, iidem perpetuo homines incoluerunt. *quod de Repub. Rom. Florus lib. 3. c. 12.* Nulla res alia furores civiles peperit, quam nimia Fælicitas. Illæ Opes atque Divitiæ afflixere sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, Rempub. pessum dedere &c *quod alij deniq; autores, quorum testimoniis usus Lipsius lib. 4. politic. cap. 11. demonstrat, è republica esse, subditorum opes minui. At nostro hic Suetonio, ipsiq; Antima-*

rimachiavello, de ea inopia ſermo eſt, quam luxus peperit. Hanc acerrimam ad ſeditiones eſſe ſi mulum, quis negat? Adde Plaut. Trin. prolog.

l) *Hoc eſt, eos non alia ratione ex inopia & aris alieni magnitudine emergere poſſe, quam ſi publicè privatimq; rapere liceat, ut bellis civilibus fieri conſuevit. Nam, ut præclare Salluſtius inquit, in Catil. c. 37.* Semper in civitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis invident, malos extollunt: vetera odere, nova exoptant: odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent: turba ac ſeditionibus ſine cura aluntur; quoniam Egeſtas facile habetur ſine damno.

CAPUT XXVIII.

Nec minore ſtudio Reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat: aliis, captivorum millia dono offerens: aliis, citra Senatus populique auctoritatem, quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens: [a] ſuperque Italiæ, Galliarumque & Hiſpaniarum, Aſiæ quoque & Græciæ [b] potentiſſimas urbes præcipuis [c] operibus exornans: donec attonitis jam omnibus, & quorſum illa tenderent [d] reputantibus, M. Claudius Marcellus Coſ. edicto præfatus, de ſumma ſe Repub. acturum, retulit ad ſenatum, ut ei ſuccederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiſcito Pompejus poſtea [e] abrogaſſet. Accideratque autem, ut is legem de jure magiſtratuum ferens, eo capite quo à petitione honorum abſentes ſubmovebat, ne Cæſarem quidem exciperet, per oblivionem: ac mox [f] lege jam in æs inciſa, & in ærarium condita, [g] corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus provincias Cæſari & [h] privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos [i] rogatione Vatinia [k] Novum comum deduxiſſet, [l] civitas adimeretur: quod per ambitionem & [m] ultra præſcriptum data eſſet.

a) Super *pro* præter. *Quomodo etiam in Tiber. c. 55. Calig. 36. Claud. 1. 5. 14. 26. Neron. 31. Oth. 5. Domitian. 3. Haud. ſcio an aliis autoribus ſic uſurpatum: niſi quod item ex Taciſo nonnulla collegit exempla Beatus Rhenan. in theſauro locution.*

b) Po-

b) Potissimas, *legit Lipsius lib. 2. Admirand. cap. 12. pr.*

c) *Ædificiis, substructionibus.*

d) *Reputavit ante omnes alios* Cato, qui impendentia crebro vaticinatus, importuni tunc & curiosi, post prudentis quidem, sed infœlicis consiliarii nomen sortiebatur, *ut inquit Plutarchus in Cæs. quia scilicet Cæsaris potentia, quam,* crescit occulto velut arbor ævo, *paulatim acquisierat, convelli sine convellentium exitio non potuit amplius. Qua de re Plutarchus ibidem egregie*: Cæsar, *inquit*, in Repub. paulatim colligebat potentiam, quam ejus æmuli existimantes deficientibus sumptibus evanidam brevi fore, securi inclarescere illum in Repub. permisere: sero autem, cum ea ingens & prævalida facta, non occulte jam in rerum mutationem erumperet, animadverterunt, nullius rei initium ita parvum esse putandum quod non assiduitate, magna incrementa illico capere possit, atque eo ipso, quod neglectui atque contemptui est, absque ullo impedimento augescat. *Dum quo scita Aristotelis lib. 5. politic. cap. 3. & 8. planissime congruunt.*

e) *Turnebus adversar. lib. 24. c. 14. pro* nec *legit* ne, *atq; ita distinguit*: quando, ne plebiscito, Pompejus postea abrogasset: *hoc sensu abrogaverat Pompeius lege sua, & antiquaverat plebiscitum, quo Cæsari jus erat absenti Consulatum petendi. Igitur ne plebiscito ratio absentis in consularibus comitiis haberetur, Pompejus obrogaverat lege sua imprudens. Brissonius de Verbor. signif. pro* abrogasset, *ponit* obrogasset, *sensu non malo, sed citra necessitatem tamen, ut docet Casaubonus ad hunc locum, qui* abrogare *pro* derogare *accipit: quomodo autor Glossarij non solum* ἀποκυρῶν, *sed etiam* ἀλλάττειν, *τὸ* obrogare *interpretatur. Differunt alioqui, quod* abrogare *legem, sit eam prorsus tollere:* abrogare *vero, mutare aliquid ex lege*: derogare, *partem ei detrahere*: exrogare *denique, ex lege vetere aliquid eximere per novam legem. Sensus ergo loci hujus, ut ex sequentibus hujus capitis verbis colligitur, is videtur esse*: M. Claudius Marcellus Consul retulit ad Senatum, *ne absentis Cæsaris ratio in Comitiis consularibus haberetur: quandoquidem* Pompejus, *lege de jure magistratuum lata, eo capite, quo à petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exceperit, quamvis hic ante a intercessione tribunorum plebis (supra c. 24.) id obtinuisset: correctionem autem legis, cum jam in æs incisa & in ærarium condita esset, non plebiscito, seu rogatione plebis, sed propria autoritate susceperit. Itaq; vox* plebiscito *non in dandi casu accipienda est, ut subjectum abrogationis vel derogationis significet: sed in auferendi casu, ut instrumentum vel modum abrogandi denotet.* Ab-

tet. Abrogare *autem absolutè positum, respicit ad proximè indicatum caput legis Pompeiæ,* ne absentium ratio comitiis haberetur. *Turnebi explicatio nimis confragosa est, duraq; subauditione laborat, & à consentiente omnium librorum lectione (dum ne pro nec substituit) aberrat.*

f) *Latas leges,* in æs, (*æneas sive tabulas, sive columnas, nam utrumq; factum*) *incidere, jam priscis usitatum fuisse, patet ex illiu Livij, lib. 3. c. 57.* priusquam urbem consules egrederentur, leges decemvirales, quibus, tabulis XII, est nomen, in æs incisas, in publico proposuerunt. *In publico ergo proponi solita, ut oculis civium paterent. Sed &* in ærarium conditas *aliquas, ut & Senatusconsulta, tum ex hoc autoris loco, tum Aug. cap. 94. p. & aliunde discimus. Ibi cum publicis pecuniis, omniumq; publicarum rationum libris reposita asservabantur. Erat autem Ærarium in Saturni Opisq; templo: templum autem in Vico lugario ad Capitolij radices, ut Festi, Macrobij, Plutarchi in problematibus testimonio notum.*

g) *h. e. Cæsarem excipieret à lege generali de submovendis à petitione magistratuum absentibus.*

h) *Plebiscito ipsi concessum, ut soli liceret consulatum absenti petere.*

i) *Lege à Vatinio lata.*

k) *Insubrum in Italia Vrbs est, hodie* Como, *ad Larium lacum, quem ex eo* Comacenum, *den Cumersee dicunt.*

l) *Ius civitatis Romanæ.*

m) *Pluribus quàm publico decreto permissum esset.*

CAPUT XXIX.

Commotus his Cæsar, ac judicans, quod sæpe ex eo auditum ferunt, [a] *difficilius se Principem civitatis à primo ordine in secundum, quàm ex secundo in novissimum detrudi?* summa ope restitit, partim per [b] intercessores tribunos, partim per Servium Sulpicium alterum consulem. Insequenti quoque anno, C. Marcello, qui [c] fratri patrueli suo Marco in consulatu successerat, eadem tentante, collegam eius Aemilium Paullum, Cajumque Curionem, violentissimum tribunorum, [d] ingenti mercede defensores paravit. Sed obstinatius cum omnia agi videret, & designatos etiam coss. [e] è parte diversa, senatum.

1. 2. 3.

natum literis deprecatus est, ne sibi [f] beneficium populi adimeretur: aut ut cæteri quoque imperatores ab exercitibus discederent: confisus, ut putant, facilius se, simulatque libuisset, veteranos convocaturum, quam Pompejum [g] novos milites.

4. Cum adversariis autem [h] pepegit, ut dimissis octo legionibus, Transalpinaque Gallia, duæ sibi legiones, & Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad cos. fieret.

a) *Geminum huic dicto dictum Scipionis Africani ad legatos Antiochi Regis apud Livium lib. 37. 45. f.* Regum majestatem difficilius ab summo fastigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari. Nec enim his gradibus (*inquit Seneca lib. 6. de Benef. cap. 33.*) quibus ad summa perventum est, retro itur: sæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil interest. *Addendi, Amiratus libr.* 18. *disc.* 8. *Camerarius centur.* 1. *c.* 45. *& centur.* 3. *c.* 92.

b) *Agellius autor est lib.* 13. *c.* 12. *Tribunos plebis antiquitus creatos, non juri dicundo, sed intercessionibus faciendis ut injuria quæ coram fieret arceretur. Intercessio fiebat, edita voce illa,* Veto, *ut patet ex Livio, lib. 6. cap. 35. f.*

c) *Filio patrui. Sunt enim* Fratres Patrueles, *qui ex duobus fratribus progenerati sunt; ut* consobrini, *qui ex duobus sororibus. Utrisq; communem nostra lingua vocem habet,* Geschwisterte Kind.

d) *Nam Paullum quidem Æmilium Consulem, mille & quingentis talentis (hoc est, 900. millibus Philippicum) amicum sibi defensoremq;, comparavit: ex qua pecunia magnificentissimam ille in foro Basilicam extruxit, cujus mentio apud Plinium lib. 36. c. 15. sub init. Curionem vero ære alieno, quod erat sexcenties HS. (hoc est, 1500. millium Philippicûm) liberavit. Testes, Plutarchus & Appianus.*

e) *è factione Pompejana.*

f) *Privilegium à populo concessum, ut absentis sui ratio haberetur in petitione Consulatus. Cæsar ipse lib. 1. bell. civil. c. 9. m. id beneficium vocat.*

g) *Hos Pompeij novitios Cæsar apud Lucanum sic taxat:*

---- Grajis delecta juventus,
Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ,
Et vix arma ferens ----

h) Pepeigit, *sine effectu, ut loquuntur, accipiendum, pro* pacisci voluit. *Nec enim illi pactum admiserunt, ut patet ex sequenti memate.*

CAPUT XXX.

Verum neque senatu interveniente, & adversariis negantibus ullam se de repub. facturos pactionem, transiit in 1
i citeriorem Galliam: conventibusque [k] peractis, Ravennæ sul stitit, bello vindicaturus, si quid de [l] tribunis plebis intercedentibus pro se, gravius a senatu constitutum esset. Et [m] 2
prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: [n] causas autem alias fuisse opinantur. Cn. Pompejus ita dictitabat, 3
quod neque [o] opera consummare; quæ instituerat, neque populi expectationem, quam de adventu suo fecerat, privatis opibus explere posset, turbare omnia ac permiscere voluisse. Alii timuisse dicunt, ne eorum quæ primo consulatu adver- 4
sus [q] auspicia legesque & intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur: cùm M. Cato idemtidem, nec sine jurejurando, denunciaret, [r] delaturum se nomen ejus, simulac primum exercitum dimisisset: cumque vulgo fore prædicarent, ut, si privatus rediisset, [s] Milonis exemplo, circumpositis armatis causam apud judices diceret. Quod probabilius facit [t] 5
Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos profligatosque adversarios, prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens: *Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem: nisi ab exercitu auxilium petiissem.* Quidam putant [u] captum im- 6
perii consuetudine, pensitatisque suis & inimicorum viribus, usum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate primâ concupisset. Quod existimasse videbatur & Cicero, scribens 7
De officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse [x] Euripidis versus, quos ipse convertit:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

a) Cisalpinam.
b) Conventibus juridicis, de quibus dictum supra, cap. 7. 1. d.
c) Curione, Antonio, Cassio, qui ex urbe ad Cæsarem profugerunt.
d) Prætextum *neutro genere, licet alia notione, dixit & Seneca epist.*

71. Facil

71. Facit huc illud Taciti lib. 4. Histor. c. 73. in oratione Cerialis: Libertas & speciosa nomina prætexerunt: nec quisquam alienum servitium, & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. *Ita Sallust. lib. 3. hist. in orat. Macri tribuni plebis*: His civilibus armis dicta alia: sed certatum utrimque de dominatione. *Et hist. Catilin. c.* 38. Per illa tempora (*de Sylla, Cæsare, Pompejo, sermo*) quicunque Rempub. agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti jura populi defenderent, pars, quo Senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. *Sed quid hæc miramur in illis? En vero Pauli Æmilij Veronensis verissimum de sanctissimis hominibus judicium, lib. 6. Annal. Francic. ubi de bello Pontificis adversus Regem Neapolitanum*: Suum quisq; bellum, *inquit*, Sacrum prædicat: hostes quisque suos impios dictitat: suam quisque causam, Sanctam nominat: in ore omnium Sanctum Piumque versatur: consilio, conatu, animo, secus afficitur. Si de Religione tantum agatur, si oblivio noxæ sanciatur, si sanatis mentibus, fortunis hominum abstineatur; omnes idem sentiant. Nunc de mortalium jure res est. Ea controversia tollatur; nulla erit armorum causa. Nunc nulli nefario sceleri non prætenditur nomen pietatis. Sacræ militiæ nomen ad hæc arma (miserum!) recidit. *Ita est, & verè posta:*

Sæpè scelus, cœli zelus, velamine texit.
Relligio velum est, quod tegit omne scelus.

e) *Polybius lib. 3. Histor. post pr. admonet*, inter principia, causas, & prætextus bellorum, ut res diversissimas, accurate distinguendum esse.

f) *Ut forum de nuptiis, cujus supra mentio, & alia opera publica, perficere.*

g) A rio buelto, ganancia de pescadores, *Aristophanes in hunc sensum, in equit. ib. Act. 2. sc. 4.*

Idem accidit tibi, quod his qui anguillas aucupantur.
Vbi tranquillus est lacus, nil piscium reportant:
At si lutum stagni sursum commörint & deorsum,
Ibi capiunt demum: Sic & tu capis, ubi prius civitatem
Perturbas. ——

h) *Videatur supra cap. 20. 3. b.*

i) *Quam necesse sit ad conservandam Reip. libertatem, ut libere possis quemcunq; civem accusare, demonstrat egregiè Machiavellus disput. de Republ. lib. 1. c. 7.*

k) Res

k) *Res vel è Miloniana Ciceronis orationis exordio notissima.*

l) *De hoc & Historico & Poeta, vide Turneb. adversarior. lib. 10. 21. pr.*

m) *Est hac ratio vel inter præcipuas, quibus Imperia ea, quæ suffragiis, non successionis jure, deferuntur, in una familia non esse continuanda, docent Amiratus lib. 1. disc. 12. Clapmar. arcanor. Reip. lib. 2. cap. 12. Piccart. observat. decad. 6. cap. 7. quod scilicet periculum sit, ne, quod haud raro ita factum, historiæ testantur, Imperium electionis libera, una aliqua in familia diutius continuatum, deniq; lapsu temporis, in adstrictum successionis necessitate, degeneret. Quod si enim singulis hominibus id accidit, ut, quod hic autor de Cæsare scribit,* imperii consuetudine capti, dominationem rapiant, (*& vero aliorum exemplorum rationumq; luculenta copia, id ita fieri solere, Gruterus ὁ πάνυ demonstravit ad illa Livij 2. c. 2.* Nescire Tarquinios privatos vivere &c.) *quanto magis de familiis integris erit hoc metuendum?*

u) *Extant hi versus in Phœnissu, actu 2. ab Eteocle Thebano dominationis cupido pronunciati. Sunt autem isti:*

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Eos imitatus Poeta Gallicus inquit:

S'il faut estre meschant, sois le pour estre Roy:
Mais au reste sois juste, & vi selon la loy.

Nec aliter apud Senecam in Theb. act. ult. Polynices:

---- pro Regno velim
Patriam, penates, conjugem, flammis dare.
Imperia precio quolibet constant bene. *Lucanus:*
---- scelus omne nefasque.
Hac mercede placent. ----

Nec dicunt hac modo isti: faciunt. Verissime, citante Lactantio, Cicero lib. 3. de Repub. Quod si omnes populi (Reges, Principes) penes quos sit imperium, Justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupaverunt, ad casas & egestatem revertentur. *Eodem facit Nivernensium Ducis de urbium Subalpinarum restitutione consultatio, apud Thuanum, post princ. libri 59.*

CAPUT XXXI.

Cum ergo [a] sublatam tribunorum intercessionem, ipsos- 1.
que urbe cessisse nunciatum est, præmissis confestim clam cohor-

cohortibus, ne qua suscipio moveretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit: & [b] formam, qua [c] ludum gladiatorum erat ædificaturus, consideravit: & ex consuetudine
11. convivio se frequenti dedit. Dein post Solis occasum, [d] mulis è proximo pistrino ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est: & cum [e] luminibus extinctis, decessisset via, diu errabundus, tandem [f] ad lucem [g] duce reperto, per angustissimos tramites pedibus evasit: [h] consecutusque cohortes ad [i] Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paullum [k] constitit, ac reputans quantum moliretur, conversus [l] ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.*

a) *Ea de re explicatius Cæsar ipse lib.1. bell.civil.c.5.*

b) *Turnebus lib.3.adversar.cap.* 22. formam *hic ait esse simulacrum & adumbratam vel effictam speciem, qua ludum gladiatorium Cæsar erat ædificaturus. Ea notione, sed metaphorica,* formæ *vocem Cicero sæpius accipit: ut lib.* 2.*famil.epist.*8. ut ex tuis litteris, quum formam Reipub. videro, quale ædificium futurum sit, scire possim. *lib.*4.*famil.epist.*11. Quod ad me quasi formam communium temporum & totius Reip. misisti expressam. *Sic lib.* 6. *ad Attic.epist.*3. *m. & lib.*7. *epist.*12.*f. Proprie vero lib.*2.*ad Q. Fratrem, epist.* 5.*pr.* Domus erit egregia. Magis enim cerni jam poterat, quam quantum ex forma judicabamus. *Existimat autem ibi Turnebus*, formam *idem esse, quod* ichnographiam *&* orthographiam *apud Vitruvium lib.*1.*de Architect. cap.*2. *cui* Ichnographia (*quasi vestigij descriptionem dicas.* ἴχνος *enim vestigium significat*) *est, quam Hispani, Galli, Itali,* platam formam (*non quasi* planam formam, *ut vult Philander ad Vitr. sed ex sententia H. Stephani in tract. de conformit. Græcæ & Gall. ling.* ἀπὸ τοῦ πλάτους, *à latitudine*) *nominant, itemq;* plantam, *voce ad Græcum* ἴχνος *alludente. Nostris est* Ein grundriß/ *quasi deformatio areæ seu soli.* Orthographia *deinde, quam nos* Einen auffzug *appellamus, erecta frontis ædificij pictura est. Sed quod tanti viri bona cum pace dixero, neutrum videtur: formam quin potius esse, quam vulgo* modellum *futuri operis appellant, ex ligno vel alia materia confici solitum, ut ex eo, minimo impendio, nulloq; incommodo, deprehensa errata, priusquam opus ipsum fiat, castigentur. Primum enim Vitruvius ipse formam ab istis diversam facit, cum ait,* 1. *c.* 2. ex Ichnographia capi formarum in solis arearum descriptiones. *Deinde in*

proœmio libri 2. formam *non semel dixit in eadem significatione*, & formare *pro facere modellum, cum de Dinocrate*, Athon, *inquit*, montem formavit in statuæ virilis figuram. *Idem ad finem libri* 10. exemplar *helepoleos machinæ, pro modello, ut vocant, nominavit*: & *Plinius lib.* 35. *c.* 12. *m.* exemplar *craterum è gypso factum. Idem ergo* forma *Architectis, quod sculptori* protypus, *quod plastæ* proplasma. *Est &* forma, *ad quam ea lceus conficitur. Horat. lib.* 2. *satyr.* 5.

Si scalpra & formas non- sutor ——

c) *Scholam intelligit, & locum, ubi habiti alti gladiatores. Multiplices iis in ludis minutas q; cellas fuisse, in queis seorsim haberentur singuli gladiatores, ostendit Lipsius lib.* 1. *Saturnal. c.* 14. *Erat autem is quo de nunc sermo ludus Ravennæ*, qui locus, *ut ait Strabo lib.* 5. *post pr.* adeo saluber erat, ut illic gladiatores ali atque exerceri Principes voluerint.

d) *Quæ* pistrinensia juramenta *sunt autori in Calig. c.* 39.

e) *Vtrum dicit autor, Cæsarem faces habuisse ardentes in itinere, quæ extinctæ sint? Et sunt qui non putent, cum eum dicat* occultissimum iter *ingressum esse: & cum pars noctis proxima crepusculo*, luminibus accensis *dicatur, quam* δὲι λύχνων ἀψὰς *Graci vocant, Latini* primam facem; *censent, etiam* luminibus extinctis *appellari concubium noctis, cum extinctis lucernis, omnes cubant, tenebræq. intensiores sunt. Verius tamen videtur, viatores noctu gerere faces solitos esse. Hæc Turnebus lib.* 3. *adverss. c.* 22. *& firmat suam sententiam autoritate Varronis lib.* 1. *de re rust. c.* 14. *& Sueton. in Aug. c.* 29. *Eandem pluribus adstruit hoc loco Casaubonus.*

f) *Sub diei exortum.*

g) ὁδηγῷ, *duce viæ, seu itineris. Ea voce simpliciter utitur & Livius lib.* 22. *c.* 13. Annibal vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum esset: eumque, quod errore seduxisset exercitum, in crucem tollit. *Vbi Plutarchus in Annib.* ἀνεσύρατο τὸν ὁδηγόν.

h) *Assecutus cohortes, quas cum Hortensio præmiserat ad Ariminum occupandum, quæ urbs Italicarum prima ex Gallia venientibus offerebatur. Appian. lib.* 2.

i) *De hoc Sidon. Appollinaris lib.* 1. *epist.* 5. Rubicon originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur. *Quod ad etymon respiciens Lucanus lib.* 1. *v.* 24. *Rubiconem* puniceum *appellat. Fluviolus, nisi ab hoc Cæsaris facto, ignobilis est, inter Ariminum & Ravennam, è vicinis montibus in Adriaticum effluens. Hodie* Piscatello *vocari ab accolis, testis est Ioan. Bocatius lib. de flum. Fuit olim, stante Repub. Romana, lege prohibitum, ne quispiam à bello redeuntium armatus illum in jussu magistratuum trasgrederetur, quam legem è Blond*

Flav

Flavij Romandiolæ; pag. 343. huc referam. Habent eandem Chytræus in deliciis Europæ inter Arimenenſia, Hebererus in Ægypt. ſervitute, pag 494. Georg. Fabricius ip monument. antiq. & Inſcriptionum volumen antiqua manu ſcriptum è Bibliotheca Ludov. Demolini Rocheforti; ſed in iis diſcrepantem quæ ad oram notavi.

a) *Iuſſu Mandatuve.*
b) *Tib. Milit.*
c) *Armate quoquo.*
d) *Arma deponito nec citra.*
e) *Arma, exercitum commeatūve.*
f) *Si quis ergo hujuſce juſſionis adverſus præcepta fecerit.*
g) *lege, Senatuſve conſulti. Addunt: ultra hos fines arma proferre liceat nemini.*

a JUSSUM MANDATUMVE POP. ROM. CONS. IMPERATOR b MILITI TIRO COMMILITO c QUISQUIS ES MANIPULARIEVE CENTURIO TURMÆVE LEGIONARIE HIC SISTITO VEXILLUM SINITO d NEC CITRA HUNC AMNEM RUBICONEM SIGNA e DUCTUM COMMEATUMVE TRADUCITO. f SI QUIS HUIUS IUSSIONIS ERGO ADVERSUS IERIT FECERITVE ADIUDICĀTUS ESTO HOSTIS POP. ROM. AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TULERIT PENATESQUE E SACRIS PENETRALIBUS ASPORTAVERIT. S.P.Q R. SANCTIO PLEBISCITI g. S. VE. C.

Blondus hanc legem marmore literis inciſam elegantiſimis vidiſſe ſe confirmat: quod tamen Leander Albertus in deſcriptione Italiæ pag. 458 ſibi ſæpius hæc eunti ac diligenter inveſtiganti, non licuiſſe ſcribit. Noſtra vero memoria Hebererus eandem in pila ad Rubiconis pontem excitata & vidiſſe ſe ait & deſcripſiſſe. Quod ut facile credo: ſic bonitatis edecumata, & notæ tantum non, ſi vinum eſſet, Opimianæ hanc inſcriptionem eſſe, vix adducor ut credam. Adulterina, ſuppoſititia, fictitia videtur. Sed melius Gruterus aliquis, qui Genios antiquarum inſcriptionum poſſidet, de ea judicaverit.

k) *Gruterus è Pal. tertio*, ſubſtitit.

l) *Ad amicos, quos ſecum habebat: inter quos fuit Aſinius Pollio. Cum his de conſilio ſuo diſceptavit, penſans, tranſitus ſuus quanta mortalibus allaturus eſſet mala, quantum de eo ſermonis poſteris futurum. Plutarch. Cæſ. Appianus autem lib. 2. bell. civil. verba Cæſaris ita refert*: Amici, tranſitus hic dilatus, mihi erit malorum omnium initium: properatus vero univerſis mortalibus. *Ad hanc ce porro conſultationem Cæſaris accommodari queat illud Taciti lib. 2. hiſt. cap. 22 f* Qui deliberant, deſciverunt, *Quod acute vereq; dictum, etiam à Plutarcho (qui multa ad verbum ex Tacito convertit, eumq; licet coætaneum, permagni fecit) in Galba eſt expreſſum, quem Vinnius ſic excitat & alloquitur:* ò Galba, quomodo deliberas? Nam quærere, an Neroni fidi maneamus, jam non manentium eſt. *Ita Seneca lib. 1. de ira c. 3.* Injuriam qui facturus eſt jam facit. *Eodem pertinet hoc Ciceronis lib. 1. offic.* Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, de quo dubites, æquum ſit an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa perſe: dubitatio autem cogitationem injuriæ ſignifi-

cat. *Audacia tamen & magna facinora, quale hoc Cæsaris erat*, facienda, *non* deliberanda *esse, Cæsar ipse dixit, autore Plutarcho in apophtheg.*

CAPUT XXXII.

Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximia 1.
magnitudine & forma, in proximo sedens repente apparuit, arundine canens: ad quem audiendum, cum præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & [a] æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen: & ingenti spiritu [b] classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, *Eatur*, inquit, *quo deorum* [c] *ostenta, & inimicorum* [d] *iniquitas vocat.* [e] *Iacta alea est*, inquit. 2.

a) *In Glossis:* Æneator, σαλπιστὴς. *In Onomastico per antiquo ms. citato à Turneb. lib 28. advers. c. 5.* Æneatores, sunt cornicines, liticines, tibicines. *malim*, tubicines. *Ex eo dicti, quod soleant, verbis Virgilij, Æn. 6.*

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Videndi, Lipsius lib. 4. de mil. Rom. cap. 10. Torrentius ad Horat. lib. 2. od. 1.

b) Τὸ πολεμικὸν, *sive* τὸ παρακλητικὸν, *cum signa canunt, & militem vocant incitantq; ad pugnam. De eo Veget. lib. 2. c. 22. Lips. 4. Mil. Rom. 10.*

c) *Id enim ostentum pro se Cæsar interpretabatur, humani scilicet ingenij more, de quo Heliodorus lib. 2. Æthiop.* ὡς ἕκαστος ἔχει βουλήματος, οὕτω καὶ ὑπολαμβάνει: *hoc est, interprete Cæsare lib. 3. bell. Gall. c. 18.* fere libenter homines id, quod volunt, credunt. *Demosth. olynth. 3.* ὃ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται: quod quisque vult, id etiam sibi fingit. *Idem, ut in ostentis, sic oraculis fieri solere, Thucidides lib. 2. notavit, ubi de bello Poleponnesiaco,* χρησμολόγοι τε, *inquit,* ἦδον χρησμοὺς παντοίους, ὧν ἠκροᾶτο ὡς ἕκαστος ὥρμητο: Vates oracula jactabant varia, quæ quisq; pro sua cupiditate interpretabatur. *Vbi tamen pro* ὧν ἠκροᾶτο *&c. in manuscripto codice Augustano legi,* ὧν ἀκρᾶσθαι ἕκαστος ὤργητο, *testatur eruditissimus Hæschelius in Notis ad Procopium, pag. 207. v. 29.*

d) *Eam* iniquitatem *Cæsar ipse lib. 1. bell. civil. cap. 7. & 9 sigillatim exponit & exaggerat. Plutarchus in Cæs. hæc addit:* Lentulus Consul. Antoniũ & Curionem tribunos pro Cæsare intercedentes, probris laceratos, curia deforaliter exegit. Ea res speciosissimum Cæsari colorem dedit, quo potissimum inflammavit milites, ostendens, claros viros & tribunitia potestate præditos, meritoria rheda & vestitu servili profugisse. Ita enim instru-

ſtructi, clam metu exierant Roma, *Bene* colorem. *Adeo verum eſt ſcilicet, quod Quintilianus lib. 3. inſtit. orator. c. 8. de hoc ipſo facto Cæſaris, everſionem patriæ, inimicorum iniquitate palliantis, ait:* Qui de re nefaria deliberat, id ſolum quærit, quomodo quam minimum peccare videatur. Nec enim eſt quisquam tam malus, ut malus videri velit. *Ita Seneca epiſt. 97.* Omnes peccata diſſimulant, & quamvis fæliciter ceſſerint, fructu illorum utuntur, ipſa ſubducunt. Quis eſt (*inquit idem. 4. de benef. 17.*) qui non inter ſcelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipſis, quæ impotentiſſime fecit, ſpeciem aliquam induat recti? &c. *Quo de prætextu ſpecioſo accipiendum illud etiam eſt Ariſtotelis lib. 1. Sophiſtic. Elench. cap. 12.* οὐ ταυτὰ βούλονταί τε καὶ φασὶν. ἀλλὰ λέγουσι μὲν τοὺς εὐσχημονεστάτους τῶν λόγων· βούλονται δὲ τὰ φαινόμενα λυσιτελεῖν. *Id quod argute breviterq; Seneca epiſt. 95. pr,* Verum ne diis quidem dicimus.

e) *Eraſmus ſuſpicatur hic legendum,* jacta alea eſto. *Quam lectionem, ſi manuſcriptorum codicum autoritate juvaretur, haud improbarem. Non ſolum enim* τὸ eſto *antecedenti verbo* eatur *in modo reſpondet: ſed etiam Plutarchus, in Cæſ. & qui eum fere ſequitur, Appianus lib. 2. bell. civil, hoc modo:* ὁ κύβος ἀνερρίφθω: *niſi forte & hic legendum,* ἀνερρίφθη, *quod non videtur. Certe* jacta eſt alea *tum demum dicitur, cum ſic incepta res eſt, ut deſiſtere integrum non ſit: atqui Cæſar cum hæc pronunciaret, ad huc regredi poterat. Adde quod eodem modo Petronius in carmine de bello civili, Cæſaris iſta verba refert:*

Judice fortuna, cadat alea: ſumite bellum,
Et tentate manus. ——

Porro nonnulli τὸ inquit *hic omittunt, & recte. jam modo enim præceſſit. nec ſolemne Suetonio* βαττολογεῖν.

CAPUT XXXIII.

1. Atque ita trajecto exercitu, adhibitis [a] tribunis pleb. qui pulſi ſupervenerant pro concione [b] fidem militum, flens, ac [c] veſte
2. a pectore diſciſſa, invocavit. Exiſtimatur etiam [d] equeſtres
3. cenſus pollicitus ſingulis: quod accidit opinione falſa, [e] Nam cum in alloquendo exhortandoque, ſæpius digitum [f] lævæ manus oſtentans, affirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, anulum quoque æquo animo detracturum ſibi: extrema concio, cui facilius

etat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit quod visu suspicabatur: promissumq; jus anulorum cum millibus quadringenis g fama distulit.

a) *Cassio, Antonio, Curione.*

b) *Opem, auxilium adversus inimicos. Ea oratio est in ipso Cæsare, lib. 1. bell civil c. 7. Cæterum hoc solemne Romanorum verbum,* invocandi fidem *alicujus, exemplis plurimis illustrat Barn. Brissonius de Formul. lib. 8. p. 819. & seq.*

c) *In argumentum doloris ex indignitate concepti. Cum primis Hebræis fuisse solenne, scissa veste dolorem indignationemq; testari, ex Genes. 37. 29. & 44, 13. Numer. 14. 6. Ios. 7, 6. Iudic. 11, 35. Iob 1, 20. 2, 12, Marci 14, 63. Actor. 14, 13. & plurimis aliis locis apparet. Omnino vide Fabri semestr. lib. 2. c. 10.*

d) Censum equestrem *fuisse quadringenta millia sestertium, tum è fine sequentis tmematis, tum etiam ex Plinij lib. 33. c. 2. & aliunde notum est. Ea summa nostra consuetudine numerata, decem millia Philippicorum talerorum, seu 12500. coronatorum constituit. Si quis ingenuorum hos habebat, & annuli aurei, & in quatuordecim ordinibus sedendi jus obtinebat. Fere compendio dicebant,* quadringenta, *subaudiendo* millia. *Alterum tantum, scilicet* octingenta millia, *census Senatorius erat, ut in Augusto prodit autor. Nec ab re sane in conferendis magnis illis dignitatibus, census opumq; habita ratio fuit. Verissime quippe Tullus apud Dionys. Halicarnass. lib. 4.* Οὐκ ἂν γένοιτο φρόνημα εὐγενὲς ἐν ἀνδράσιν ἀπορουμένοις τῶν καθ' ἡμέραν ἀναγκαίων: Nihil generosum potest sapere, qui quotidiani victus penuria premitur. *Adde quod majori curæ Rempub. habent, quorum & privatim interest, eam esse salvam.* Egestas *autem* facile habetur sine damno, *inquit Sallustius Catil. c. 35. proindeq; salva tranquilla omnia ut sint, non magnopere tales curant. Hinc &* Seleuciæ trecentos opibus ac sapientia dilectos, Senatus instar præfuisse *scribit Tacit. 6. Annal. 42. & ab aliis item in mandandis honoribus opum rationem habitam fuisse confirmat Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 6.*

g) *Petri Fabri cum alia scripta, tum Semestria præcipuè, serio* φιλολογοῦντες *assidua manu versant hodie, nec immerito. Nam revera ad asciam factum est, quidquid dedolavit hic faber, ut Lipsius ait not. 121. ad Tacit. Annal. 12. Is præter alia Suetonij, hunc ipsum quoq; locum exponit lib. 3. semestr. cap. 23. quæ expositio quamvis non per omnia probanda videatur (quotus enim quisq; vel eruditissimorum hominum* ἀεὶ τοὺς ἓξ βάλλει?) *tamen ipsos quoq; viri hujus errores doctos esse, patebit hoc exemplo. Ait,* extremam concionem (*quam Livius quoq; lib. 8. sic appellat*) *suspicatam fuisse de promisso sibi à Cæsare anulorum jure, & millibus*

libus quadringenis, quia Cæsar annulum, seu digitum læva manus minimo proximum ostentaret. Ac de jure *quidem* anulorum, *placet & id satis cuiq; obvium. At de* quadringenis, *h.e. de censu equestri, quam habuerint suspicandi causam, scribit subtilius quidpiam subesse, quod alios interpretes latuerit, quodq; ipse sit, faventibus Musis, assecutus. Veteres per digitos numerasse vulgo notum. Circumfertur enim libellus Bedæ,* de ratione per digitos computandi, *quæ figuris etiam depicta est & demonstrata à Pierio Valerio in Hieroglyph. lib. 37. eamq; ad rem illustrandam Erasmus in D. Hieronymum tom. 1, pag. 95. b. tom. 2 pag. 54. d. & 68. c. d. Savaro in Sidon. Apollinar. lib. 9. epist. 9. Cæl. Rhodigin. lib. 23 antiq. lect. 12. plurima autorum testimonia producunt, ipseq; eo quem dixi loco Faber aliqua de suo peculio adjecit, ex quibus demonstrat, non modo numerasse per digitos, veteres: verum etiam Imperatores per digitos pecunias militibus promisisse. Igitur ut ad rem,* extrema concio, *inquit,* cui facilius erat Cæsarem videre concionantem quàm audire, suspicata fuit, non ex anuli ostentatione, quod alii commiscuntur, sed potius ex digitorum gestu, sibi quadringenta millia promissa. *Huic interpretationi graviter obstat, quod, uti Suetonius refert, Cæsar digitum læva manus ostentabat: nota vero quadringentorum non per digitos læva manus, sed per dextera fingenda, si credimus Bedæ, & Bedæ antiquiori Chrysologo, Archiepiscopo Ravennati, cujus ex sermone 168. patet, infra numerum centesimum, computari sinistra: supra eundem, dextera. Quo spectat illud juvenalis satyr. 10. v. 248. de Nestore centesimum ætatis annum egresso:*

Felix nimirum, qui tot per secula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos.

Quomodo & D. Hieronymus adversus Iovinianum lib. 1. sub initium: Porro centesimus, *inquit,* numerus de sinistra transfertur ad dextram, & eisdem quidem digitis, sed nõ eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur & viduæ, circulum faciens, exprimit virginitatis coronam, *Sed non ideo tamen Faber à sententia recedit, existimatq;, digitum læva hic non ad numerum 400. referendum, sed ad jus anulorum, qui ea manu gestabantur: numerum autem 400. sestertiorum ex eo collectum fuisse gestu manus dextræ, per quem affirmabat Cæsar. Etenim per indicem dextræ, cujus lateri superinducebantur interiora pollicis, ambobus his digitis duntaxat erectis, ut ait Beda, 400. dicebantur: per inditem eundem adfirmabatur, ut ex Quintil. lib 11. instit. orat. c. 3. m. patet, Itaque ex gestuum similitudine, quibus simul & numerus, & adfirmatio notabantur, militis, maximè præmium cupientis, error in facili fuit. Hæc ille, docte quidem, acuteq;: sed profecto minus vere. Nullum enim hujusmodi numerationis,*

ac ne

ac ne affirmationis quidem, vel vestigium in hoc loco (vide, quæso) perspicitur: nec dubitandum est (quod & Casaubonus admonet) milites de promissis sibi 400. millibus hariolatos, non aliud fundamentum habuisse, quam conceptam prius opinionem falsam de promisso jure aureorum anulorum. Cum enim utrumq; (jus inquam aureorum anulorum, & census equestris 400. millium sestertium) eidem competat, nec separari possit; posterius hoc per interpretationem illi priori, quod non tam viderant, quam putabant vidisse, adjecerunt, ingenij humani vitio, facile credentis quicquid avide concupiscit. Ἐν παρέργῳ ἐν παρόδῳ *liceat hoc addere, computandi rationem illam quam è Fabro diximus, allegorice consideratam, adauxisse Cherubicas istas & Seraphicas rationes, ab iis quibus quæstui sunt capti superstitione animi, adductas ad probandum factum Bonifacij VIII. P.M. qui Iubilæum ex* κατ' ἐξοχήν *instituerit, non quinquagesimo, ut Iudæi, sed centesimo anno celebrari voluit. Nimirum quod, sicut numerus centesimus transit à læva ad dextram (ut ex B. Hieronymo supra indicatum) ita quoq; Iubilæus centesimo anno celebratus, sic disponat hominem, ut à læva præsentis adversitatis, absq; medio (pœna scilicet purgatorij) transeat ad dexteram æternæ felicitatis: cum è contrario, sicut numerus quinquagesimus non à læva ad dextram transit; Iubilæus quinquagesimo anno celebratus, non ex præsenti adversitate ad æternam felicitatem transferat: sed tantum ad pœnam purgatorij, ut habetur in glossa ad Extravagantem illam Bonifacij VIII. de pœnitentiis & remissionibus, ubi Iubilæum istud instituitur. Logi, logi. Et hoc tamen hordeo, seu potius fœno, pascebantur majores nostri. Male sit iis, qui vi armisq; lautioribus nunc cibis assuetos, ad istas quisquilias revocare moliuntur, apud sapientes hoc fere certum relinquentes,* nusquam minus inveniri veritatem, quam ubi cogitur assensus.

f) *Cur* lævæ *potius, quam honoratiori dextræ fuerit aptatus anulus, autorum sententiæ variant. Agellius lib. 10. noct. Attic. cap. 10. ex Appionis Ægyptiacis hanc causam adducit, quod humanorum corporum sectione deprehensum sit, nervum quendam tenuissimum, à sinistra, & quidem eo digito, qui minimo proximus est, ad cordis ima penetrare. Visum igitur hunc præcipuè digitum eo decorandum honore, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur. At Plinius lib. 33. c. 1.* id eo factum *scribit*, quia, quisquis primus instituit anulos, cunctanter id fecit, proindeque lævis manibus, ut latentibus, induit, cum, si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus: Pessimum enim vitæ scelus fecisse, qui anulum primus induit digitis, atque adeo auri usum, scelerum materiam, induxit. *Ex his rationibus prior aperte falsa,*

falsa, quod nostrorum temporum anatomici periti confirmant: altera levis: nec multo tamen gravior illa est, quam Ægyptiis tribuit Macrobius lib. 7 Saturnal. cap. 13. quod digitus iste complicatus, senarium numerum demonstret, qui omnifariam plenus, perfectus, atq; divinus est. Similima vero, imo vera, quæ eodem loco Macrobius ex Atteij Capitonis jure Pontificio refert, veteres anulum non ornatus sed signandi causa, quacunq; manu, quo libebat digito gestasse, sculptura ipsi materiæ anuli sive ferrei, sive aurei, impressa. Postea usum luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpisse insculpere. Hinc factum, ut usus anulorum exemptus dextera, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dextera, pretiosi lapides frangerentur. Electus autem, *inquit*, ipsa læva manu digitus minimo proximus, quasi aptior cæteris, cui commendaretur anuli pretiositas. *Nam pollex nec in sinistra cessat: nec minus quam tota manus, semper in officio est, ἀντίχειρ, quasi manus altera, ex eo vocatus. Pollici vicinus, nudus, & sine tuitione alterius appositi videbatur. Medium & minimum vitaverunt ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: & electus est, qui ab utroq; clauditur, & minus officij gerit, & ideo servando anulo magis accommodatus esse videbatur.*

g) *Conjecturam Casauboni*, fama distulit, *sexto casu legentis, adfirmo simili loco Taciti, lib. 1. Annal. cap. 4.* imminentes dominos rumoribus differebant. *Et Lucil. Gaudes*, quum de me ista foris sermonibus differs. *Vbi* differre *planissime respondet nostrati*, außtragen, *hoc est, divulgare. Noster iterum in Augusto c. 14.* rumore dilato.

CAPUT XXXIV.

1. Ordo & summa rerum quas deinceps gessit, sic se habent. [a] Picenum, [b] Vmbriam, [c] Etruriam occupavit: & [d] L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus, [e] Corfinium præsidio tenebat, in deditionem redacto, atque dimisso, secundum [f] superum mare [g] Brundisium tetendit, quo cos. Pompejusque confugerant, quam primum [h] transfretaturi.
2. Hos frustra per omnes [i] moras exitu prohibere conatus, Romam iter convertit, appellatisque de repub. patribus, validissimas Pompeji copias, quæ sub tribus legatis, M. Petrejo, & L. Afranio, & M. Varrone, in Hispania erant, invasit: professus ante inter suos, [k] *ire se ad exercitum sine duce, & inde reversu-*
3. *rum ad* [l] *ducem sine exercitu.* Et quamquam [m] obsidione [n] Mas-

 siliæ,

silicæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summaque frumentariæ rei penuria retardante, brevi tamen omnia subegit.

a.b.c) *Regiones Italiæ, quæ parte plurimum ea contrahitur, Apenninig montibus intercursu munitur.* Picenum, *Marchiæ Anconitanæ*: Vmbria, *Ducatus Spoletini*: Etruria, *Toscanæ nomine celebrantur hodie.*

d) *Hac de deditione dimissioneq; vide luculentum carmen Lucani, lib. 2. sequentibus à 478. versibus.*

e) *Pelignorum oppidum, quod de, præter ecclesiam & pauculas domos hodie nihil reliquum. Vulgo* Santo Pitino, ò campi di S. Pellino.

f) *Adriaticum, jam* Golfo di Venetia. *Dictum* superum, *respectu Tyrrheni seu Tusci maris, quod* Inferum *appellatur.*

g) *Recte, quod & Manut. in orthographiæ ratione, vetustis libris lapidibusq; confirmat: non, ut vulgo*, Brundusium. *Hodie vulgo* Brindisi, & Brandizzo. *Vrbs Calabriæ, portu olim nobilis, & in Græciam trajectu.*

h) Transgressuri, *dixisset non minus recte Sallustius, ab Asinio Pollione insscite propterea reprehensus, ac bene defensus ab Agellio lib. 19. cap. 26. Quin & noster eodem modo, capitis sequentis initio, de maritimo itinere: urbe repetita in Macedoniam* transgressus. *Et paulo post: ab Alexandria in Syriam & ex* transiit.

i) *Angusta loca, & transitus tardioris. Sic Statius Thebaid. 10.*

——rapite arma, moraque:
Frangite portarum, ——

hoc est, portas quæ nos morantur.

k) *Hujus loci sunt illa dicta, Curtij lib. 10 c. 6.* militaris sine duce turba, corpus est sine spiritu. *Quintilian. 6.* ut remiges sine gubernatore, ita milites sine imperatore nihil valent. *Flori, 2. c. 18.* Tanti est exercitus, quanti imperator. *Chabriæ apud Plutarchum in apopththeg.* terribilior est cervorum exercitus, Leone duce, quam leonum agmen, ducente Cervo. *Quod apophthegma tamen Philippo Macedoni tribuit Stobæus serm. 52. sub fin. Quæ causa* Chatti, *prædicante Tacito in Germ. c. 30.* plus semper in duce quàm in exercitu reponendum statuerunt: *& merito, quod ubertim ostendit Gruterus dissertat. in Tacit. ad illum locum 4. Annal. 25.* Non nisi duce interfecto, requiem belli fore.

l) *Pompejum.*

m) *De qua Cæs. lib. 2. belli civil. & Lucan. lib. 4.*

n) *Galliæ Narbonensis urbs est*, Marseille *hodie incolis appellata, cujus de conditu suadeo adeas Scaligerum, animadvers. in Chronic. Eusebij. Quod ad*

nos proprie spectat, erat ea quondam sedes ac magistra studiorum. (*Tacit. in Agr. c. 4. & lib. 4. Annal. c. 44.*) *Romanis, omissa Attica peregrinatione, Gallis, Hispanis, omnibusq; quibus licebat, Philosophiæ Græcæq; linguæ gratia frequentata: à Val. Maximo 2. c. 6. Strabone, initio lib. 4. Plinio 3. c. 4. Justino 43. c. 4. Lucano lib. 3. aliisq; à sanctissimis institutis magnopere commendata. Cicero inprimis in eius laudes passim effusus, in ea pro Flacco non dubitat illius civitatis* disciplinam *atq; gravitatem non solum Græciæ, sed & pene cunctis gentibus anteponere. Nimirum talia loca petebantur & appetebantur olim studiorum causa. Nostris vero multorum moribus obtinuit (liceat cum poeta, nonnullorum* teneras modaci radere vero Auriculas) *ea fere commendare, ubi sub vanitatis, levitatis ac petulantiæ vexillo militare detur impune. Atq; hoc Libertatem Academicam vocamus. at ea Licentia est.*

CAPUT XXXV.

1. Hinc urbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompejum per quatuor pæne menseis [a] maximis obsessum operibus, ad extremum [b] Pharsalico prælio fudit: & fugientem, Alexandriam persecutus, ut [c] occisum deprehendit, cum Ptolemæo Rege, à quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, & [d] intra mœnia [e] copiosissimi ac sollertissimi
2. hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Aegypti victor, Cleopatræ fratrique ejus minori permisit: veritus [f] provinciam facere, ne quandoque violentiorem præ-
3. sidem nacta, novarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuntiis: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc [h] occasione temporum bellantem, jamque [i] multiplici successu præferocem, intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, una profligavit acie: [k] crebro commemorans Pompeji felicitatem, cui præcipua militiæ laus
4. de tam imbelli genere hostium contigisset. Dehinc [l] Scipionem ac [m] Jubam, reliquias [n] partium in Africa refoventeis, devicit: Pompeji [o] liberos in Hispania.

Ingens rerum series, miro narrationis transcursu perstringitur in hoc capite. Diffundit omnia Cæsar in comment. belli civil. Dio, Plutarch. in Cæsare & Pompejo, Appianus, Lucanus, Florus, alij.

a) *Vallum accipe mille ducentorum stadiorum, quod à mari ad mare circa Dyrrhachium Cæsar intercludendi Pompeij causa circumduxit, pluribus per tumulos castellis excitatis.*

b) *Commisso inter Pharsalum Thessaliæ urbem, & Enipeum fluvium.*

c) *Iussu Ptolemæi Regis pueri, suasu præcipue Theodoti Chij, mercenarij Rhetoricæ magistri, qui, quod consilium postea Cæsar ipse fuit execratus, occcidendum Pompejum dilemmate pædagogico probavit, hoc ipso probans, quam inepti fere politica ad consilia homines de schola, si tantum de schola, nec ad doctrinam, rerum usum adjunxerint. Nam juxta scitum Aristotelis lib.10. Ethic. cap. ult.* Τοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι, προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας quisquis in re Civili intelligens esse volet, opus ei Experientia est. *Id quod explicans Nicephorus Gregoras lib. 8. hist. Bizant. c. 19.* Otiosa disciplinarum tractatio, *inquit*, quam libri suppeditant, sive illa tenuior, sive copiosior sit, organico corpori similis est, animam desideranti, quæ per sensuum experientiam accedat: aut etiam variis ciborum generibus in ventrem congestis comparari queat, qui calorem ad concoquendum postulent. Is vero calor non alius fuerit, quam multus usus, & variarum rerum experientia. *Hæc ille.*

d) *Alexandriam intellige.*

e) *Copiis instructissimi.*

f) *Videndum supra cap. 25, 2. e.*

g) *Eadem causa cautioneq; Imp. Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi seneoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraq; terræ ac maris (Pelusium, Paratonium, Alexandriam) quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset. Tacit. lib. 2. Annal. cap. 59. Ac jam inde à D. Augusto ad Galbæ usq; tempora, equites Romani, Ægyptum copiasq; quibus coerceretur, obtinebant loco Regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam superstitione ac lascivia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. Idem lib. 1. hist. cap. 11. Videndus ibi Lipsius not. 35. Addendi, Clapmarius lib. 3. de arcanis dominat. c. 3. Amiratus dissert. in Tacit. lib. 2. c. 10. & 4. c. 7.*

h) *Hoc est, temporis opportunitate captata. Erant enim arma Romana civilibus bellis tum occupata. De talibus temporum insidiatoribus non pauca Gru-*

terus

terus ad illud Tacit. 3. Annal. 40. *f.* egregium resumendæ libertatis tempus, si &c.

i) *Ferocem Latorium faciebat belli gloria ingens, ait Livius lib.* 2. *c.* 56. *Ita Tacitus lib.* 2. *Histor. cap.* 7. Rebus secundis etiam egregii duces insolescunt. *Quod restringens tamen Nicephorus Gregoras lic.* 6 *Hist. Byzant. c.* 15. Humani animi, *inquit*, rerum successibus certissimè explorantur, quibus amentes tantum insolescunt, quanta prudentes laude moderationis cumulant.

k) *Loci huius est illa digressio Livij, lib.* 9. *c.* 17. 18. 19. *qua disquirit, an Alexandro Magno, si petiisset infestus Italiam, virtus Romana resistere potuisset.* Si cum Romanis congressus esset Alexander, *inquit* inter alia Livius, non jam cum Dario rem esse dixisset: qué mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, enervatum fortunæ suæ apparatibus, prædam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere, incruentus devicit. *Et aliquanto post:* Næ ille (*Alexander M.*) sæpe, etiam si prima prospere evenissent, Persas & Indos, & imbellem Asiam quæsiisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset; quod Epiri Regem Alexandrum, mortifero vulnere ictum, dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso juvene (*Alex. M.*) cum sua conferentem. &c. *Contra hanc sane quam elegantem Livij tractationem contrariis argumentis accurate disputat Paulus Paruta, Nobilis Venetus, discurs. politicor. lib.* 1. *tit* 2. *Utrorumq; rationes acutæ sunt, ac dignæ quas in ipso cursu nostræ συζητήσεως expendamus, in Livij sententiam, (nec dissimulamus) proniores futuri. Cæterum cum autore congruit, quod scribit Appianus, Cæsarem post prostigatum nulla difficultate Pharnacem exclamasse*: ô beate Pompei, qui Magnus habitus, & Magnus appellatus es, ob victum Mithridatem, Mithridatique similimos, *minime virili robore viros, quales subigere, ut nec valde difficile est, sic nec valde glorioſum esse demonstrat Amirat. discurs. in Tacit. lib.* 12. *c.* 2. *Unde etiam nationi nostræ Germanicæ, præcone Tacito Germ. c.* 37. *laus ea tributa*, quod à Romanis, qui gentes tamen alias facile brevique subegerunt, Germani nequidem plusquam ducentorum annorum spatio subigi plene potuerint, ac triumphati magis quam victi fuerint, cum libertas ipsorum Arsacidis regno sit acrior. *Præclara ista: at non illud:*

πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι: Olim fuere strenui Milesii.

Nec valde nobis honorificum Albani verbum: Germanos gerere leones in insignibus, non item in corde. *Quomodo & nuper jactatum hoc meminimus*: Los Alemanes son leones sin dientes. *Unde Ludovicus ab Avila, Caroli bellum,*

patrum memoria gestum extollens, Cæsarem ait novem annis subjecisse sibi Gallos: Carolum Magnum triginta annis Saxones: Carolum V. unico anno subjugasse Germaniam. Adeo, horum quidem judicio, Martis pulli, & Homeri verbo, Συμολέοντες esse desimus. Vt ut sit, ne nunc quidem ita degeneravimus, ut ab effaminatis Ausoniis, aut meridionalibus aliis populis valde nobis sit metuendum, modo non permittamus, ut, quemadmodum olim Romani provinciarum sanguine provincias vicerunt, *teste Tacito 4. Hist. 17. sic illi Germaniam per Germanos,* alienæ dominationi sanguinem commodantes (*ut inquit idem in Agric. c. 32.*) *subjugum mittant. Nicephorus certe Gregoras lib. 4. c. 14. Pachymerius lib. 3. hist. c. 3. & 5. Bodinus in historica methodo, & de Rep. demonstrant, Septentrionales Meridionalioribus semper fortiores, ab ijsq; invictos extitisse. Et constat, imperia maxima versus Meridiem semper propagata fuisse: vix à Meridie versus Septentrionem.*

l) *Pompeij socerum.*

m) *Maurorum & Numidarum Regem.*

o) *Pompejanarum.*

p) *Cneum & Sextum Pompejos.*

CAPUT XXXVI.

Omnibus civilibus bellis nullam cladem, nisi per [a] legatos suos, passus est: quorum [b] C. Curio in Africa periit: [c] C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem: [d] P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. [e] Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt. Ipse prosperrime semper, ac ne ancipiti quidem umquam fortuna, præterquam bis, dimicavit: semel ad [f] Dyrrachium, ubi pulsus, non instante Pompejo, [g] *negavit eum Vincere scire*: iterum in Hispania, ultimo prælio, cum desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitavit. 1. 2.

a) *Dictum supra c. 25. 5. b.*

b) *Tribunorum ille violentissimus. Cladem eam illatam à Iuba Lucanus prater alios egregie describit sub finem libri 4.*

c) *Ab Octavio Libone, Pompeij legato, circumventus, & una Opitergini, qui viriliter mori, quam se dedere maluerunt. rectene hoc, declamationes extant.*

d) *Circumventus ab eodem Octavio.*

e) *superatus à Pharnace.*

f) Illy-

f) *Illyridis oppidum: olim* Epidamnus. *Quod nomen, velut ab damno deductum, abominantes Romani, deinceps a peninsula, in qua situm est, Dyrrachium appellarunt. Id nominis adhuc hodie tenet, etsi corruptum.* Durazzo *enim urbs interior, &* Cabo Durazzo *maritima vocatur in tabulis Geographicis recentioribus. Videndi præter Geographos, Plinius 3, 23. Plautus Menach. 2, 1. & ibi Taubm. Baptista Pius annot. posterior. c. 137.*

g) *Idem à Maharbale objectum Hannibali, cum à Cannensi victoria non statim Romam tenderet, recenti clade consternatam eam facile occupaturus.* Vincere scis (*inquit*) Annibal: victoria uti nescis. *Liv. 22. c. 51. Eademq; de re Florus, c. 6. ita:* cum victoria posset uti, frui maluit Annibal, relictaque Roma, Campaniam Tarentumque peragrare. *Elegans hac de re carmen Ovveni est lib. 2. epigr. 119. Sed estne semper, hostibus pulsis instare, consultum? Negat cum ratione Lipsius lib. 5. politic. in fin. capitis 16.*

CAPUT XXXVII.

1. Confectis bellis, quinquies triumphavit: post devictum Scipionem quater eodem mense, sed [a] interjectis diebus: &
2. rursus semel post superatos Pompeii liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit [b] Gallicum, sequentem [c] Alexandrinum, deinde [d] Ponticum, huic proximum [e] Africanum, novissimum [f] Hispaniensem, diverso quemque apparatu
3. & instrumento. Gallici triumphi die [g] Velabrum prætervehens pæne curru excussus est, axe diffracto: Ascenditq; Capitolium [h] ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra [i] lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter
4. pompæ [k] fercula trium verborum prætulit titulum, VENI. VIDI. VICI. non acta belli significantem, sicut cæteris, sed celeriter confecti notam.

a) *Non continuatis, sed ut inter triumphos esset interpositum aliquod intervallum. Torrentius autori contrarium putat Dionem, ut qui dicat, diebus quatuor* continuis *Cæsarem triumphasse. Sed decepit eum Xylander interpres. Locus est lib. 43. pag. 252. E. ubi de continuatione nec verbum vide.*

b) *de subactis Gallis.*

c) *de victo necatoq; Ptolemæo rege puero, & ejus factione prostrata.*

d) *de Pharnace superato.*

e) *de Iuba debellato.*

f) De

f) *De filiis Pompeÿ in Hiſpania devictis. non enim ipſis Hiſpanis. Vnde triumphum hunc proprie & ſignate noſter appellat* Hiſpanienſem : *non* Hiſpanicum. *Soſipater Chariſius*: cum dicimus Hiſpanus, nomen nationis oſtendimus, cum autem Hiſpanienſis, cognomen eorum, qui provinciam Hiſpaniam incolunt, etſi non Hiſpani. *Idem diſcrimen paſſim apud ſcriptores, in Græco, Græcienſi; Germano, Germaniciano; Siculo, Sicilienſi; & talibus. Obſervo, Thucydidem etiam inter* Σικελὸς καὶ Σικελιῶτας *hoc modo diſtinguere. Vide Feſtum in* Corinthienſes.

g) *Eam diverſitatem è Vell. Paterc. 2. c. 56. cognoſcimus. Nam* triumphi Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit. *Loquitur autem de triumphi ferculis, ſimulacris, imaginibus aliis diverſa materia confectis.*

h) *Vicus eſt Romæ, non procul à foro Boario. Marlian. 4. c. 14.*

i) *De more. Luminibus accenſis teſtandi gaudium, ad eaq; deducendi, honoris causa, viros principes, multa collegit Martinus de Roa lib. 2. ſingular. cap. 16. quæ non expilo.*

k) *Candelabra. Plin. 34. c. 3. fin.* Lychnuchos, *primus edidit Egnatius. Pro eo Politanus, Torrentius, alÿ. Sed non peccet, qui cum potiſſimis libris (inter quos etiam Pal. ter. teſte Grutero)* lychnos, *ſervet. Nam & Pliniani quem dixi loci lectio ſic variat.*

l) *Onuph. Panvinius de lud. circenſ. 2. c. 2. docet,* fercula, *pompæ triumphalis eſſe geſtamina, quo nomine continentur ſimulacra oppidorum, ſpolia hoſtium, trophæa, exuviæ, machinæ, & alia id genus quæ* ferri (*nam inde nomen habent*) *in triumpho ſolent. Ea tardius, oſtentandi nimirum causa, ſolita incedere, colligitur è Ciceronis contra ſpiſſigrados præcepto, lib. 1. off.* Cavendum eſt (*inquit*) ne tarditatibus utamur in ingreſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur.

m) *Adſpectu debellari hoſtem, egregie, ut omnia, Gruterus oſtendit ad illa Taciti, 3. Annal. 45.* viderent modo adverſos, & adſpicerentur; id ſatis ad victoriam. *Quo referendum hoc Livÿ, 7. c. 33.* Samnites interrogati, quæ cauſa eos moviſſet in fugam? ajebant, oculos ſibi Romanorum ardere viſos, veſanoſque vultus, & furentia ora: inde plus quam ex alia ulla re terroris ortum.

CAPUT XXXVIII.

Veteranis legionibus, prædæ nomine, [a] in pedites ſingu- 1.
los, ſuper [b] bina ſeſtertia, quæ initio civilis tumultus numera-

verat

2. verat, [c] vicena millia nummum dedit. Assignavit & agros,
3. sed non continuos, [d] ne quis possessorum expelleretur. [e] Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim
4. divisit: & hoc amplius, centenos [f] pro mora. [g] Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum,
5. in Italia non ultra quingenos sestertios remisit. Adjecit epulum ac [h] viscerationem, & post Hispaniensem victoriam
6. duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate sua præbitum judicaret, quinto post die aliud [i] largissimum præbuit.

Locum ita restitui de sententia Lipsii, admirand. 2. c. 12. & ant. lect. 5. c. 18. Nam Casaub. & aliorum editiones, aliter.

a) In pedites, *inquit. Cur igitur* equites *omittit? quia non opus: sicut nec centuriones adjecit, quos notum scilicet erat, duplum accepisse, de more.*

b) *Ea nobis sunt quinquaginta taleri Philippici.*

c) *Ea sunt ipsi Philippici quingenti, atq; ij viritim, & in gregarios milites divisi, cum duplum centurionibus & equitibus esset, tribunis præfectisq; alarum quadruplum. Summam largitionis hujusce videamus. Erant legiones decem, sed veteranæ, & ideo parum plenæ. Sunto igitur* triginta millia *militum: & singulis* quingenti *Philippici faciunt quindecim nostros milliones talerorum Philippicum. Vbi nunc centuriones, tribuni, præfecti, equites? Majus omni fide donativum. Vnde docti viri hic trepidant, & in hujus loci lectione commutant. Sed firmat. Lips. admir. 2. c. 12. quem videsis.*

d) *Potuit & ea causa esse, quam Tacitus attingit* 1. *Hist.* 9. Longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miscentur. *Vnde Valens, militari astu, cohortes turbidas, ac, si una forent, prævalidas,* dispergit, *teste eodem,* 2. *Hist.* 28.

e) *Semel notandum, Suetonium hic atq; alias,* populi *voce, præter morem antiquum, non populum universum, sed tenuiorem, & plebeculam istam jejunam, ac hirudinem ærarij designare. Dio Cassius ita restringit:* τῷ ὀχλῷ τῷ σιτοδοτουμένῳ *h. e.* populo qui frumentum acciperet. *Qui tamen ipse numerus grandis, & sub hoc tempus* trecenta viginti millia *erant, qui è publico pascerentur.* Totus ergo ille populus (*ait autor*) accepit quadringenos nummos viritim, *id est* Minam, *ut Appianus expressit. Sunt in singulos Philippici* de-

cem: *atq; adeo in summam*, tres milliones ducenta millia. *Hæc fere Lipſ. admir. 2. c. 12.*

f) *Tanquam uſuram procraſtinationis, quod promiſſione tardius præmia eſſent reddita. Adde Scaligerum de re nummaria. pag. 33.*

g) *h. e. mercedem inhabitationis ædium alienarum, quæ Græcis ἐνοίκια. Noſter infra Ner. c. 44.* penſionem ædium *appellat. Torrentius locum ſic interpretatur, cives Romanos, qui in conducto habitarent, ſive Romæ, ſive in Italia, nec plus penderent quam* binæ millia (500. *Regales Hiſp. ſive Iulios Rom.*) *aut* quingentos nummos (125. *Regales*) *hos beneficio à Cæſare affectos, ut anno uno a penſione liberarentur. Hinc quam caro conſtiterint olim habitationes: (nam hoc beneficium non niſi ad tenuiores pertinebat) colligi poteſt: cujus caritatis cauſa nulla alia, quam abundantia rerum, ut demonſtratur ab Henr. Savile comment. de mil. Rom ſub finem. & Bodino lib. 6. de Repub. c. 2. p. 658.*

h) *Crudæ carnis diſtributionem, κρεαφορίαν. Nam, quod Servius notat, viſcera vocabant non ſolum inteſtina: ſed quicquid ſub corio eſt.*

i) *Hic diſquirendi locus erit. Prodigalitas ne Cæſaris hæc, an Magnificentia fuerit? Ciceronis quidem calculo lib. 2. offic. longius à fin.* Prodigi ſunt, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino ſint relicturi. *Sed mox ſubjungit*, in his talibus obſequendum eſſe voluntati populi, modo id pro facultatibus fiat, & ſi quando aliqua res major aut utilior populari largitione adquiratur: & ſi cauſa largitionis ſit, quod aut neceſſe eſt (*ob conſuetudinem legesq;*) aut utile &c: *Videatur totus locus, & huc aptetur, bene quadraturus.*

CAPUT XXXIX.

a Edidit ſpectacula varii generis: b munus gladiatorium: 1.
c ludos etiam d regionatim urbe tota, & quidem per e omniũ linguarum hiſtriones: item circenſes, athletas, naumachiam.
f Munere in foro depugnavit Furius Leptinus, ſtirpe prætoria, & Q. Calpenus, ſenator quondam actorque cauſarum. 2.
g Pyrrhicham ſaltaverunt Aſiæ Bithyniæq; Principum liberi: 3.
Ludis, Decimus Laberius eques Romanus h mimum ſuum 4.
egit: donatusque i quingentis ſeſtertiis, & k anulo aureo, l ſeſſum in quatuordecim è ſcena per orcheſtram tranſiit, Circen- 5.

ſibus,

sibus, spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigasque, & [m] equos desultorios agita-
6. verunt nobilissimi juvenes. [n] Trojam lusit turma duplex
7. majorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque: ac novissime pugna divisa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc &
8. inde [o] comminsis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ
[p] metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constitu-
9. ta erant. [q] Athletæ, stadio ad tempus extructo in regione
10. Martii campi certaverunt per triduum. Navali prælio, [r] in minore Codeta defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremesque, Tyriæ & Aegyptiæ classis, magno pugnatorum nu-
11. mero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undique [s] confluxit hominum, ut pleriq; advenæ aut inter vicos aut inter vias tabernaculis positis manerent: ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi: & in his duo senatores.

a) *Suo sumptu exhibuit. Proprium spectaculis vocabulum*: edere. *Hinc* Editores, *& res ipsa* Editiones. *Lips. Saturnal. 1. c. 7. Vt sit materia colloquij, rationes hic illas expendemus, quæ apud Tacitum, lib. 14. Annal. c. 20. & 21. contra spectacula, theatra, ludos, & pro iisdem, adducuntur.*

b) *Vide supra c. 10. 3. a.*

c) *Scenicos.*

d) *Per regiones urbis, quarum quatuordecim fuisse, Plinius est autor, 3. c. 5. postm.*

e) *Sic de Augusto autor c. 43. in ejus vita*: Ludos fecit nonnumquam vicatim, ac pluribus scenis, per omnium linguarum histriones. *Lipsius not. 64. ad Tacit. 14. Annal. putat, utrobiq; hos triplices ludos intelligi, Græcos, Oscos, Latinos. Sed malim cum Casaubono, vel ipso Suetonio potius, histriones aliarum plurium linguarum hic accipere. Romæ quippe magna copia erat hominum, ex omnibus Imperii Rom. provinciis (non Græci, Osci, Latini tantum) quos omnes editis sua cujusq; lingua ludis conciliare sibi Cæsar voluit.*

f) *Ex hoc loco & seqq patet, a Cæsare primam originem fuisse (nec enim factum legimus ante ipsum) ut Senatores, Equites, digniores alij, scenicis & gladiatoriis operis*, quibus, *ut Calpurnius ait*, nihil quidquam est humilius, *in vulgo, fœdarentur. Qua de re amplius agit Lipsius Saturnal. 2. c. 3.*

g) *Græcanicæ saltationis armatæ genus est, de quæ copiosè Alex. Genial. dier. 6. c. 19. ibiq; Tiraquellus: Meursius in Orchestra pag. 63. &c. Lindenbrog. ad Amm. Marcellin. pag. 49. præcipueq; Scaliger lib. 1. Poët. cap. 18. qui tamen ejusdem libri capite 28. nostrum autorem, ut qui Pirricham & Trojam eundem ludum faciat, erroris accusat: inique, ni fallor. Nam ecce manifesto distinguit noster: hic de Pyrrhicha agit: sequenti tmemate sexto de Troja, ut diversa. Discrimen autem ist hoc erat, quod in equis Trojam luderent, pedibus Pyrrhichen.*

h) Mimus *& poëma mimicum significat, ut hoc loco: & qui id componit, mimographum ipsum. His falsè, dicta factaq; hominum (inde nomen Græcum)* imitabantur *ac traducebant, instituto non malo. quomodo & scenici ludiones hodie, & Principum aulis scurræ, & Pasquinus Romæ, & talia, fructu certe non carent.* Ridentem dicere verum, quid vetat? *ait Poëta.*

i. k.) *Censu & insigni dignitatis equestris.*

l) *Hoc est, ut sederet in quatuordecim ordinibus, loco scilicet Equitibus assignato in theatro. Sed Equites ea sessione Laberium excluserunt, ut patet ex Macrob. 7. c. 3. Et recte. Nec hodie quoq; Nobilitatis inveteratæ viri Nobilem novum ad integram statim dignitatis possessionem admiserint. Quin etiam in familia* recentissimus quisque servorum & conservis ludibrio est. *Tacit. Agr. c. 31. Addenda quæ Amplis. D. Gothofredus notat ad l. 7. §. præterea. ff. de injur. & famos. lib. de* heri- servo, hodie liberto: *item è Iuris Canonici Decretis distinct. 48. in præfat. De nostro ordine hoc adjicio, neophytorum Studiosorum qui à trivio ferulaq; recentes in Academiam ventitant, exagitationem, si intra modum consistat, non improbandam videri, præsertim si, quod solet, recenti libertate ferocientes, veteranis statim æquari volunt,* desinuntque (*verbo Senecæ, de Benef. 25.*) meminisse quid fuerint.

m) *Videndus de his Onuphr. Panvinius in de ludis circens. lib. 1. c. 9.*

n) *Idem ibid. lib. 2. cap. 9. Scalig. Poet. lib. 1. c. 18. & 28. Meurs. in Orchest. & Alex. ab. Alex. Genial. dier. lib. 6. c. 19.*

o) *Proprium arenæ vocabulum. Vide Lips. lib. 2. Saturnal. c. 19.*

p) *Adi Panvin. de lud. circens. 1. c. 14.*

q) *Cursores, pugiles, Luctatores. Nam hæc tria genera sunt athletarum.*

r) *In Campo Codetano, qui erat ad Tiberim. Vulgata lectio,* in morem cochlex, *exsibilata à Turnebo, adverss. 24. c. 14. Vide cum primis Tvonem Villiomar (hoc est, Scalig in Titium, animadverss. 10. c. 12. Salmuth. in Pancirol. de gerdita, pag. 218. m.*

s) *En curiositatem, aut vesaniam potius!*

Con-

CAPUT XL.

Conversus hinc ad ordinandum Reipub. statum, [a] fastos correxit, jam pridem vitio Pontificum per [b] intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque [2] vindemiarum autumno, competerent. [c] Annumque ad cursum Solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierũ esset: & [d] intercalario mense sublato, [e] unus dies quarto [3] quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex Kalendis Januariis novis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, [f] quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.

a) Fastos *ergo (quæ* Kalendaria *vulgo)* corrigere, *judicio nostri autoris*, ordinandæ Reipub. *proindeq; Principalis potius, quam Pontificij muneris pars est. Id quod nec nostris temporibus ignorarunt ij, qui correctioni Calendarij à Gregorio XIII. P. M. susceptæ restiterunt. Quæ de re juvat, illum quidem longiusculum, sed memorabilem, nec ab re alienum, Livij Gallici locum annotare.* Cum Augustus VII-Vir *(inquit)* intellexisset, in Imperii Comitiis actum iri de Kalendarii promulgatione, diligenter ad Wilhelmum Hessorum Principem ea de re scripserat, Is summæ non solum ob prudentiam & animi æquitatem inter Protestantes auctoritatis, sed ob raram in tantæ dignitatis viro harum rerum peritiam consultus responderat, non tam de reipsa consultationem esse, quam de rei peragandæ modo. Nam in eo negotio, Cæsaris, & sacri Imperii auctoritatem & existimationem verti, quam cum indies Pontifex dolis ac machinis convellere nitatur, non committendum esse, ut ipsi rem ad ejus dignitatem, atque adeo majestatem, tantopere pertinentem neglexisse videantur. Ami, qui nunc ab omnibus nationibus observatur, rationem à C. Julio Cæsare institutam esse: deinde Carolum Magnum, Imperii in Occidente conditorem, & Kalendarium ipsum, & nomina mensium Teutonica lingua Germanis dedisse. Canonem vero Concilii Nicæni de Paschali celebratione, non Pontificis Romani, qui ea potestate ac autoritate, quam nunc sibi vindicat, minime tunc fuerit, sed communi Constantini Cæsaris, qui Synodo præfuerit, & Patrum decreto, conditum esse. Concilia vero ipsa non à Pontifice, sed ab Impp.

ab Impp. Romanis indici solita: sicuti Constantiense Cæsar Sigismundus recenti adhuc hominum memora indixerit: & jus constituendi non solum Episcopos in Germania, sed etiam Pontificem Romanum, penes Cæsarem, & post Caroli Magni tempora usque ad Othonem I. & deinceps usque ad Gregorii VII. P. P. ætatem fuisse. Cavendum igitur, ne Kalendarii, quod correctione indigere, minime inficias eat, emendandi prætextu, novam & inusitatam Pontifici in Imperii majestatem ac Cæsarem ipsum jurisdictionem & mandandi potestatem tribuant, præsertim cum inconsulto Cæsare, & non requisito Imperii Principum ac Ordinum consensu, res tanta à Pontifice suscepta sit. Placere igitur, ut ante omnia deliberetur, ad quem anni, quem ab omnibus nationibus eadem forma recipi, publici commmercii maximè interest, emendandi & passim promulgandi jus pertineat. &c. *Hæa Thuanus lib. 76. Adde Matth. Stephan. tractat. de Iurisdict. lib. 3. part. 1. cap. 3. num. 42. & seqq. Porro de hac anni Iuliana correctione videndi, Dio Cassius lib. 43. Appianus in fine libri 2. de bello civili, Plinius lib. 18. cap. 25. Plutarchus in Cæsare: Macrobius lib. 1. Saturnal. Tangit & Solinus polyhistor. cap. 3. sed inepte. Optime princeps ille litteratorum, Iosephus Scaliger, in admirando & æternum victuro, de emendat. temp. opere, lib. 4.*

b) *Eandem sacerdotum intercalendi licentiam ac fraudem notans quoq; Solinus cap. 3. scribit*, eos plerumq; gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtraxisse tempora vel auxisse: ex quo nonnunquam acciderit, ut menses, qui fuerant transacti hyeme, modo in æstivum, modo in autumnale tempus inciderent. *Similia Marcellinus lib. 26. c. 4. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 14.*

c) Annus vertens, *definitore Censorino de Die Nat. cap. 19.* est, dum Sol percurrens duodecim signa, eodem, unde profectus est, redir, *Hoc spatio temporis, annum qui definiverit, is eum optime ad cursum Solis accommodaverit. Fuit autem antiquissima fere apud omnes nationes opinio, de modo anni Solaris, sive vertentis, hic expresso, quod scilicet trecentis sexaginta quinq; diebus cum quadrante, sive 6. horis explicaretur: ne quis forte putet, hanc anni quantitatem non solum à Cæsare publicatam, sed etiam excogitatam esse. Quod non ita est. Vsum enim ejus tantum edicto Cæsaris, scientiam autem antiquorum traditioni debemus. Etsi vero propius quam ab ullis determinata veterum, ad verum accedat hæc vertentis anni quantitas: non præcise tamen est vera, cum secundum calculum Alphonsinorum, annus contineat duntaxat dies 365. horas 5. minut. 49. secund. 16. ita ut annus Iulianus superet annum verum, juxta calculum Alphonsi Regis, minutis 10. unius horæ, & secundis 44. quæ differentia 400. annis,*

annis, integrum fere triduum constituit, adeoq; facit, ut hac nostra tempestate, Æquinoctia & Solstitia à sedibus antiquis, tempore Iulij Cæsaris notatis, versus initia mensium per dies 12. ferme recesserint: ut omnino correctione aliqua fuerit opus. Ea tamen an à Gregorio Pontifice quem dixi, recte confecta sit, Astronomi certant, & adhuc sub judice lis est. Equidem emendationem illam mendis gravissimis laborare, ne ij quidem ignorant, qui id velint ab omnibus ignorari. Sed hæc harum rerũ prudentibus discutienda relinquamus. Nos, quibus in evolvendo Suetonio Politica præcepta sectari propositum inprimis est, id hoc loco consideremus, rectene Cæsar in Astronomicis tractandis aliquid operæ studiiq; collocarit, ac non potius illud summi Poetæ spectare debuerit, sub fin. Æn. 6.

Orabunt alii melius, cæliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,

Consulendi, Lipsius in Notis ad lib. 1. Politic. cap. 10. Piccartus observat. Historico-polit. decad. 1. c. 5. & alij.

d) *Intercalarius ille mensis dictus est* Merkidinus, *ut Plutarch. in Numa, vel* Merkedonius, *ut idem in Cæsare memoriæ prodidit. Quæ autem fuerit ea mensis intercalandi ratio, docet Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 13. Solinus cap. 3. & Scaliger lib. 2. de emend. temp.*

e) *Nam sex illæ, quas diximus, horæ, supra 365. dies quotannis excurrentes, quarto quoq; anno diem integrum constituunt, intercalandum seu interponendum post 23. Februarij diem, inter Terminalia jam peracta, & Regifugium. Ex quo intercalaris ille dies, ipseq; annus, dictus est* Bissextus, *quod bis, hoc est, duobus diebus continuis numerarent,* sexto calendas Martias, *duos videlicet pro uno computantes.*

f) *Priscum Romanorum annum ante Iulianam ordinationem, non decem, ut Censorinus de die Nat. c. 20. & alij volunt, sed duodecim habuisse menses, Licinij Macri & Fenestellæ opinionem sequutus docet Iosephus Scaliger lib. 2. de emend. temp. pag. m. 116. cui adstipulatur hic quoq; nostri locus. Nam si ex quindecim hisce postremi confusionis anni mensibus duos illos, quos Cæsar inter Nov. ac Decemb. interjecit, itemq; mercedinem sive embolimum, qui ex veteri instituto, eo anno intercalandus erat, abijcias, restabunt* duodecim. *Quid sibi vult ergo dicto loco Censorinus, cum Suetonium ait* decem *mensium annum putasse? Fallitur.*

CAPUT XLI.

1 Senatum supplevit, patricios allegit: prætorum, ædilium,

lium, quæstorum, [b] minorum etiam magistratuum numerum ampliavit: [c] nudatos [d] opere censorio, aut sententia judicum de ambitu condemnatos, restituit. [e] Comitia cum populo partitus est: ut exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, [f] pronunciarentur: pro parte altera, quos ipse [g] edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: *Cæsar dictator illi tribui.* [h] *Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* [i] Admisit ad honores & proscriptorum liberos. [k] Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis ac senatorii: tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. [l] Recensum populi, nec [m] more, nec [n] loco solito, sed [o] vicatim per [p] dominos insularum egit: atq; ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum è publico, ad [q] centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi [r] cœtus recensionis caussa moveri quandoq; possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his [s] qui recensiti non essent, [t] subsortitio à prætore fieret.

2. 3. 4. 5. 6. 7.

a) *Sunt hæc facta Cæsaris omnia talia, quæ ab Aristotele, 5. polit. 8. pr. τῶν πολιτειῶν σοφίσματα, à Tacito 2. Annal. 36. & 1. Hist. 4.* Imperii arcana *nominantur. Non enim posse se Monarchiam, quam meditabatur, absolvere putabat, nisi multos sibi faceret obnoxios. Quæ de re nonnulla supra cap. 23, 3. a, attigimus.*

b) *Agellius 13. c. 14. è Marci Messallæ lib. 1. de auspiciis, docet,* minores magistratus *appellari, quorum minora sunt auspicia: & eo numero contineri omnes, præter Consules, Censores & Prætores, qui majorum sint auspiciorum. Noster tamen hoc loco majoribus etiam Quæstores aggregare videtur.*

c) *P. Faber semestr. lib. 2. cap. 12. pag. 161. pro* Nudatos *hic reponit* Notatos, *& de Nota Censoria notatu digna quædam proponit. Attamen & codicum Pall. consensus, indice Grutero, & quæ Casaubonus ad hunc locum adducit, receptam lectionem, utut κακοσχήμονα, probabiliorem faciunt.*

d) Opere censorio, *hoc est,* functione censuræ, *inquit Erasmus. Agellius autem lib. 4. noct. Att. cap. 12. & lib. 14. c. 7. m.* opus censorium *accipit pro delicto aliquo quod notam castigationemq; censoriam mereatur. Sensus ergo loci, Cæsarem eos, qui ob delictum aliquod ignominia notati fuissent à Censoribus,* (ut si-

(ut scilicet aut Senatu moverentur si Senatores, aut Equites, equo publico privarentur: aut Plebeij, ærarij fierent, inq; Cæritum tabulas referrentur) in statum pristinum restituisse.

e) *Aliud arcanum Cæsaris consilium hic notandum venit, paulatim insurgendi, ac imperij vim ad se pertrahendi. Ius creandi magistratus (ea enim hoc loco sunt* Comitia*) non totum populo ademit: namid, crudæ adhuc servitute, non licuisset: sed cum eo divisit ea ratione, ut exceptis Consulibus (quod olim summi imperij nomen, & ipse, & secuti Principes sepposuerunt Senatui sibiq;) in cæterorum suffragia, æquale cum populo jus obtineret. Tiberius autem, animis Quiritium fractis jam, & ad servitium factis, comitia plane sustulit, ac jus creandi magistratus omne sibi & Senatui sumpsit, populi nullo loco. Quod Tacitus 1. Annal. 15. indicare voluit his verbis:* Tum primum è campo comitia ad patres translata sunt, *& sic umbra popularis status, à Cæsare & Augusto relicta, à Tiberio plane sublata fuit.*

f) *Lipsius ad 1. Annal. Tacit. corrigit,* renunciarentur, *quod justum comitiorum verbum est. Sed cum scripta lectio librorum omnium habeat,* pronunciarentur, *nihil mutandum crediderim. Nam & renunciatos, sive creatos, pronunciari oportebat.*

g) *Hoc est, produxisset,* Ernenn.

h) *Candidatos bonorum virorum elogio commendari consuevisse, Brissonius lib. 2. Formul pag. 150. m. cum ex hoc autoris loco, tum Livij 10. c. 13. ostendit, ubi Fabius Max. ita suffragationem suam enunciat:* P. Decium, expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente suo, quæso, mecum Consulem faciatis. *Quanquam alia ratio Fabiana commendationis, ac Cæsareana fuit. Nam à Cæsare commendatos, omnino reijcere non licebat.* Preces erant, sed quibus contradici non posset, *ut ait Tacitus 4. Hist. 46 de militibus stipendia orantibus. Quomodo P. Mimus:* cogit rogando, qui rogat potentior. *Cicero lib. 9. ad Att. epist. 16 de ipso Cæsare loquens, orandi rationem hanc eleganter appellat* πειθανάγκην, *hoc est,* persuasionem cum necessitate ac vi conjunctam: *& addit illud Platonis ex epist. 7. (tom. 3. pag. 329.)* τὰς τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν, ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσὶν Tyrannorum preces cum necessitate permixtas esse novimus. Potestas non solum si invitet, sed etiam supplicet, cogit. *Macrob. 2. Saturnal. 7. pr. Sed & illæ libera commendationes intercessionesq; hominum, non nisi sua mancipia promota, & personis potius quam officio consultum cupientium, haud raro noxiæ. Nam* privatæ res semper offecere officientque publicis, *ut ait nimis quam vere Livius lib. 2. c. 30. Quod ad animum revocans Imperator (religionem excipio) laudatissimus, Julianus,*

apud Ammian. Marcellin. 20. *c.* 11. *legem sanxit*, ut neque civilis quisquam judex, nec militiæ rector, alio quodam præter merita suffragante, ad potiorem veniat gradum, non sine detrimento pudoris, eo, qui pro quolibet petere tentaverit, discessuro. Et Iulius Agricola, *laudante Tacito in ejus vita*, *c.* 19. non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum, milites ascivit. *quomodo igitur? aut per se cognitos, aut communi fama. Bene Plinius*, perstа, *inquit*, Cæsar, in ista ratione propositi, talesque nos crede, qualis fama cujusque est: huic aures, huic oculos intende. Melius omnibus quam singulis creditur. Singuli enim decipere & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *Hæc ille in panegyr. quem Trajano dixit*, *cap.* 62.

i) *De proscriptis à Sylla sermo est, quorum liberis per leges Cornelias, intercluſus ad honores aditus. Sed eos admisit Cæsar, ut & ipsum secutus Augustus. Recte. Nam* æquum est, ibi esse pœnam, ubi & noxia est. Peccata suos teneant autores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum, *ut est in l. sancimus.* 22. *C. de pœnis. Quomodo & Vlpianus l.* 2. §. *penult. ff. de decurionib.* nullum *inquit*, patris delictum innocenti filio pœnæ est. *Omnia congrue cum Sacris literis, Deuteron.* 24, 16. *Ezech.* 18, 20. *In gravissimis tamen criminibus, ut est læsæ majestatis, interdum aliter fieri solet ac debet, non quin acerbum sit, parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc præclare legibus comparatum est*, ut caritas liberorum amiciores parenteis Reipub. reddat, *ait Cicero epist.* 12. *ad Brutum. qua de re Faber semest.* 3. *c.* 8. *Radulph. Fornerius rerum quotidianar. lib.* 3. *cap.* 17. *& nos per occasionem in ipsa συζητήσει plura.*

k) *Hujus instituta causam Dio Cassius lib.* 43. *pag.* 256. *ita reddidit*: Judicia Senatoribus Equitibusque commisit ut puriſſima pars civitatis judicaret. Ante enim ex plebe quidam etiam una judicia exercebant. *Quos* ex plebe *Dio noster hoc loco* tribunos ærarios, *Plinius lib.* 33. *cap.* 2. *p.* tribunos æris *appellat, ex eo sic dictos (qua Festi & Varronis sententia est in fin. lib.* 4. *de LL.) quod eis attributum esset æs seu pecunia, eut militibus redderent. Quomodo & Glossarium*: Ærarius, ταμίας. *Ut autem præter Senatores & Equites his quoq; judicia communicarentur, Asconius Aurelium Cottam Oratorem perfeciſſe scribit. Adeundus Sigonius lib.* 2. *de ant. jure civium Rom. c.* 18. *& in libris tribus de judiciis. De tribunis ærariis adde Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib.* 2. *cap.* 24. *& lib.* 5. *c.* 2.

l) *Bene & proprie, ut amat autor noster*, recensum *dixit*, *non* censum. *Nec enim censum aut lustrum egit Cæsar: Plutarchus in Cæs. pag.* 733. E. *epitomator Livij lib.* 116, *hosq; secuti duces, Carolus Sigonius & Onuphrius Panvinus*,

Easto-

Fastorum hodie scriptores, qui id putant, nec plura quam centum quinquaginta millia civium superfuisse civilibus bellis, deus bone, quam errant! Errorem primus, quod sciam, detexit Lipsius Elect. lib. 1. cap. 27. Census *numerum inibat omnium omnino civium:* Recensus *autem hic erat examen & disquisitio brevis in eos, qui jure aut injuria capiebant è publico frumentum. quod genus fuit tenuis tantum & egena plebs, quam ideo Cicero lib. 1. ad Attic. epist. 15. sub fin.* hirudinem ærarii *dixit. Dio Cassius lib. 43. pag. 254. B. hunc ipsum Cæsaris recensum,* τὸ πλῆθος, τὸ τὸν σῖτον λέροντος ἐξέτασιν *appellat. Recensus autem ex eo dictus, quia tabulæ illæ, quibus inscripti frumentantes, identidem purgari solebant, aliique, suffici, aut etiam expungi: quod posterius, hic omnino necesse fuit, quia, ut ait ibi Dio, numerus* τῶν σιτοδεικνυμένων, *non legitime, sed eo modo, quo in seditionibus fieri assolet, in immensum excreverat. Accurate de hac frumenti publici largitione Lipsius lib. 1. Elect. cap 8. lib. 2. de magnit. Rom. cap. 10. & libro peculiari Vincentius Contarenus.*

m) *Per censores & publicos scribas.*

n) *In Campo Martio.*

o) *Per vicos urbis.*

p) Insulæ, *definitore Festo,* ædes sunt, quæ non conjunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituq; publico aut privato cinguntur, à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, sintque in salo positæ, *quod* præcipuum adversus casus ignis remedium est, *ut Tacit. Germ. c. 16. ubi de discretis Germanorum ædificiis, ait. Hic tamen & alibi per* insulas, *generatim quasvis ædes locatitias intelligi debere Casaubonus monet, & per* dominos insularum, *ipsos locatores. Horum autem opera usus in recensu Cæsar, quippe qui numerum inquilinorum (egenorum plerunque, ac proinde* σιτοδεικνυμένων*) facile tenerent.*

q) Centum quinquaginta, *subaudi, millia. Si Dionem sequamur,* centum sexaginta *rescribemus. Ait enim. lib. 43. pag. 254.* frumentantes illos 320000. à Cæsare ad mediam partem retractos. *Sed nimirum Dio rotundæ summa utitur. additque* ὡμῶς τι, *h. e. ferme, ut aliquanto pauciores fuisse intelligamus.*

r) Ab hoc genere summum periculum est, si cœtus, & concilia, & secretas consultationes esse sinas, *ait Cato apud Livium. 34. c. 2.* Est enim hoc bellorum civilium seminarium, sapienti Magistratui, quoad potest, evertendum.

s) *Qui in recensione Cæsaris admissi ad frumentationem non essent.*

t) *Suffectio, surrogatio, quæ privris illius à frumentatione exclusionis solamen esset.*

CAPUT XLII.

Octoginta autem civium millibus in [a] transmarinas co- 1.
lonias distributis, ut exhaustæ quoque urbis frequentia suppeteret, sanxit, *Ne quis civis major annis viginti, minorve* [b] *XL. qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset*; [c] *neu quis senatoris filius, nisi* [d] *contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur: neve hi, qui* [e] *pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.* Omnesque [f] medicinam Romæ professos, & [g] liberalium ar- 2.
tium doctores quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. De pecuniis mutuis, dis- 3.
jecta [h] novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, [i] decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, [k] deducto summæ æris alieni, si quid [l] usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. [m] Cun- 4.
cta collegia, præter antiquitus constituta, detraxit. Pœ- 5.
nas facinorum auxit: [n] & cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exulabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.

a) *Corinthum & Carthaginem à Cæsare deductas, autore Dione sub finem libri* 43.

b) *Palatini codices, omnesq; fere libri antiqui,* decem *hic habent, quod quomodo defendi possit, diu meditatus, nihil invenio. Nam Beroaldi interpretatio dura est & absurda nimis. Amplector itaq; quod è Tornacensi libro Torrentius restituit,* quadraginta. *Constat enim, Cæsarem infrequentiæ civium, novæ sobole minuendæ, per hanc legem consultum voluisse. Determinavit ergo spatium humanæ vitæ, quo vir robustæ sobolis generationi cumprimis aptus esse censetur, scilicet ab ætatis anno vicesimo ad quadragesimum, quo tempore, civi Romano plusquam triennium continuum, Italia abesse non licebat, ne scilicet ager domesticus per incultum negligentiamq; squaleſceret. Excepti tamen, qui sacramento tenebantur, hoc est, milites, qui plurium annorum stipendia foris merebant.*

Dixit

Dixi, robustæ soboli, non nescius generandi terminum, ultra citraq; dictos annos per naturam extendi: sed sobole, gignentium infirmitatem referente. Possunt enim alias à masculis decimoquarto, à fœmellis duodecimo ætatis anno completo contrahi nuptiæ: verum ea ut festinatæ taxantur: nec omne quod licet, honestum est. l. semper. 42. ff. de ritu nuptiar. & l. 14. §. 2. eod. tit. Et Imp. Iustinianus in Novella constit. 100. eos qui decimo quinto ætatis anno nuptias contrahunt, σφόδρα τάχα nuptias contrahere dicit. Expectanda quin potius ætas idonea quam ἕξις τῶν σωμάτων δεξία, καὶ τῶν ψυχῶν ὁπλισθεῖσα, commendet, ut Mæcenas loquitur apud Dionem lib. 52. pag. 546. c. Sed & eorum qui in senectute viros tamen exerceant, exempla suppetunt. Volusium Saturninum post 62. annum, Catonem Censorinum post 80. Masinissam Regem post 86. filios generasse, Plinius autor est, 7. c. 14. Nec his cedimus Germani. Thomam Platerum ætatis anno 75. filium, & 81. filiam procreasse: Ioannem vero Sommermatterum post annum centesimum, auctum item filio, testatur Th. Zvvingerus theat. volum 29. Quin & nostra memoria senem ex ordine sacro reverendum, eundemq; cæcum, & rude donatum, ætatis anno 80. filiam sustulisse, funebria anni 1607. programmata Academica curiosos docebunt. Addenda quæ Camerarius habet operar. subcis. cent. 2. cap. 67. in fin. & c. 68. in princ. Quanquam interdum hypobolimæos hic intervenire partus, juxta dictum Deuteron. 28. v. 30. valde τῶν κατὰ τὸν βίον πρόξενον ἄπειρον esse oportet, qui nescit. Vtut sit, hæc omnia Cæsaris legi nihil adversantur, qui non, quod per naturam potest, sed quod plurimum fieri solet, Reiq; publicæ maxime prodest, spectavit.

c) *Lipsius in not. 51. ad lib. 12. Annal. Taciti, legendum hic existimat*, ne quis senator senatorisve filius. *Ab ingenio hæc correctio, non à libris nec, puto, necessaria est. Alia enim ratio, ob quam Senatoribus absq; permissu Principis abesse peregre non licuit. Cæsar in filiis senatorum id spectavit, ut subolescens patricia juventus urbem civibus legitimis repleret. Quanquam ad alia non minus utile hoc institutum, & accisa circumscriptaq; peregrinandi licentia, quæ promiscue quibusq; concessa, quantum damni det, non obscurum. Videndus Plato lib. 12. de LL. pag. 949. & seq.*

d) *Dictum supra cap. 21. a.*

e) Pecuariam facere, κτηνοβατεῖν, est armenta gregesq; alere. *Scientia, Columellæ Catonisq; judicio, agricultura multo quæstuosior: cui quod tertiam partem puberum ingenuorum (nam cæteri servi erant) à pecuariis adhiberi Cæsar jussit, nimirum hac quoq; ratione voluit urbis civiumq; frequentiæ consulsum.*

f) *Apparet vel ex hoc loco, verum esse quod supra, cap. 4, 2. c. monitum, errare, qui omnes Romæ Medicinam profitentes, servos fuisse putant. Nec enim servi civitate donari soliti: sed in liberos & exteros hoc fuit collatum beneficium. Diu quidem medicina Romæ apud libertos aut servos, ut ingenuis parum digna. Sed Cæsar primus decus addidit arti præstantissimæ, ad salutem natæ generi humani, & merito,* Medicinæ apud ægros usus, apud sanos etiam honor est, *ait Seneca lib. 1. de clem. cap 2. Quomodo Syracides etiam cap. 38.* jubet honorare Medicum propter necessitatem. A Deo enim, *inquit*, est omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatum collaudabitur &c. *Nam quod Romæ quidem eum Medicis honorem habitum, negat Robortellus, annotat. lib. 1. c. 21. ut Cæsarum amicis accenserentur, id falsi arguunt cum illa quæ superius cap. 4, 2. c. dicta: tum noster ipse in Aug. c. 91. ubi Artorium medicum, Augusti amicum appellat. Et apud Tacit. lib. 6. Annal. c. 50.* Charicles medicus, Tiberii Cæsaris amicus. *Sic Seneca lib. 6. de benef. c. 16.* Quare medico (*inquit*) & præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico ac præceptore in amicum transeunt. *Agellius 3. c. 8. Timocharem qui Pyrrhum veneno necare in gratiam Romanorum voluit, ejus* amicum & familiarem *appellat: at eundem, medicum Pyrrhi fuisse, ex Eutropio lib. 2. constat. Sic* Stratius medicus, Attali regis amicus *dicitur Liv. 45, 19, 6.*

g) *Optime factum.* Eo quippe solet impendi labor, unde emolumentum atq; honos speretur, *ut inquit Livius lib. 4. c. 35. At* sublatis studiorum pretiis, etiam studia pereunt. *Tacit. 11. Annal. 7. Quam utramq; sententiam complexus Iamblichus apud Stobæum serm. 46.* Augetur (*inquit*) & crescit, quidquid in honore est: deficit & minuit, quidquid in contemptu. *Quod egregia similitudine declarans Plutarchus ab initio orat. 2. de fort. Alex. ostendit,* plures excellentes artifices non tam ætate Alexandri, quam propter Alexandrum extitisse. Ut enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aeris gignit: ita liberalium artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor & humanitas Regis efficit: contra Principum invidia ac sordes omnia ista extinguunt. *Quod ille Thrax Imperator Iustinianus exemplo suo docuit, haud scio quam bene purgatus hoc crimine ab iis, qui ad dignitatem artis suæ putant interesse, ducem ἀναμάρτητον habuisse, Nam ille, si Zonaræ credimus, Annal. tom. 3.* antiquitus constituta salaria, in quoq; oppido professoribus bonarum artium danda, de consilio Præfecti sui sustulit: atque ita frigentibus passim per oppida Scholis, rusticitas & barba-

barbaries occupavit inhabitantes. *At vero sub Imp. Trajano, spiritum, & sanguinem, & patriam recuperunt studia, quod ipse Princeps honorem dicendi magistris, & dignationem sapientiæ doctoribus haberet, commendante Plinio paneg. cap. 47. Addendus Camerar. horar. subcis. cent. 1. cap. 4, & cent. 2. c. 55. & seq. Lipsius monit. polit. cap. ult.*

h) Novæ tabulæ *sunt, cum æs alienum remittitur, & novi codices fiunt.* χρεῶν ἀποκοπὴ, *& composite* χρεωκοπία, *bonis Glossis explicantur, id est, resectio & expunctio debitorum* χρεωκοπεῖν, *æs alienum remittere*, ein Strich durch die Schuld machen. *Solon hanc mitiore vocabulo* σεισάχθειαν, *quasi oneris excussionem appellavit, scilicet* ἀπὸ τὸ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων, *ut tradit Hesychius. Autor Livius est, 32. c. 38.* Nabidem tyrannum, cum Argos expugnasset, duas leges promulgasse: alteram novarum tabularum, qua debitores ære alieno liberavit: alteram agrorum ex æquo dividendorum; duas faces novantibus res, ad plebem in optimates accendendam. *Et est utrumq; sanè quam iniquissimum, ac justitiæ maxime adversum, ut mirum sit, utrumq; suos tamen commendatores magnos viros inveniisse. Nam & facultatum, aut certe agrorum æquabilem divisionem, convictumq; perpetuum, è veteribus, Lycurgus, Plato, è nostris Thomas Maurus in ea civitate, quæ quod nusquam esset, Utopia est appellata, probarunt: & σεισάχθειαν cum Solon, quem diximus, postquam bonorum æquationem non posset, in Remp. invexit: tam etiam idem Rex Agis, cum tabulas omnes debitorum in publicum allatas, una & eadem flamma comburi jussisset,* eo incendio nullum umquam se clarius vidisse testatus est. *Ac Cicero quidem lib. 7. ad Attic. epist. 10.* χρεῶν ἀποκοπὰς, *sceleribus annumerat. Cæsar etiam, ut hoc loco patet, etsi homo max. me popularis, populo tamen tabulas novas gratificari noluit, quod sciret, nisi res creditæ solvantur, fidem, quæ justitiæ, proindeq; Reip. fundamentum est, subsistere non posse. Cicer. 2. Off.* Æquissima vox est (*ait Seneca, 3. de benef. 14.*) & jus gentium præ se ferens, Redde quod debes. *Et ut luat in corpore, qui non habet in ære, eodem jure gentium est receptum. Vbi tamen inter Decoctores malitiosos, & eos qui fortunæ vitio depauperantur, distinguendum putamus. De Banccæ-ruptorum hujus sæculi praxi tractatus extat egregius Danielis Sauterii. Addendus Arnisæus polit. lib. 1. c. 3. num. 28. & seqq. Bodinus lib. 5. de Repub. c. 2. post pr.*

i) *Eandem rem Cæsar ipse his verbis memoriæ mandavit in principio lib. 3. de bello Civili:* Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit, ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent,

atque

atque ex creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella & civiles dissensiones sequi consuevit, & ad debitorum tuendam existimationem, esse aptissimum existimavit. *Ideo autem æstimatio possessionum facta ex tempore quod bellum antecessit, quia per bella vastati agri, & incultæ possessiones, minoris haud dubie pretii factæ erant, quam ante bellum civile fuerant.*

k) *C. Licinius & L. Sextius tribuni pl. anno V. C. 386. similem legem promulgarunt, eamq; post decennium pertulerunt, auctore Livio lib. 6. cap. 35. pr.* ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur. Ubi usuras de capite deducere, *nobis est*, den erlaßen Zins vom Capital abziehen. *Quomodo & Horatius 1. Satyr. 2, 14* Quinas hic capiti mercedes exsecat. ——

l) *Vt collegis materia conferendi præbeatur (quæ quidem in philologicis etiam occurrit: sed non ad omnium ea gustum faciunt) placet, hujus occasione loci de usuris aliqua proponere, quas etsi jure & divino, & naturali atq; civili illicitas aliqui putent: hic tamen rationibus adducimur, ut contrarium statuamus. Primo postulat æquitas, ut is qui pecuniæ suæ usum alteri concedit, ac emolumentum, quod inde capere licuisset, in alium transfert, compensationem ab ipso percipiat: iniquum contra foret, mutuæ pecuniæ fructum ab accipiente solo percipi, eo qui dedit, præterito. Nec enim cuiquam officium suum debet esse damnosum. Deinde sublato fœnoris usu, societas civilis, quæ mutuis auxiliis eget, non parum damni caperet, cum quisq; rerum suarum tenax, nisi aliqua spes lucri subsit, malit pecuniam otiosam retinere, quam casui exponere. Tertio idem legibus atq; decretis Principum non Gentilium modo, sed Christianorum quoq; conceditur. Quomodò novissime Imp. Carolus V. in Comitiis anni 1548. usuras ad quincunces moderatus est, ut scilicet 5. in centena numerentur. Quod genus usuræ moderatæ, præter IC. tos multi eximij Theologi probarunt: nec privatis tantum licitas esse, sed & à magistratibus quibusdam laudabiliter exerceri videmus. Vehementer enim commendant Politici Venetæ aliarumq; Italiæ Rerump. institutum, quod & Argentoratensis ampliss. Resp. cum illis habet commune, quo tenuioribus, aut subito præsenti pecunia indigentibus, ex publico ærario pecuniam credit ea lege, ut supellectilem auream argenteamve oppignorent, annua pensione mediocri soluta, qui si solvendo non fuerint, pignus venditur, quodq; soluta pecunia reliquum est, debitori restituitur. Ita nimirum cavetur, ne tenues gravioribus usuris urgeantur, & (quo verbo de immoderato fœnore utitur Scriptura) mordeantur, aut ad bonorum suorum distractionem alieno tempore adigantur: sed se suaq; servare, & interea temporis pignora commode luere possint.*

m) *Tale*

m) *Tale quid olim Carolus V. in Augustana; nec ita pridem Matthias Divi Imipp. in Francof. Rep. fecerunt. Hoc loco licebit excutere Bodini de Rep. lib. 3. c. 7. ubi de corporibus, collegiis, & universitate, quæq; ex his commoda aut incommoda sequantur. Adde Tolosan. de Rep. lib. 13, 3, 14.*

n) *Hoc judicio id spectavit Cæsar, ne bonis suis in exilio fruentes, supplicij pœnam nullam sentirent. Quomodo Gallius quidam, in Lesbum insulam relegatus, omni genere voluptatum, quibus ipsum domi juxta uxorem carere oportuisset, perfusus vixit. Quod ubi Romæ compertum est, ab exilio revocatus, novo pœnæ modo, loco relegationis, ad convictum uxoris, in domum condemnatus fuit.* (hat müssen ins Hauß schwören / *nostra phrasi*) *ut refert Mich. Montaigne Liv. des Essais, c. 29. Vide Arnisæum de jure majest. 590.*

CAPUT XLIII.

1. [a] Jus laboriosissime ac severissime dixit. [b] Repetundarum
2. convictos etiam ordine Senatorio movit. [c] Diremit nuptias [d]
3. prætorii viri, qui [e] digressam à marito post biduum statim
4. duxerat, quamvis sine probri suspicione. [f] Peregrinarum
5. mercium portoria instituit. [g] Lectticarum usum, item [h] conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis & ætati-
6. bus, perque certos dies, ademit. [i] Legem præcipue sumtuariam exercuit: dispositis circa [k] macellum custodibus, qui opsonia [l] contra vetitum retinerent, deportarentque ad se, [m] submissis nonnunquam lictoribus atque militibus: qui si qua custodes fefellissent, jam apposita [n] è triclinio auferrent.

a) *Hoc ipsum totidem prope verbis de Claudio Cæsare autor in ejus vita cap. 14. prædicat. Idemq; de Augusto, c. 33. de Galba, c. 7. 8. 9. de Domitiano, c. 8. non diversa memorat. In his, mali, fateor, aliqui: sed* laudabilia multa Principes etiam mali faciunt, *ait in panegyr. c. 56. Plinius: & bonorum exempla plura I. Lipsius adducit lib 2. monit. & exemp. c. 9. monit. 3. quibus adjungamus licet Imperatorum Trajani, Adriani, Antoninorum duorum, Alexandri Severi, & quem cum exceptione religionis inter optimos quoq; numero, Iuliani, aliorumq; permultorum Romanorum Principum: è Gallicis Annalibus, Caroli Magni, Ludovici Pij, Caroli Sapientis, Caroli VII. Caroli VIII. Ludovici XII. &c. qui omnes subditorum querimoniis & controversiis audientiam ordinariam ipsi præbere, & juris copiam facere solebant. E nostra gente, insigne monitum est Imp. Rudol-*

phi I. Austriaci, à Siffrido Misnensi presbytero epit. lib. 2. sub anno 1274. annotatum. Is enim cum submoveri à satellitio suo tenuiores quosdam videret, ad se viam affectantes, non sine stomacho edixit: Per Deum, sinite homines ad me venire. Non enim ideo ad Imperium sum vocatus, ut in arcula includar. *Et vere. Nam* fruendæ justitiæ causa olim bene morati Reges constituti sunt. *ut scribit Cicero lib. 2. offic. c. 12. eademq; de causa Homerus ipsos, δικασπόλους, & δημιοτρόφους, h. e.* juris distributores *sive juridicos appellat. Minus tamen probandum Persei Macedonum Regis institutum videtur, qui & ipse more scilla eburnea posita jus dicebat, disceptabatq; controversias, sed* minimarum rerum, *autore Livio lib. 41. cap. 20. Potius sequendum consilium, quod Iethro Mosi dedit Exod. 18, 22. ut causas graviores cognoscendi ac decidendi summum sibi jus autoritatemq; servaret: quæ minoris essent momenti, judicibus inferioribus delegaret. Verum tamen & in contrarium rationes non aspernandas adducit eo quem dixi loco Lipsius. has in ipsa συζητήσει, cum dabitur, excutiemus.*

b) *Repetundarum (subaudi, pecuniarum) crimen, κάκωσις ἐπαρχίας, Plutarcho & aliis, erat quando magistratus à sociis & provincialibus contra leges aliquid exigerent acciperentve. Id enim Romæ judicio* repetere, *ac domum referre, sociis concessum legibus fuit. Ob hoc crimen ordine Senatorio (qui ex scito XII. tabb. vitio debet carere) motorum exempla suppeditat & Tacitus lib. 13. annal. cap. 33. simul cum lib. 14. 48. item lib. 1. histor. c. 77. De pœnis eorum qui damnati de repetundis, enucleate Paulus Manutius in de ll. Romanis. Adde Lipsii notam 82. ad Tacit. 14. Annal.*

c) *Recte factum; non modo cum alioquin etiam*, quæ per calorem repudium remiserat, brevi reversa, nec divertisse videtur, *ex l. 3. ff. de divort. verum etiam ut consuleretur honestati publicæ, sanguinisq; turbatio vitaretur. Ob quam tandem causam receptum constitutumq; apud Romanos fuit, ut mortuum maritum uxor per integrum anni tempus elugere necesse haberet, infamiæ irrogata secus facienti, ut & ei, qui talem intra illud tempus duceret sciens. Videatur l. 1. l. liberorum. 11. ff. de his qui notantur infamia, item l. 15. C. ex quibus caus. infamia irrog. & utrobiq; Amplis. D. Gothofredus in Notis. Id spectavit scilicet Imp. Augustus, cum abducta Neroni uxore, Pontifices consuleret, an concepto, nec dum edito partu, rite ea nuberet. Tacit. 1. Annal. 10. Et Martialis lib. 6. epigr. 7. adulteram vocat, quæ intra tricesimum diem decimo viro nupserat. Non modo vero propter confusionem seminis, per tantum tempus, maritum lugere debet uxor: sed etiam propter reverentiam mariti, adeoq; etiamsi sciatur à quo pragnans sit, & quamvis intra annum luctus pepererit. Unde est, ut quidam mariti elugendi non sint, tanquam indigni d. l. 11. §. non solent. ff. de his qui not. infam.*

fam. Sed hoc propemodum extra oleas vagari est. Ex professo pertractant hanc quæstionem Arnisæus de jure connubior c. 5. sect. 4. Cyprianus de sponsalibus, cap. 13. §. 88. & seqq. Ad nostrum hunc locum proprie spectat ille locus D. Hieronymi lib. 1. contra Iovinianum: Quasdam repudiatas altero nuptiarum die statim nupsisse legimus. Uterque reprehendendus maritus, & cui tam cito displicuit, & cui tam cito placuit.

d) *Prætura functi: ut quæstorij, ædilitij, tribunitij dicti, qui quæstores, ædiles, tribuni fuerunt: consulares, qui consules.*

e) *Repudio dimissam.*

f) *Peregrinarum mercium species enumerantur l. ult. §. species. ff. de publicanis & vectigal. His in Italiam importatis,* portoria *seu vectigalia portitori solvenda (quæ Strabo lib. 17 geograph. pag. 549, 30. quanquam generaliori voce, εἰσαγωγικὰ τέλη eleganter appellat, ut ἐξαγωγικὰ, quæ pro mercibus exportatis dantur) à Cæsare sunt imposita; quam recte hoc, ostendit Io. Bodinus lib. 6. de Rep. c. 2. pag. 661. Vbi,* si quis est, *inquit,* qui scire de me velit, quodnam genus vectigalium immortali Deo gratissimum, civitatibus pulcherrimũ, Principib. honestissimũ, plebi utilissimũ videatur, illud est, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civiũ mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant: aurea, inquam & argentea suppellex, odores, pigmenta, innumerabilia vestiũ ornamenta, colores pretiosissimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ, cæteraque generis ejusdem: quæ prohibenda non sunt, nec si velis, possis: cum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quam quæ sanctissime vetantur. *Adde Simanc. de Repub. lib. 9. c. 24, 10. Ex his publicis furoribus, qui nunc Germaniam concutiunt, indeq; profecto incendio annonæ, intentis rerum omnium pretiis, summa pecuniariæ rei difficultate, hoc, spero, boni redundabit ad patriam, ut eo quantumvis violento remedio, sed tamen remedio, sapientiores facti, deniq; dediscamus usum exoticarum mercium, quibus carere utiq; facile possemus, si naturæ lege, quæ paucis, iisq; domesticis cõtenta, vivere vellemus. Cæterum ex hoc autoris loco patet illud quoq;, solius Imperatoris esse, nova vectigalia, portoria, ripatica instituere, vel ut instituantur augeanturve, permittere: quod multis ostendit Arnisæus lib. 2. de Repub. cap. 7. num 6. Quanti autem fuerint hi reditus è peregrinis mercibus in Repub. Rom. per conjecturam supputat I. Lipsius lib. 2 de magnit. Rom. cap. 2 sub finem.*

g) *Lucem huic loco dat Eusebius in Chronicis ad Olympiad. 184.* prohibitæ (*à Cæsare*) lecticis margaritisque uti, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores essent annis quinquaginta quinque. *Nisi quod male*

hoc interdictum ad fœminas arctatur: cum pertinuerit etiam ad viros, quà de lecticis quidem est. Et fortasse vetuit Cæsar lecticis uti, nisi Senatores aut senes. Lecticarum formam, discrimen, priscos ritus, exponit optime Lipsius elector. lib. 1. cap. 19. Romanam gravitatem imitata Resp. Augustana, & ipsa non nisi honoratioribus carpentorum usum concedit. Facit huc l. unica. C. de honoratorum vehiculis: item l. un. C. nulli licere in fran. & equestrib. sellis &c.

h) *Conchylium, quod & muricem, & ostrum dicimus, genus piscis est, cujus ex incisa concha colligitur succus tingendis vestibus expetitus. Ex eo enim inficitur purpura. Videndi, Plin. lib. 9 c. 36. Vitruvius de Architect. 7. c. 13. & ibi Gul. Philander. Hinc* conchyliati *apud Senecam epist. 62. hoc est, purpurati, &* conchyliata vestis, *purpurea, quam* blatteam *vocat Vopiscus in Aureliano cap. 46. quem ad locum omnino consule Notas Salmasii, pag. 393. Præclare vero prudenterq; Cæsar, ordines civium, veste discriminavit, ut scilicet qui (verbis Taciti 2. Annal. 33.) locis, ordinibus, dignationibus antistant, cultu quoq; ab aliis discernerentur. At nescio quomodo Laconum illa consuetudo displicet, apud quos, ex instituto Lycurgi, nemo altero cultior incessit. Iustin. lib. 3. c. 3. Commendat eo nomine Iacobus Bornit. lib. 4. de Ærar. cap. 6. Rempub. Argentoratensem, Augustanam, Noribergensem & Francofurtensem, quod in ijs suus cuiq; ordini, patritio & plebeio, habitus præscriptus extet legibus vestiariis, quas transgredi non liceat sine pœna aut ita ut indelinquentes; censores constituti sint clandestini, qui in publicis & privatis conversationibus singulos observent ac notent. Quo de instituto plura lac. Curtius, Brugens. IC. tom. 2. Conjectur. lib. 2. cap. 11. & Tolosan. lib. 4. de Rep. c. 11. Cn. 7. &c.*

i) *Quæ eadem &* lex cibaria *dicta: præscribebat impensam, vetabatq; ne luxus mensa profusis sumptibus exerceretur. De sumptuariis legibus Agellius lib. 2. c. 24. Tangit & Plinius lib. 8. cap. 51. & lib. 10. c. 2. Ammian. Marcellinus lib. 16. c. 5. Adeundus præcipue Tacitus lib. 3. Annal. c. 53. & seqq. & lib. 2. c. 33. item Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. Institutum egregium, & in usum hodie revocandum. Nam profecto* conviviorum luxuria, *ægræ civitatis* indicium est, *ut ait Senec. epist. 114. Sed hic iterum est quo ab illo violento, de quo modo dixi, remedio bene speremus: nisi forte sic invaluit morbus, ut nisi cum ægro ipso tolli non possit.*

k) Macellum *non modo* χρεωπώλιον *est, ut Plutarchus interpretatur: sed ad omne obsoniorum genus significatio vocis illius extenditur, quod vel ex hoc autoris loco clarissime patet. Glossarium,* Macellarius, ὀψωνιοπώλης.

l) *Contra præscriptum sumptuaria legis.*

m) Clam-

m) *Clam immissis.*

n) *è cœnatione & ipsa mensa, ubi jam appositæ essent coepulonibus obsonia.*

CAPUT XLIV.

1. Jam de ornanda instruendaque urbe, item de [a] tuendo ampliandoque imperio, plura ac majora indies destinabat.
2. In primis Martis templum, quantum nusquam esset, [b] exstruere, repleto & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat: theatrumq; summæ magnitudinis [c] Tarpejo monti accubans.
3. [d] Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros.
4. [e] Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum.
5. Siccare [f] Pomptinas paludes: emittere [g] Fucinum lacum: viam munire à mari supero per [h] Apennini dorsum ad Tiberim usque: perfodere [i] Isthmum: [k] Dacos, qui se in Pontum & Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, [l] nec nisi ante expertos aggredi
6. prælio. [m] Talia agentem atque meditantem mors prævenit: de qua prius quam dicam, ea quæ ad formam, & habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad civilia & bellica ejus studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

a) *De tuendone solum imperio, an simul ampliando laborandum Principi sit, civilis doctrinæ magistri quærunt, in priorem tamen illam partem fere proniores, & vehementer approbantes Augusti consilium, à Tiberio præcepti ad instar observatum*, coercendi intra terminos Imperii, *de quo Tacitus lib. 1. Annal. c. 11. & in Agric. c. 13. Nam* ea demum potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit, *ut inquit Val. Max. lib. 4. c. 1.* Quanto plus adeptus quis est, tanto magis erit in lubrico. *Tacit lib. 1. Annal. c. 77. Atq; hinc recte Publius Scipio Africanus, cum Censor esset, & de more notũ carmen, scriba ex publicis tabulis præeunte, pronunciaret, ventumq; esset illuc:* Juppiter auge Remp.

hoc interdictum ad fœminas arctatur: cum pertinuerit etiam ad viros, quà de lecticis quidem est. Et fortasse vetuit Cæsar lecticis uti, nisi Senatores aut senes. Lecticarum formam, discrimen, priscos ritus, exponit optime Lipsius elector. lib. 1. cap. 19. Romanam gravitatem imitata Resp. Augustana, & ipsa non nisi honoratioribus carpentorum usum concedit. Facit huc l. unica. C. de honoratorum vehiculu: item l. un. C. nulli licere in fran. & equestrib. sellis &c.

h) *Conchylium, quod & muricem, & ostrum dicimus, genus piscis est, cujus ex incisa concha colligitur succus tingendis vestibus expetitus. Ex eo enim inficitur purpura. Videndi, Plin. lib. 9 c. 36. Vitruvius de Architect. 7. c. 13. & ibi Gul. Philander. Hinc* conchyliati *apud Senecam epist. 62. hoc est, purpurati, &* conchyliata vestis, *purpurea, quam* blatteam *vocat Vopiscus in Aureliano cap. 46. quem ad locum omnino consule Notas Salmasii, pag. 393. Præclare vero prudenterq; Cæsar, ordines civium, veste discriminavit, ut scilicet qui (verbis Taciti 2. Annal. 33.) locis, ordinibus, dignationibus antistant, cultu quoq; ab aliis discernerentur. At nescio quomodo Laconum illa consuetudo displicet, apud quos, ex instituto Lycurgi, nemo altero cultior incessit. Justin. lib. 3. c. 3. Commendat eo nomine Iacobus Bornit. lib. 4. de Ærar. cap. 6. Rempub. Argentoratensem, Augustanam, Noribergensem & Francofurtensem, quod in ijs suus cuiq; ordini, patritio & plebeio, habitus præscriptus extet legibus vestiariis, quas transgredi non liceat sine pœnarum ut indelinquentes, censores constituti sint: clandestini, qui in publicis & privatis conversationibus singulos observent ac notent. Quo de instituto plura lac. Curtius, Brugens. IC. tom. 2. Conjectur. lib. 2. cap. 11. & Tolosan. lib. 4. de Rep. c. 11. Cn. 7. &c.*

i) *Quæ eadem &* lex cibaria *dicta: præscribebat impensam, vetabatq; ne luxus mensa profusis sumptibus exerceretur. De sumptuariis legibus Agellius lib. 2. c. 24. Tangit & Plinius lib. 8. cap. 51. & lib. 10. c. 2. Ammian. Marcellinus lib. 16. c. 5. Adeundus præcipue Tacitus lib. 3. Annal. c. 53. & seqq. & lib. 2. c. 33. item Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. Institutum egregium, & in usum hodie revocandum. Nam profecto* conviviorum luxuria, *ægræ civitatis* indicium *est, ut ait Senec. epist. 114. Sed hic iterum est quo ab illo violento, de quo modo dixi, remedio bene speremus: nisi forte sic invaluit morbus, ut nisi cum ægro ipso tolli non possit.*

k) Macellum *non modo κρεωπώλιον est, ut Plutarchus interpretatur: sed ad omne obsoniorum genus significatio vocis illius extenditur, quod vel ex hoc autoris loco clarissime patet. Glossarium,* Macellarius, *ὀψωνιοπώλης.*

l) *Contra præscriptum sumptuaria legis.*

m) *Clam*

m) *Clam immissis.*

n) *è cœnatione & ipsa mensa, ubi jam apposita essent coepulonibus obsonia.*

CAPUT XLIV.

1. Jam de ornanda instruendaque urbe, item de [a]tuendo ampliandoque imperio, plura ac majora indies destinabat.
2. In primis Martis templum, quantum nusquam esset, [b]exstruere, repleto & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat: theatrumq; summæ magnitudinis [c]Tarpejo monti accubans. 3. [d]Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in pauciſſimos conferre libros. 4. [e]Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. 5. Siccare [f]Pomptinas paludes: emittere [g]Fucinum lacum: viam munire à mari supero per [h]Apennini dorsum ad Tiberim usque: perfodere [i]Isthmum: [k]Dacos, qui se in Pontum & Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, [l]nec nisi ante expertos aggredi 6. prælio. [m]Talia agentem atque meditantem mors prævenit: de qua prius quam dicam, ea quæ ad formam, & habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad civilia & bellica ejus studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

a) *De tuendone solum imperio, an simul ampliando laborandum Principi sit, civilis doctrinæ magistri quærunt, in priorem tamen illam partem fere proniores, & vehementer approbantes Augusti consilium, à Tiberio præcepti ad instar observatum*, coercendi intra terminos Imperii, *de quo Tacitus lib. 1. Annal. c. 11. & in Agric. c. 13. Nam* ea demum potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit, *ut inquit Val. Max. lib. 4. c. 1.* Quanto plus adeptus quis est, tanto magis erit in lubrico. *Tacit lib. 1. Annal. c. 77. Atq; hinc recte Publius Scipio Africanus, cum Censor esset, & de more notũ carmen, scriba ex publicis tabulis præeunte, pronunciaret, ventumq; esset illuc:* Juppiter auge Remp.

nunquam sic præcari animũ induxit, hortante multũ scriba: sed sic: Juppiter cõserva Rempub. *satis esse auctã dicens, modo conservaretur: ac protinus in publicis tabulis carmen ad hunc modum emendari jussit Val. Max. lib. 4. c. 1. exemp. 10. Sed & Sinenses, potentissimus simul atq; cultissimus extremæ populus Asiæ, invidendo illi de binis oculis suis elogio fidem eo faciunt, quod, cum multo latius quondam imperitassent, & vero sua ipsi mole viribusq; fatigarentur (id quod à Carthaginensibus in re simili factum legimus) sponte misso veluti sanguine, & castigata luxuria, intra hosce fines, quos etiamnum tenent, sese recepere, ut scribit Io. Pet. Maffejus hist. Indic. lib. 6. à princ. Quæstionem hanc abunde pertractant I. Gruterus disc. in Tacit. part. 1. pag. 149. & seqq. Scip. Amiratus lib. 1. disc. 6. Clapmar. lib. 3. arcan. c. 16 Vtinã hi persuaderent ijs, quos hodie videas (de Romanis id olim dictum. Iustin. 29 c. 2.)* Regnorum suorum terminis non contentos, imperium spe improba totius Orbis amplecti: *& ut olim Athenienses apud Thucyd. lib. 1.* nec ipsos quiescere; nec alios quietos sinere! *melius utiq; nobiscum ageretur.*

b) *Subaudi,* destinavit. *Non enim ipse: sed Augustus demum, ut in ejus vita c. 29. tradit autor, opere sumptuosissimo, summoq; artificio, ad Forum Cæsaris, illud extruxit, forte ut voluntatem in eo patris sui Cæsaris impleret. Figuram hujus templi è veteribus numis spectandam exhibet I. Rycquius comment. de Capitol. Rom. cap. 39. pag. 143.*

c) *Capitolino monti adjacens.*

d) *Præclarum (ô perfecisset!) institutum, de quo Ciceronem quoq; cogitasse, colligitur ex Agellio lib. 1. cap. 22. ubi liber ejus* de jure civili in artem redigendo *citatur. meminit & ipse Cicero lib. 1. de Oratore. Contra hunc immensum aliarum super alias acervatarum legum cumulum (de quo Livij quoq; querela lib 3. cap. 34. extat) non minus ævo nostro gravem, libet adscribere gravissimum judicium Iusti Lipsii ex centur. 3. miscellan. epist. 78. ubi,* dubito, *inquit,* an bono consilio in vitam & usum jus Justinianæum à Lothario Imperatore revocatum sit: sic dico, totum & plenum. Non quin bona in eo, arguta, & à sæculo veteri: sed nimis fortasse bona, arguta, vetera: & ideo seminarium ingeniis ad calumnias fraudesque pangendas. Dic sodes, quam multa in eo, quæ usum hodie non habent? quam multa implicata, & variantibus sententiis enodanda? Quid si pugnantia quædam dicam? sed vix ausim, & junctim umbonibus me invadant. Et de jure ipso prisco parum etiam sit: sed Commentarii quam multi, & pæne infiniti accesserunt? atqui & ij si concordant, vim legis in tribunalibus nostris poscunt. Amelii vetus querela an scomma fuit, *Iurisprudentiam multorum came-*

camelorum onus esse. quid nunc dicam? elephantos ab India adde: vix ferent. Atqui Platonis oraculum (*lib. 5. de LL. & ex eo Strab. sub fin. lib. 6. pag. 179. f.*) auribus meis insonat: ὅπου παρ' οἷς νόμοι, πολλοὶ, καὶ δίκαι πρὸς τούτοις, καὶ βίοι μοχθηροί: *quod ubi leges multæ, ibi & lites multæ, & vita mores q; pravi.* Audi & scrutare: vere oraculum est, & de multitudine litium, nostra Belgica (*nostra quin & Germania*) vicina Gallia & Italia dicent. Quomodo autem non & mores pravi? Nam primum concordia tollitur, odia aperta aut occultæ in animis gignuntur: adde fraudes, insidias, & studium vincendi quovis nexu, ac supplantandi. *Non enim*, ut Celsus verissime scripsit, *bona conscientia, sed victoria, litigantis est præmium.* De multis hoc dico: absit de omnibus, & animus me meus refellat. Sed proborum causa indignor equidem, cum Jasones istos video, qui palam ad Colchos & aureum vellus eunt. Et quidem non improbi solum, sed stolidi aut fronte ferrea, qui & artem hanc protollendæ sive tollendæ Justitiæ jactant: qui leges ut ceram habent, pro animo aut lucello suo huc illuc ducunt & flectunt. Mentiri optem: sed hoc unice, ut Rex sit aut Princeps qui medeatur, & PAVCAS, FACILES, CONCORDES leges donet. *Hæc Lipsius, idemq; non dissimilia in monit. & exemp. polit. lib. 2. c. 10. ut & Barclajus in Argenid. pag. 265. & seq. edit. Argent. quæ omnia bello consentiunt cum effato Taciti, lib. 3. Annal. c. 27.* corruptissima republica plurimæ leges. *& cum judicio Themistoclis apud Plutarchum in ejus vita, pag. 114. a. qui Causidicinam (unde autem illa nisi ex hac monstrosa multitudine legum)* Δορείῳ ἵππῳ, *equo ligneo sive Trojano, hoc est, hosti domestico, comparavit. Quomodo & Columella initio operis, ipsum illud* caninum *rabularum* studium, concessum intra mœnia & in ipso foro latrocinium *appellat: & sine Causidicis satis felices olim fuisse, futuraq; esse urbes ait. Quod, facere non possum, quin illustrem exemplo, proposito à Ludovico Vive, de causis corruptar. artium, in fin. libri 7.* In Pannonia vivebant (*inquit*) olim sine juris interpretibus, non tamen sine jure. Nam simpliciter & bona fide, ex antiquis moribus, & paucis quibusdam legibus, Pannoniis illis, non Romanis, res judicabant: imo dissensiones suorum civium facile componebant: &, quemadmodum de Servio Sulpitio dicit Cicero, tollere controversias malebant, quam constituere. In comitatu Beatricis, Ferdinandi Regis Neapolitani filiæ, quæ illinc fuit missa nuptum Matthiæ Corvino Regi, venerunt Jureconsulti aliquot, qui barbarum (ut ipsi dicebant) morem, magno vultus & supercilliorum fastidio aspernati, auctoritate sua facile perfecerunt, ut homi-

nes ru-

nes rudes ac simplices illorum se sapientiæ concrederent. Cœperunt illi formulas præscribere, quibus esset petendum, quibus respondendum atque excipiendum: dies legitimos notare: judici quoque aliquid assignare quod diceret, ne muta esset persona. Brevi tempore, ubi nullæ prius erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procrastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quod damnosissima, cætera festiva cumprimis, & ad movendum risum apta, hominibus utique otiosis, & quibus nihil esset controversiæ. Quod malum tantum & tam subitum, quodque late invasisset plurimos, quum animadvertissent homines prudentiores, ad Regem res est delata, quire percognita, Jureconsultos illos continuo regni finibus jussit excedere. Sedata est statim tempestas illa, tanquam si venti posuissent. *Hucusq; Vives.*

e) *O magnirem animi, atq; item consilij! Nam & non nisi cum magnanimis magnificisq; Regibus ac Principibus communis hæc Cæsari cura fuit, Bibliothecas publicandi, quas recte τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον*, animi medicam officinam *Ossymanduas Ægypti Rex appellavit, autore Diodoro Siculo lib. 1. & vero neminem reperire Cæsar curæ huic potuisset aptiorem Marco illo Varrone, doctissimo inter Græcos Latinosq;. Sed nimirum hic iterum subaudiendum est, destinasse tantum hæc Cæsarem. Nec enim perfecit. Augustus adoptione filius, inter alia ornamenta urbis & Imperij, hoc quoq; plurisariam adjunxit. Nam eo invitante atq; incitante, Asinius Pollio, orator & Senator nobilis, Atrium Libertatis extruxit, narrante Suetonio in Aug. c. 29. atq; in eo Bibliothecam publicavit, quod Isidorus lib. 6. Orig. c. 5. Plinius lib. 35. cap 2. tradunt. Idemq; Augustus mox duas alias adjecit: priorem Octaviam, sororis suæ memoriæ & nomini dedicatam: alteram Palatinam, à loco sic dictam, quia in ipso Palatio. De illa noster autor in claris Grammat. cap. 21. de hac in Aug. d. cap. 29. ubi de Bibliothecis plura dicendi locus erit. De Augustana Bibliotheca hoc tantum referre liceat, in vulgus non ita fortasse notum, sub annum Christi 1537. vixisse Augustæ Xystum Betulejum, qui diu scholam Annæam cum laude rexit: cui negotium datum est, ut conquisitis, ex Monachorum pluteis, melioribus codicibus, novam Bibliothecam construeret: ad cujus incrementum, Amplis. Senatus singulis annis florenos 50. dederit, quibus cujusvis professionis autores coemerentur. Circa annum vero 1545. curavit idem Senatus Græcos Codices manuscriptos plures, vetustissimorum Auctorum de Antonio Eparcho, Corcyræo Episcopo, Venetiis, 800. ducatis emendos, tum quidem ἀνέκδοτους, nondum editos. Nam ab eo tempore non pauci, typographiæ beneficio, publicam lucem aspexerunt.*

f) *Dio*

f) *Dio diversimode & πόντινα & πόμπτινα ἕλη vocat: quomodo & hic & passim apud Plinium* Pomptinas, *quod rectius videtur, &* Pontinas *paludes legunt, quas Celsus Cittadinus* Decennonias *paludes esse putat. Erant Circeis vicinæ in agro Latino, quas viginti trium urbium fuisse Mutianus prodidit apud Plinium lib.1. c.5. & hodie* Aufente palude *vocari scribit Leander Albertus in descript.Ital.pag.204. Livius, epit.46.f. a Cornelio Cethego Consule quondam egestas majori ex parte, & ad culturam reductas scribit. Sed neglectas deinde, patet cum ex hoc autoris loco (cogitatam enim à Cæsare rem, non factam narrat) tum etiam ex Plin.lib.26.c.4.ubi magica arte siccari eas paludes optat, ut tantum agri suburbanæ reddatur Italiæ. Theodoricus postea Rex (quod ibidem Dalecampius annotat) fossas per incuriam & neglectum obstructas, & terra limoq; adobrutas, rursum purgavit. Quippe in fossas corrivatis aquis olim siccabantur paludes. At hodie Belgæ, qua sunt ingenij solertia, multo commodius, antliis quibusdam vento semper actis idem perficiunt, magna cum fertilissimorum agrorum ad Reip. commodum accessione.*

g) *Fucinus lacus, in Italia. Marsorum regionis. Hodie appellari tradunt alij* Lago di Marso, *alij* Lago di Celano, *alij* Lago di Rossillon, *alij* Lago di Tagliacozzo. *Sed hæc omnia à locis illi adjacentibus synonyma sunt. Longitutudine, ut inquit Strabo lib.5. maris instar est. Per eum medium Pitornius fluvius ita decurrit, ut eius aquas supermeet, nec misceatur stagno, quod scribit Vibius Sequester. Quale quid etiam de Rheno lacum Constantiensem permeante tradunt. Suetonius in Claud.c.20. scribit, Claudium, emissarium hujusdem lacus perfecisse. Quod falsum Scaliger judicat animadvers. in Euseb.pag.177.a. Nos verum putamus. Sed isthic videbimus.*

h) *Apenninus Italiæ mons, quem in Saxonum Chronicis* das Parthergebürge *vocari tradit in suo de familiis syntagmate Reinerus Reineccius. Itali pro locorum varietate varia illi nomina imponunt. Ab Alpibus Liguriæ incipiens, perpetuis jugis Italiam mediam intersecat.*

i) *De Isthmo Corinthiaco sermo: quæ est angusta inter mare Ionium & Ægæum, quinq; millium passuum intervallo, terra. Cæterum Isthmorum perfossiones, fluminum derivationes, & hujusmodi alia μεγαλεπίβολα consilia, naturæ vim facientia, ut plurimum frustra suscipi, demonstrat G.Richterus axiom.polit. 306.Sc. Amiratus lib.13.disc.10.*

k) *Quos* Dacos *Romani, Græci* Getas *appellant. Dacia antiqua comprahendit hodie Transsylvaniam, Wallachiam & Moldaviam.*

l) *Bene Varro Consul apud Livium lib. 22. c.38.* quomodo quis dux prius, quam aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam

regionis noverit? *Et seq. cap. 41. hoc Annibali tribuitur elogium*, quod omnia ei hostium, haud secus quam sua, nota fuerint. *Temerarium illud Spartanorum est, qui interrogare soliti*, non quot essent hostes, sed ubi essent, *ut scribit Plutarchus in Agi & Cleom. pag. 806. f.* Malique semper habiti duces, *qui suos milites mactationi leviter objectant, immemores præcepti Senecæ epist. 88.* homini non esse homine prodige utendum.

m) O quanta dementia est, spes longas inchoantium! *ait Seneca epist. 102. Sic Horatius 1. od 5.* vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

CAPUT XLV.

[a] Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, [b] teretibus membris, [c] ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera: nisi quod [d] tempore extremo repente [e] animo linqui, atque etiam per somnum exterreri solebat. [f] Comitiali quoq; morbo bis inter res agendas correptus est. Circa corporis curam [g] morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed [h] velleretur etiam; ut quidam exprobraverunt: [i] calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, sæpe obtrectatorum [k] jocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum [l] revocare à vertice assueverat: & ex omnibus decretis sibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentius quam [m] jus Laureæ perpetuo gestandæ. Etiam [n] cultu notabilem ferunt. Vsum enim [o] lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam super eum cingeretur, & quidem [p] fluxiore cinctura. Vnde emanasse Sullæ dictum, [q] optimates sæpius admonentis, *ut male præcinctum puerum caverent.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

a) *Hæ pleræq; sunt notæ pulchritudinis, quæ magni utiq; in viro Principe facienda, tum quia* mos vulgo Imperatores forma ac decore corporis comparare, *ut ait Tacitus lib. 1. Hist. c. 7. & juxta Virgilium*:

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:

tum etiam quia per se illa genere si animi index. Quomodo Latinus Pacatus panegyr. Theodos. c. 6. Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo, sive divinus ille animus venturus in corpus, dignum prius.

meta-

metatur hoſpitium: ſive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo: ſive aliud ex altero creſcit, & cum ſe paria junxerunt, utraque majora ſunt. *Videantur Caroli Paſchalij Legatus cap. 16. & Melch. Iunius quæſt. polit. part. 1. c. 21.*

b) *Plenioribus, ſucculentis.*

c) *Cum Cæſarem* macilentum *fuiſſe tradat Plutarchus, contrarium Plutarcho noſtrum Sabellicus exiſtimat, qui Cæſarem faciat* ore paulo pleniore. *Sed decepit eum* oris *ambigua dictio, quam hic puto non pro facie, accipiendam eſſe, ſed proprie τὸ στόμα denotare, quod plenius Cæſari, & tale fuit, quale hodie Sereniſſimis Archidd. Auſtriæ gentilitium eſſe creditur.*

d) *ſub finem vitæ.*

e) *Syncopen hunc morbum vocant οἱ τῶν ἰητρῶν παῖδες, & λειποθυμίαν ſeu λειποψυχίαν, quaſi animi deliquium dicas.*

f) *Comitialis morbus, quem & Herculanum, & Caducum, & Lunaticum, & Sacrum, & S. Valentini, & à captis ſenſibus Epilepſian vocant, ex eo dictus eſt, quod Comitia dirimeret, ſi quis eo, in Campo fuiſſet correptus.*

g) *Curioſior, diligentior, cui infra cap. 53. opponitur* indifferens. *Sic Tertullian. lib. de pallio, cap. 4. f. pallium dicit* moroſius *ordinatum.* Amicorum ſuprema judicia moroſiſſime perſtitavit Auguſtus. *Sueton. c. 66. vide Salmaſ. in Tertull. de pallio, p. 324. m. Nobis tales in veſtitu moroſi, proprie ſunt,* pünctlich.

h) *Molliores delicatioreſq; brachia & crura pumice, reſina, pſilothro, ſalamandra & Veneto luto vulſis pilis expolibant & expoliabant: quam expoliationem,* pilorum evirationem *Plinius appellat lib. 29. cap. 2. Læves enim illi & glabri virum evirare videbantur. Tertullian. de cultu fœminarum: & Clemens Alexandrin. Pædagog. lib. 3. c. 3. in hos comptulos graviter invehuntur. De capillorum & barbæ cura, digna ſcitu multa Camerar. centur. 1. c. 36. & centur. 2. c. 40. & centur. 3. c. 96.*

i) *Huc pertinet illud Ovidij:*

Turpe pecus mutilum; turpis ſine gramine campus:
Et ſine fronde frutex & ſine crine caput.

Vt hic Cæſari, ſic apud Tacitum lib. 4. Annal. cap. 57. Tiberio, præter aliam deformitatem, etiam nudus capillo vertex pudori fuit. *Pudor ineptus, quem utriq; doctiſſima Syneſii de calvitij laudibus oratio poſſet excutere.*

k) *Cujusmodi jocus eſt infra cap. 51. Eliſæus quoq; Propheta, ob calvitiem (quamvis non impune) à pueris male feriatis deriſus fuit.*

l) *Reducere, ad calvitium ſcilicet occultandum.*

m) *Ex hoc inter alia argumenta loco Lipsius lib. de amphitheat. cap. 19. demonstrat. pileum Romanis, nisi certis temporibus in usu non fuisse. Cur enim jus Laureæ coronæ gestandæ tam libenter usurpasset Cæsar, ob causam hic indicatam, si pileus aut petasus illius? qui certe aptior & fidelior ad calvitium celandum. Eadem ratione Siciliæ tyrannus Agathocles, cum caput ei paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus, myrtea corona crinem obtexit, quæ quasi velum erat & tegmen calvitiei, sicut Ælianus tradit lib. 11. var. hist. cap. 4. Quod ipsum argumento est, Siculos item capite nudos fuisse, more cum Germanis quoq; veteribus communi, quorum cirros nodosq; commemorat Tacitus in Germ. cap. 31. & 38. tegmina nusquam. Institutum ad valetudinem fortasse non incommodum. Herodotus certe lib. 3. cap. 12. cur Ægyptij robusta firmaq; capita, fragilia Persæ habeant, hanc causam adducit, quod illi solent operire capita, gestantes pillea tiarasq;: hi vero non item.*

n) *Vide quæ de virorum Principum cultu vestituq; huc pertinentia tradit I. Lipsius lib. 2. Civil. doctrinæ, cap. 15. ibiq; in Notis: item lib. 2. monit. & exemp. cap. 15. Adde Cl. Virdungum, comment. ad Tacit. Agric. pag. 219. 220. Quæ omnia quidem adversa Cæsari videri queant: sed ipsum defendemus tamen ea ratione, quod talibus, non bona tantum interiora curanda, quæ in oculos non incurrunt: sed etiam Scena serviendum sit: cum autoritas, quam hujusmodi externa conciliant, præcipuum sit imperandi telum. Nec ab re Tacitus lib. 13. Annal. c. 8.* Corbulonem *scribit* omnium ora in se vertisse, quod esset corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam sapientiamque, etiam specie INANIUM validus.

o) *Hoc est, tunica laxiclavia, manicas ad manus usq; habente, easq; fimbriatas. De hac, præter Casaubonum h. l. egregiè Claud. Salmasius, Notis in Fl. Vopiscum, p. 519.*

p) *Laxiore, minimè adstricta. De cinctura triplici, laxiore, astrictiore, & cinctu Gabino, videndus Sigonius lib. 3. de Iudiciis, cap. 18. post princip. & Rosin. A. R. lib. 5. c. 32.*

q) *Macrobius ad Pompejum hoc restringit, quod noster generatim de optimatibus. Sic enim habet, lib. 2. Saturnal. cap. 3.* Post victoriam Cæsaris interrogatus Cicero, cur in electione partis errasset, respondit: præcinctura me decepit, jocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, velut mollis incederet: adeo ut Sylla tamquam providus dixerit Pompejo: cave tibi illum puerum male præcinctum. *Dio tamen lib. 43. pag. 266. B. cum nostra consentit. Plura Torrentius ad illum locum Horatij Epod. 1.* Discinctus aut perdam ut nepos.

Caput

CAPUT XLVI.

1. Habitavit primo in [a] Subura modicis ædibus: post autem pontificatum maximum, in [b] Sacra via, [c] domo publica.
2. Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodi-
3. derunt. Villam in [c] Nemorensi à fundamentis inchoatam, magnoque sumtu absolutam, [f] quia non tota ad animum ei respondérat, totam diruisse, quanquam tenuem adhuc & ob-
4. æratum. In expeditionibus [g] tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse.

a) *Vicus Romæ fuit inter Exquilias & Viminalem, de quo Marlianus in topogr. Rom. lib. 4. c. 20.*

b) *Per quam Circensibus ludu sacrorum pompa traducebatur. Videndus idem ibid. lib. 3. c. 8.*

c) *De eo more ac cerimonia, ut Pontifex Max. in domo publica, juxta Vestæ habitaret, adi Lipsium de Vesta & Vestalib. cap. 4.*

d) *Quam Cæsar alius à Mario? Nam hic ita judicavit apud Sallust. in Iug. c. 85.* Munditias mulieribus, viris laborem convenire. *Sed nempe Cæsar, qui, quod infra tradit autor cap. 67. jactare solitus est,* Milites suos etiam unguentatos, bene pugnare posse. *quid ni ergo & ipse?*

e) *Romani* Nemus *seu* Nemorense, *appellabant in Aricino agro lucum Diana sacrum, ut ex Strabone docet Adr. Turnebus adverss. 24. c. 20.*

f) *In eodem valetudinario fuit Imp. Romanus Argyropolus, & ipse ἄρτι μὲν ἀπεγείρων, ἄρτι δὲ καταιρέων τὸ ἦδη ἀπεγερθὲν, ut Zonaras tom. 3. pag. 185, 8. de eo scribit, juxta illud Horatij, 1. ep. 1.*

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Eant hi tales in nostri Keisersbergij Naviculam fatuorum, ubi sub turba 15, quæ est der bawr: arren/*invenient suas nolas.*

g) *Hæc ideo circumtulit inter sarcinas, ut iis Prætorij sui solum parte aliqua tegeret & sterneret, in brevem usum. Adeo luxus etiam in castra Cæsaris perrupérat. Gul. Philander ad Vitruvij lib. 7. cap. 1. scribit, vidisse se Tyburti & Romæ, hujusmodi pavimenti, musivo opere accuratissime consertas & coagmentatas particulas, in quibus tessellulata marmora minutulis fabis non majora, piscium, sed & aliarum rerum effigies, variis coloribus graphice imitarentur. Quin & ille non solum in Augustana quondam Repub. sed in omni regno*

litterario vir eminentißimus Mar. Welſerus tale pavimentum teſſellatum ſectile, in quo quadratis ſpatiis delineati gladiatores, adſcriptis nominibus, biga, meta, alia id genus, Auguſtæ in hortis ad D. Stephani, ante aliquot annos detectum, oculis jucunde ſpectandum ſubjicit, & ex antiquitate egregie illuſtrat, rerum Auguſtanar. pag. 199. & ſeq. qui, adjunctis Caſauboni notis ad hunc locum, omnino videatur. Non poſſim enim melius: nec etiam placet, aliena mea facere. Adde & Meurſii Gloſſar. Græco-barb. in μῦσα, p. 357. a. & Martinij lexicon philolog. in Muſivus.

CAPUT XLVII.

Britanniam petiſſe ſpe [a] margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum ſua manu [b] exegiſſe pondus. Gemmas, [c] torcumata, [d] ſigna, [e] tabulas operis antiqui ſemper [f] animoſiſſime comparaſſe: ſervitia [g] recentiora politioraque, immenſo pretio, & cuius ipſum etiam puderet, ſic ut rationibus vetaret inferri. 1. 2.

a) *Incredibile dictu eſt, quam in hoc genus inſanierint veteres. Vnde* Plinius *lib. 9. c. 35.* Principium culmenque omnium rerum precii, margaritas tenere *ſcribit. Idem tamen lib. 37. c. 4.* maximum in rebus humanis, non ſolum inter gemmas, precium habere Adamantem *tradit*: proximum Indicis Arabiciſque Margaritis precium eſſe: tertium Smaragdis. *Hodie vero, ut docet Budæus lib. 2. de aſſe, pag. 84. m. Margaritæ in ordine gemmarum vix quartæ ſunt auctoritatis. Adeo hæc omnia ex hominum opinione libidineque pendent: & omnino veriverbium eſt, noſtrate proverbium*: tanti eſſe gemmas, quanti à moroſophis emantur (ſo viel ein wunniger Narr drumb gibt) *His qui vere ſapiunt, tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum, quod eſt à B. Hieronymo proverbij ſpecie prolatum in epiſt. ad Demetriadem, tom. 1. p. 64. D.*

b) *Exploraſſe, libraſſe manu. Oportet igitur, ut magnæ fuerint illæ margaritæ, contra quam Plinius lib. 9. cap. 35. ubi de ipſo noſtro*: in Britannia (*inquit*) parvos atque decolores (*uniones ſeu margaritas*) naſci certum eſt: quoniam D. Julius thoracem, quem Veneri Genitrici in templo ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi. *De margaritis Britannicis videndus Guil. Camdenus in Britann. p. 721. & ſeq.*

c) *Opera ſculpta vel artificioſe cælata.*

d) *Statuas & ſimulacra ænea marmorea q.*

e) *Pictu-*

e) *Picturas.*

f) *Vt precio non parceret, & impensas minime vereretur. Sic Paulus IC. l. 29. famil. erciſc.* ſi objiciatur creditori, quod animoſe licitus eſt. *Sic* Animoſior emptor. *l. 36. §. 1. D. mandati. Senec. clem. 1, 21, 3.* uti animoſe debes tanto munere deorum. *Auguſt.* Sumptus præparabantur animoſitate magis quam opibus. *2. Confeſſ. cap 3. in pr. Ea ratione Græcis* μεγαλοψυχία *eſt magnifice liberalem eſſe. Contra,* μικροψυχοι, *tenues, ſordidi, parci, avari. Adde Cl. Salmaſium, Notis in Capitolin. p. 90.*

g) *Lipſius not. 47. ad Taciti Agric. hic legendum putat,* decentiora. *Sed vett. omnium lectionem* recentiora *præferimus, ob rationes à Caſaub. & Torrentio h. l. adductas.*

CAPUT XLVIII.

1. Convivatum aſſidue per provincias duobus [a] tricliniis: uno, quo [b] ſagati palliative; altero, quo [c] togati cum illuſtrio-
2. ribus provinciarum diſcumberent. [d] Domeſticam diſciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo ſevereque rexit, ut [e] piſtorem, alium quam ſibi panem convivis ſubjicientem, compedibus vinxerit: libertum gratiſſimum, ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo querente, capitali pœna affecerit.

a) *Conclavibus, cœnaculis.*

b. c) *De comitibus Cæſaris hoc eſt accipiendum, & ea quæ dicebatur cohors Prætoria. Turnebus lib. 2. c. adverſ. cap. 27. a pr.* palliatos, *Græcos interpretatur:* ſagatos, *Gallos:* togatos, *Romanos. At palliati quidem ut & togati, juris controverſi non ſunt, cum conſtet,* pallium *habitum Græcorum,* togam *Romanorum fuiſſe. Sed de* ſagatis *ratio non eſt, cur ad Gallos adſtringamus, cum & alii* ſago (*militare veſtimentum eſt*) *uſi fuerint. Expoſitio Caſauboni placet,* togatos *hic eſſe honeſtiores è Cæſaris comitatu, puta, conſulares, prætorios, ſenatores, legatos & quæſtores:* ſagatos & palliatos *turbam omnem reliquam.*

d) Domum ſuam coercere haud minus arduum eſt, quam provinciam regere, *inquit in Agricolæ vita c. 19. Tacitus. Imo Cato major* majorem *inquit* eſſe laudem boni patris familias, quam magni Senatoris. *Plutarch. in ejus vita.* Citius hercule is, qui duorum ſcalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit, *ut ait Craſſus apud Ciceronem lib. 1. de Orat.*

e) *Inge-*

e) *Ingenium Cæsaris longe diversum à convivatoris illius moribus, cujus meminit lib. 2. epist. 6. Plinius*, qui sibi & paucis opima quædam, cæteris vilia & minuta ponebat in cœna. *Atqui, quod præcipit ibidem Plinius*, cunctis rebus exæquandi sunt, quos toro & mensa æquavimus. *Quod sensit etiam Hadrianus, apud Spartianum cap. 17. Xenophontem lib. 8. pædia laudat Cyrum*, quod convictoribus eadem quæ sibi apponeret esculenta. *Quin imo* Cato major in prætura & consulatu vinum idem quod & operarii sui, bibit. *Plutarch in ejus vita, pag. 338. D. Elegans, nec ab hoc loco alienum, Martialis in Ponticum carmen est. lib. 3. epigram. 60.*

Cum vocor ad cœnam, non tam venalis, ut ante,
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sumitur inciso mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est: at mihi cum sparulo.
Aureus immodicis turtur te clunibus implet:
Ponitur in cavea mortua pica mihi.
Cur sine te cœno, cum tecum, Pontice, cœnem?
Sportula quod non est, prosit, edamus idem.

CAPUT XLIX.

Pudicitiæ eius famam nihil quidem præter [a] Nicomedis contubernium læsit, [b] gravi tamen & perenni opprobrio, & ad omnium convitia expositio. Omitto Calvi Licinii notissimos versus, 1. 2.

----- Bithynia quicquid,
Et [c] prædicator Cæsaris unquam habuit.

Prætereo [d] actiones Dolabellæ & Curionis patris: in quibus cum Dolabella *pellicem [e] reginæ*, [f] *spondam interiorem regiæ lectica*, ac Curio *stabulum Nicomedis*, & *Bithynicum [g] fornicem* dicunt. 3.

Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus [h] proscripsit [i] collegam suum, [k] *Bithynicam reginam*: [l] *eiq; regem antea fuisse cordi, nunc esse* [m] *regnum*. Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidã, [n] valitudine mentis liberius dicax, conventu maximo cum Pompejum *regem* appellasset, 4. 5.

ipsum

6. ipsum *reginam* salutavit. Sed C. Memmius etiam [o] ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse objecit, cum reliquis exoletis, pleno convivio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero vero non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, à satellitibus eum in cùbiculum regium [p] eductum, in aureo lecto, veste purpurea decubuisse, floremque ætatis [q] à Venere orti, in Bithynia contaminatum: quondam etiam in senatu defendenti Nysæ causam, filiæ Nicomedis, beneficiaque Regis in se commemoranti, *Remove*, inquit, *isthæc, oro te: quando notum est, & quid ille tibi & quid illi tu* [r] *dederis.* Gallico denique triumpho milites eius inter cætera [f] carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronunciaverunt:

7.

8.

Gallias Cæsar [t] *subegit, Nicomedes Cæsarem.*
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

a) *De quo supra, cap. 2.*

b) *Nam etsi serio hanc prostratæ Regi pudicitiæ maculam à se Cæsar amovere conatur apud Dionem lib. 43. tamen id frustra fuit. Adeo famæ fideique damno mederi difficile est.*

c) *Nicomedes. Pudoris minime virginei verbum, ut & è sequentibus aliquam multa, quibus proinde explicandis consulto manum abstinemus.*

d) *Orationes in Cæsarem.*

e) *Vxoris Nicomedis.*

f) *Vide Lipsii not. 10. ad lib. 11. Annal. Taciti. Adde Plautum Gruteri pag. 671. a. 1.*

g) *Prostibulum.*

h) Proscribere, *est publice quid scripto proponere, ut faciunt magistratus per edicta loco publico posita. Græcis id est* πρόγραφειν, *unde* programmata.

i) *Cæsarem.*

k) *Nicomedis uxorem.*

l. m) *Nicomedem regem antea amasse: nunc regnum Romæ adfectare, eversa libertate.*

n) Sapientiæ ægritudinem *vocat Plinius lib. 7. cap. 51. pr. eo* morbum

bum sapientiæ, *cap. 50. fin. Sic apud Iustinum lib. 2. c. 7.* Solon subitam dementiam simulat, cujus venia non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. *De qua re Ianus Gruterus minime protrita (quid enim, quod ab illo viro, protritum?) adducit ad illum locum Taciti, 6. Annal. 24.* Drusus alienationem mentis simulans, quasi per dementiam, funesta Tiberio imprecabatur.

o) *Cyathissasse Nicomedi, Ganymedem & pincernam ei fuisse.*

p) *Malim, cum Torrentio*, deductum. *Et quid si* perductum? *Certe hic lenocinij res est, &* perductores *non multo lenonibus honestiores. Glossarium vetus:* μαστροπεύω, lenocinor, perduco: μαστροπὸς, leno, perductor. *Quanquam &* deducere, *idem significat. ut in seq. cap.* Tertia deducta est.

q) *Cæsaris, qui se Venere ortum jactabat, ut est supra cap. 6.*

r) *In verbo* dare *morsus. Est enim inter obscœna, ut & Græcorum* πρίχειν. *Sic martial. 2. Epigr. 25. & Ovid. citatus à Senec. 4. benef. 14.* Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit.

s) *Moris hujus, ut milites jocularia quædam carmina & dicteria in suos imperatores triumphantes jacerent, extant apud Livium aliquot exempla, ut lib. III. cap. 29. IV, 53. V, 49. VII, 38. X, 30. XXVIII, 9. XXXIX. 7. XLV, 43. Ea fuisse* πομπικὰ ἀυτοσχέδια, carmina extemporalia (*cujusmodi hodie sunt* der Pritschenschläger) *ex Dionysio Halicarnass. circa finem libri 7. patet. Alternis versibus cantari solita, tradit Plinius lib. 19. cap. 8. Bene illi alij, Viri Principes, qui talia insuper habent. Nam ut Tacitus ait lib. 4. Annal. c. 34.* Convitia, si irascare agnita videntur: spreta exolescunt. *Adde Martial. lib. 1. epigr. 5.*

t) *Verbum* subigere *anceps est.*

CAPUT L.

Pronum & [a] sumptuosum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasque & illustres fœminas corrupisse: in quibus Postumiam [b] Servii Sulpicii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii Muciam. Nam certe Pompejo, & à Curionibus patre & filio, & à multis exprobratum est, *quod cujus causa post tres liberos exegisset [c] uxorem, & quem gemens [d] Aegisthum appellare consuesset, eius postea [e] filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset.* Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam: cui & proximo suo consulatu [f] sexagies HS. margaritā mercatus est: & bello civili

supe-

super alias donationes, amplissima prædia ex gauctionibus
4. hastæ minimo addixit. Cum quidem plerisque vilitatem mirantibus, facetissime Cicero, h *quo melius* inquit, *emtum sciatis, Tertia deducta est*: existimabatur enim Servilia, etiam filiam suam Tertiam Cæsari i conciliare.

a) *Magnas impensas fecisse causa libidinum.*

b) *Subaudi*, uxorem.

c) *Mutiam.*

d) *Adulterum. Vide Ioann. Bapt. Pij annot. posterior. cap.* 180. *Thesaur. crit. tom.* 1. *pag.* 562.

e) *Iuliam.*

f) 150. *millibus Philippicorum, æstimatione nostra. Vide omnino Scaligerum de re numar. pag.* 76. *m. & 77. m.*

g) *Venditionibus publicis bonorum, eorum qui damnati proscriptive fuerunt.*

h) Melius emere *est viliori pretio emere. Macrobius lib.* 2. *Saturnal. cap.* 2. *hæc ita commemorat simul & explicat*: Mater M. Bruti Servilia, cum precioſum ære parvo fundum abstulisset à Cæsare subjiciente hastæ bona civium, non effugit dictum tale Ciceronis: equidem quo melius emptum sciatis, comparavit Servilia hunc fundum Tertia deducta. Filia autem Serviliæ erat Junia Tertia, eademque C. Crassi uxor, lasciviente Cæsare tam in matrem quam in puellam. *Ambiguitate igitur quæsita est urbanitas, cum hæc aut ita possint intelligi, quod ad Cæsarem deduxerit Servilia filiam suam Tertiam; vel quod Cæsar de minimo illo precio prædiorum, quæ Servilia addixerat, partem tertiam insuper deduxerit, detraxerit, remiserit. Adde Turneb. lib.* 3. *adverſ. cap.* 22.

i) *Lenocinio quodam. Apud Iustinum alicubi*, Concialiatrix anus, Ein Kupplerin. *Sumitur hoc verbum alias & in bonam partem. Vt apud Ovid.* 1. *Am.* 13. Non me nupsisti conciliante seni, *hoc est, me proxeneta. Et Iustinus circa finem libri* 7. Philippus Olympiada uxorem ducit conciliante nuptias Arisba &c.

CAPUT LI.

1. Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc distichio apparet, jactato æque à militibus per Gallicum triumphum:

Vrbani servate uxores: [a] mœchum calvum adducimus.
Aurum in Gallia [b] effutuisti: hic sumpsisti mutuum.

a) *Quare salaces, calvi; & contra, videndus Aristoteles lib. 5. de generat. animal. cap 3. & sect. 4. problem. 19.*

b) Hast das Geld verhuret. *scortando facultates consumpsisti. Vide spicilegia Palmerij (thes. crit. tom. 4. p. 711. f. & seq.) item Scaligerum ad Catullum de verbo* expatrare, *epig. 30. κατα πορνοκοπέω, Græcis est. Vide H. Steph. thes. Græc. t. 3. col. 242. g. Eam vim præpositio κατ habet etiam in κατασπαθάω, per voluptatem & luxum absumo.*

CAPUT LII.

[a] Dilexit & reginas, inter quas [b] Eunoen Mauram, [c] Bogudis uxorem: cui maritoque ejus, plurima & immensa tribuit ut [d] Naso scripsit: sed maxime Cleopatram, cum qua & convivia in primam lucem sæpe protraxit: & eadem [e] nave thalamego pæne Aethiopia tenus Aegyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset. Quam denique accitam in [f] Urbem, non nisi maximis honoribus præmiisque auctam remisit: filiumq; natum appellare [g] nomine suo passus est. Quem quidem nonnulli Græcorum [h] similem quoq; Cæsari & forma & incessu tradiderunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo, Senatui affirmavit: quæ scire [i] C. Martium & C. Oppium, reliquosque Cæsaris amicos: quorum C. Oppius, quasi plane defensione ac patrocinio res egeret, librum edidit, [k] *Non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat.* Helvius Cinna Trib. pleb. supplerisque confessus est, habuisse se scripram paratamque legem, quam Cæsar ferre jussisset, cum ipse abesset, uti uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot [m] vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitiæ eum, & adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione, [n] *omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem* appellat. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

a) *Imp.* Augustum, *scribit Noster in ejus vita, c. 69.* adulteria non libidine,

bidine, sed ratione commisisse: quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret. *Anne dicendum hoc de Cæsare quoq;? Vix putem, ut vir fuit, genuina Veneris proles.*

b) Eunem *mavult Turnebus lib. 3. adv. c. 22. Variant codices, ut solet in propriis*, Cimoen. Euricem. Euriem.

c) *Regis Mauritaniæ, qui partes Cæsaris in Africo bello juvit. A. Hirtius in bello Afric.*

d) *Estne hic ille* M. Actorius Naso, *cujus supra quoq;, cap. 9. meminerat autor? Ita videtur, etsi turbat aliquantulum varietas lectionis. Nam pro* Naso, *alij*, Vasa. Valla. Vasto. Nasa. Nansa. *Palat secundus habet*, & vasa scripsit, *eamq; lectionem Io. Bapt. Pius annot. posterior. c. 181. (thes. crit. tom. 1. p. 562.) ex editione Romana confirmat, & sic explicat, Cæsarem Eunoes amore captum, præter alia plurima dona, vasa quoq; sua tradidisse Inepte: aut ego judex ineptus.*

e) Θαλαμηγὸς *navis*, ἀπὸ τὸ ἄγειν ἢ θάλαμον *ita dicta, quod instructa sit thalamis & cubiculis*; θαλαμηγὰ πλοῖα, thalamifera navigia. *Strabo lib. 17. pag. 550. ex quo Seneca lib. 7. de Benef. cap. 20.* cubiculatam *vocat. Ubi tamen* cubicularem *legendum putat Dalechampius in notis ad Athenæum: sed repugnante, nisi fallor, analogia. Athenæus lib. 5. c. 9. descriptas habet aliquot prodigiosas naves, inter easq;* Thalamegon, *quam Polemæus Philopator Ægypti Rex ædificavit, longitudine semistadij: Latitudine 30. cubitorum: altitudine 40. eum in usum, ut Nilum & Ægypti fossas navigans, intra thalamum in regia sibi esse videretur. Hujusmodi alias (sed haud dubie minores) cubiculatas naves octingentas Ægyptiis Regibus semper in promptu fuisse, quas in bello ipsi conscenderent, scribit Appianus in præfat. His quodammodo respondent tum* paradæ *veterum Gallorum, de quibus Scalig. lect. Auson. lib. 2. c. 14. (vide tamen Scaligero dissentientem Savaronem in Sidonium, pag. 545. m.) tum etiam Venetorum* Bucentaurus, *qua Princeps & Senatus vehi solent, occursuri principibus viris angustissima specie: sic dicta à* bu: *quæ particula vim augendi habet, ut in bupas, bulimos &c. Animalium autem nomina navibus imponi jam olim solita: ut* Centauri, Pristes, Tigres, Cercuri, Cerastæ. *Io. Baptista Pius annot. poster. c. 182. (thes. crit. t. 1. pag. 563.) non male, ut puto, de his thalamegis accipit illud Plauti, in Rudente act. 4. scen. 2.*

Post animi causa mihi navem faciam, atq; imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor. ——

f) Romam. ἀντονομαστικῶς & κατ' ἐξοχήν. *Nam quod Scaliger animadvers. in Euseb. ad an. 1972. Cleopatram umquam Romæ fuisse negat, sensile divini viri παράδοξα est.*

g) *E diverso, sed per absurde, Lycij, sequiori sexui honorem habentes à matribus familiæ nomen ducunt, non à patribus, Herodoto teste, lib. 1. c. 173. Dictus autem fuit Cæsaris hic ex Cleopatra filius, Cæsario, ut habet Dio lib. 47. & noster in Aug. 17, 13. Quomodo etiam hodie Magnatum nothi, nomina parentum non integra, sed nonnihil deflexa & mutata retinent.*

h) *Similitudinem formæ non semper esse certum in designando progenitore argumentum, ostendit epigramma lepidum Thomæ Mori, ad Sabinum, qui puerum sibi simillimum, genuinum falso credidit: dissimiles cæteros, adulterinos. Initium epigrammatis longiusculi est:* Quos ante conjux quatuor *&c. pag. 250 edit. Basil. Porro de similitudinis parentum liberorumq; causa, præclara multa, & nobis conferendi materiam affatim præbitura, disserunt, Aristot. lib. 4. de generat. animalium, cap. 3. And. Laurentius anatom. lib. 8. quæstion. 20. Franc. Vallesius de sacra philos. cap. 11. Henr. Salmuth commentar. in nova reperta Pancirolli, pag. 491. & seqq. Camerarius horar. subcis. centur. 1. cap. 54. &c.*

i) *Principes Criticorum, Ios. Scaliger, conjectan. in Varronis librum 6. de Ling. Lat. & Turnebus adverss. 3. c. 22. judicant, hunc* C. Matium *esse eum, qui & Mimi jambos scripsit, & Ilia Homeri transtulit (ut ante eum Livius Andronicus Odysseam) quemq; Agellius lib. 10. c. 24. laudat ut hominem impense doctum. Sed probabilis est conjectura Lipsii, alium hunc censentis. not. 144. ad Tacit. annal. 12. Vide locum.*

k) *Bona lectio. Glareanus quidem negationem tollit, creditq; scriptum ad Oppio librum,* Esse Cæsaris filium &c. *sed præterquam quod nullius manuscriptorum codicum huic correctioni favet; etiam ipsa συνέχεια narrationis adversatur. Ait Suetonius: Cæsarionem, verum Cæsaris è Cleopatra filium fuisse, patere cum ex impositione nominis: tum forma similitudine: tum denique ex affirmatione Antonij, qui ad conscientiam ac testimonium amicorum Cæsaris provocarit: ex his tamen Cæsaris amicis C. Oppium, ut ostenderet, falso suum testimonium allegari, edito libro demonstrasse,* Non esse Cæsaris filium quem Cleopatra dicat. *Sane quidem Oppius non fecisset amici hominis officium, si contrarium demonstrare voluisset. Nam hujusmodi Magnatum nothi,* quasi libidinem exprobrantes aspiciuntur: *ut in re dissimili loquitur Tacitus l. 14. annal. c. 62. Quo facit exemplum Imp.* Caroli V. *apud Thuanum l. 21.* Cum ille Joannem Austrium ex fœmina Ratisbonensi suscepisset, ea in re, tanta verecundia usus est, ut nisi à penitissimis, matris Margaritæ nomen ignoraretur: de Joanne vero nunquam, nisi paucis ante mortem diebus, locutus sit, cum eum per amicos Philippo F. commendavit: memorabili inprimis Principibus documento, quorum vita suis pro exemplo est, ut, si

quid

quid peccent, clam & in occulto peccent. *Quod porro noster innuit, istam Cæsaris insimulationem non fuisse tanti, ut defensione ac patrocinio negantium egeret; ex eo colligitur, Romanis tum vagas libidines pro leviculo, aut nullo verius peccato habitas esse. Qua causa Tacitus etiam in Germ. c. 19. de Germanis tanquam insolitum quippiam, & Romanis moribus minime receptum, commemorat,* quod publicatæ apud eos pudicitiæ nulla sit venia: & nemo illic talia vitia rideat: nec corrumpere & corrumpi, sæculum vocetur. *Quod utinam adhuc hodie de nobis prædicari vere posset!*

l) *Formulam hanc in nuptiis legitimis solemnem, ac nuptialibus etiam tabulis exprimi solitam fuisse, præter ea quæ Brissonius de formul. lib. 3. pag. 605. habet, ostendunt etiam hæc Augustini, lib. 14. de civit. c. 18.* Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum, procreandorum sit causa liberorum? *Verus enim hic est conjugij finis, ex quo & matrimonium, hominis causa sic dicitur: & à Græcis definitur σωνόδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. Qua etiam causa Imp. Augustus senile quoddam conjugium, injustum pronunciavit, quoniam* non quærendorum liberorum causa initum, *ait Valerius Maximus lib. 7. cap. 7. ex 4. Nec desunt, qui judicant, ad Verbi divini ludibrium pertinere, si in senum sponsorum benedictione publica solenniq; ex more prælegantur ista quoq;*: Crescite & multiplicamini. *Cæterum à decepitis inita conjugia, juri, legibus rationiq; nullo modo consonare, pluribus ostendit Arnis. de jure connubior. cap. 2. sect. 4.*

m) *Iustus Lipsius elector. lib. 1. cap. 20. monuit ita scribendum,* vellet: *non, ut alij,* vellent. *Levis, & in una litterula variatio: sed sententia immane discrepat. Nam si* vellent *retineas, generalis lex foret, sublato omni status & ordinis discrimine, quot & quas cuiq; civium Romanorum visum esset, legitimas uxores ducere permittens. Sin autem* vellet *scribamus, ad solum Cæsarem lex ea referetur. Ac habet quidem utraq; lectio patrocinium à fide codicum veterum: illa prior etiam ab hac ratione, quod Cæsar videatur imitatus isthac generali lege Semiramidem, quæ privatam incestus ignominiam publico scelere obtecturæ, præcepit, ut inter parentes ac filios nulla delata reverentia naturæ, de conjugiis appetendis, quod cuiq; libitum esset, liberum fieret, Orosio teste, lib. 1. cap 4. Quomodo Imp. Claudius incestarum cum fratris filia nuptiarum invidiam, publice concessa talium conjugiorum venia lenivit, Autore teste, in eius vita, c. 26. Nec alio fine Cabades Persarum Rex, cum pertæsus unius uxoris, lasciva impetu raperetur in vagum (ut Horatius in de arte poetica appellat) concubitum; omnibus subditis communionem mulierum indulsit. Autor Cedrenus in*

Zen.

Zen. & Agathias lib. 4. Evenus item III. Scotorum Rex, lege lata dedit subditis licentiam ducendi uxores plures pro arbitrio: ne solus suæ libidini nimium indulsisse videretur: cum ipse plusquam centum uxores in gynæceo aleret, ut confirmat Buchanan. lib. 4. hist. Scot. Quod & Mahomet fecisse putatur eo consilio, ne cum Eadiga uxore sua vetula ætatem frustra deterere cogeretur. Sed neq; tamen eo impudentiæ Cæsarem venisse credibile est. Et omnino lectionem alteram, vellet, clare confirmat Dio lib. 44. pag. 276. b. Vbi inter alios honores Cæsari decretos, fuisse narrat, qui jus illi darent cum quibusvis fœminis se jungendi. Cujus tamen ipsius etiam privæ legis Cæsarem puduisse, tanquam parum honestæ, & minime modestiæ Romanæ convenientis, colligitur ex eo, quod eam ferre jussit, cum ipse abellet, *ut hoc loco dicit autor. Primum, atq; adeo unum ex Romanis Antonium, duas eodem tempore sibi uxores adjunxisse, Plutarchus in Demetrij & Antonij comparatione scribit: nemo deinde (quod sciam) Romanus binas uxores habuit: jure quidem certe civili, habere sub Romani nominis ditione duas uxores, eodem tempore nemo potuit, l. 2. C. de incest. nupt. l. eum qui duas. C. ad leg. Iul. de adult. Ac ne quidem cum uxore concubinam. l. 1. C. de concubin. l. ult. in fin. D. de divort. Vtut autem sit, seu privatam eam Cæsaris legem, seu publicam faciamus, lex justa non fuit. Quamvis enim* legem omnem vitiorum emendatricem esse oportet, commendatricemque virtutum, *ut ait Cicero lib. 2. de legibus c. 22. tamen, quod ibidem c. 15. dicitur*, est stultissimum, existimare omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis aut legibus. Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una: quæ lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam. *Sane Polygamian ediam vetro rectæ rationi oppositam esse, & cum institutioni divinæ, tum juri naturæ contrariam, ac multis modis incommodam, peculiari tractatu* Th. *Beza, & post eum Arnisæus in tractatu de jure connubiorum, cap. 4. demonstrarunt. Disputandi campus pro ijs, quibus de philologicis cæteris nobiscum conferre minus est volupe.*

n) *Ad priora respicit utrumq; membrum: prius quidem*, omnium mulierum Vir, *ad objecta Cæsari* adulteria: *posterius autem*, omnium virorum mulier, *ad eiusdem cinædicam* impudicitiam, *cujus eum infamia laborasse, supra c. 2. & 49. traditum. Ac prius quidem illud membrum, Curio pater mutuatus esse videtur ex Pherecrate, qui citante Athenæo lib 12. c. 9. Alcibiadem item* omnium mulierum virum *dixit. Alterum vero convicium Anacreon cuidam extremæ libidinis, & muliebria passo* (pathicum ex eo vocant) *impingit, cum*

illum

illum ait non duxisse uxorem, sed nupsisse viris. *Hæc ex indicio Iacobi Nicolai, lib. 8. miscell. epiphill. cap. 14. (. thes. Crit. Grut. in supplem. tom. 5. pag. 589.) Prius carmen Græcum hic à Casaub. citatum, extat Athenæi loco quem paulo ante diximus: alterum desumptum est ex Anthologg. lib. 2. c. 5.*

CAPUT LIII.

1. Vini parcissimum[a] ne inimici quidem negaverunt.
2.[b] Verbum M. Catonis est: *Vnum ex omnibus Cæsarem ad everten-*
3. *dam Rempub. sobrium accessisse.* Nam circa victum C. Oppius adeo[c] indifferentem docet, ut quondam[d] ab hospite[e] conditum oleum; pro[f] viridi appositum, aspernantibus cæteris, solum etiam largius dicat appetisse: ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere.

a) *Vt* inimico detrahenti credendum non est, *verbis Augustini lib. 3. contra Petilianum, cap. 10. sic inimico laudanti tanto credendum est magis, quod laudem eam vis conscientiæ & veritatis expresserit.*

b) *Quintilian. lib. 8. instit. orat. cap. 2. idem Catonis apophthegma recitat.*

c) Indifferens circa victum, Demes gleich gilt/was man ihm vorsetzt. *Græcis uno verbo* ἄσιτος: *item* εὔκολος, *vel cum adjectione* εὔκολος τῆς διαίτης, *quales Plutarchus in Lycurgo dicit esse Spartanos infantes. Contrarius huic* δύσκολος, *propria & speciali significatione, qui fastidiose cibos eligit, Augustanis, atq; etiam Austriacis, est* Haiggel: *quod verbi, nostra dialectus deflexit ex* Eckel. *Hoc autem descendit ex Hebraico* Gaal, *quod significat, abominari, nauseare, amoliri cum fastidio.*

d) *Hospes is fuit Valerius Leo Mediolanensis, ut apparet ex Plutarcho, eadem hæc memorante in Cæs. pag. 716. B.*

e. f) *Ad ea quæ Casaubonus hic annotat, adde Luisinum lib. 2. parerg. cap. 16. Io. Bapt. Pium, annot. poster. cap. 183. & Brodæum lib. 4. miscell. cap. 20. qui autores extant in thesauri critici tomis 1. 2. 3.*

CAPUT LIV.

1. [a] Abstinentiam neque in imperiis, neque in magistra-
2. tibus præstitit. Ut enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania à proconsule & à sociis pecunias accepit, e-

mendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & advenienti portas patefacerent, [b] diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque Deum donis referta [c] expilavit: urbes diruit, fæpius ob prædam, quam [d] ob delictum. Unde factum, ut auro abundaret, terniſque millibus nummum in libras [e] promercale, per Italiam provinciaſque divideret. In primo conſulatu tria millia pondo auri furatus [f] e Capitolio, tantundem inaurati æris repoſuit. Societates ac regna pretio dedit: ut qui uni [h] Ptolemæo prope ſex millia talentorum ſuo Pompejique nomine abſtulerit. Poſtea vero evidentiſſimis rapinis ac ſacrilegiis, & onera bellorum civilium, & triumphorum ac [i] munerum ſuſtinuit impendia.

a) *Rapinarum ſcilicet. Vtitur hac voce in eadem ſignificatione Tacitus, Agric. c. 9.* Integritatem atque abſtinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. *Ciceroni* continentia *eſt, quam Quinto Fratri ep. 1. tribuit, objectorum enumeratione illuſtratam.* Triennium, *inquit*, in Aſia fuiſti ſummo cum imperio, ſic ut nullum te ſignum, nulla pictura, nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla forma cujuſquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat iſta provincia, ab ſumma integritate continentiaque deduxerit. *Talis fuit C. Gracchus apud Agellium lib. 15. c. 12. zonas quas plenas argenti extulerat, inanes ex provincia referens. Talis Petrus Gaſca Hiſpanus, ex aurifera illa Peruvia nihilo ditior reverſus, apud Thuanum lib. 1. Diverſus ab his Cæſar: diverſiſſimus Varus, qui pauper Syriam divitem ingreſſus, dives pauperem reliquit. Vell. Paterc. lib. 2. c. 117.*

b) *Præter jus faſq;. Nam, ut ait Æmilius apud Livium lib. 37. cap. 32.* Captæ, non deditæ, diripiuntur urbes: & in his tamen (*captus ſc. diripiendu*) arbitrium eſt imperatoris, non militum. *Videatur Alb. Gentilis lib. 3. de jure belli, cap. 7.*

c) *Thucydides lib. 4. ſcribit, inſtitutis legibusq; Græcorum, id ab omnibus obſervari, ut, qui aliorum regionem cum armis ingrediuntur, in ea templis abſtineant. Et apud Livium lib. 31. cap. 30. graviter Philippum Macedoniæ Regem Athenienſes accuſant,* quod indigne Græco homine, barbaro more, in delubra ſua, quæ ſola religione tuta fuerant, ſævierit. *Iure tamen civili Romanorum, templa, & ſepulchra, & omnia ejuſmodi capta ab hoſtibus, deſinunt eſſe*

ſacra &

sacra & religiosa, ut ex l. cum loca. ff. de relig. & sumpt. fun. & l. 4. ff. de sepulcr violato. ostendit Pe. Faber in semestr. lib. 2. cap. 4. quem vide.

d) *De urbium eversione ob delicta, non aspernanda congessit idem autor, lib. 1. Semest. c. 8.*

e) Promercalia *dicuntur ea, quæ paterfamilias vanália habet extra ea quæ usui suo servat. Autor ostendit, Cæsarem ex rapinis auro sic abundasse, ut non ipsi modo satis esset: sed haberet insuper, quod aliis divideret, & (sic legunt hic aliqui)* divenderet, *idq; vili satis pretio. Fuit enim id* aurum promercale ternis millibus nummum in libras: *hoc est: ut pro singulis auri libris, septem argenti & selibra penderentur. Vbi proportio auri ad argentum est, qua 15. ad 2. scilicet sesquioctapla: cum tamen alias ea decupla fuerit secundum Pollucem: imo quindecupla secundum Plinium, quod ostendit Budæus lib. 3. de asse, pag. 102. & seqq. Quem omnino vide. Nam & hæc ibidem autoris nostri verba doctissime, ut solet, exponit.*

f) *Haud dubie de surrepto Auro coronario hic sermo, atq; etiam, ut videtur, triumphali. Id enim, aut partem ejus, in Capitolini Iovis cella condi solitum fuisse, ut religio magis servaret, ostendit Lipsius lib. 2. de magnit. Rom. cap. 9. Cui adde Piccart. observat. dec. 15. c. 4.*

g) *Vt nempe vel Socius, vel Rex appellaretur aliquis à Senatu Rom. id precio erat à Cæsare emendum. Livius lib. 31. c. 11. scribit,* olim Verminam, Syphacis filium, pro maximo beneficio per Legatos à Romanis petiisse, ut Rex Sociusque & amicus ab Senatu appellaretur: & responsum esse Legatis; nominis eius honorem pro magnis erga se Regum meritis dare Populum Rom. consuesse.

h) *Ptolemæum Auletem accipe; qui pulsus regno, restitutus fuit per Gabinium, Cæsare & Pompejo suffragantibus. Cæterum ejusmodi Reges, quorum vis & potentia pendebat ex auctoritate Romana, nomine Reges, non reipsa fuere: nec jure Majestatis (ut nunc loquimur) utpote quæ absoluta nec superiorem agnoscente potestate constat, gavisi sunt. Quod autem non ex titulo regio, vel externis rebus alijs, jus Majestatis æstimandum sit, egregie Tacitus ostendit lib. 15. annal. c. 31. ubi tradit. Vologesen Parthorum Regem à Corbulone Romano duce petiisse,* ne quam imaginem servitii frater Tiridates perferret: neu ferrum traderet: aut complexu provincias obtinentium arceretur, foribusve eorum assisteret: tantusque ei Romæ, quantus Consulibus, honor esset. *Et acute postea subijcit:* scilicet externæ superbiæ fueto, non erat notitia nostri: apud quos Jvs imperii valet: INANIA transmittuntur. *Quo loco tamen,*

men, si quid judicare possum, pro Jus *videtur esse legendum* Vis: *idq; clare colligitur ex lib. 6. annal. cap. 43. ubi similiter* inania *&* vis imperii *opponuntur. Sic lib. 2. annal. c. 37.* favorabili in speciem oratione, vim imperii tenuit. *Et lib. 3. c. 30.* Crispus speciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuit. *Sed & apud Livium 28. c. 24. f. Vt* vim *imperij abstulerant, ita* speciem *dicto parentium ultro ipsi imperantes servabant. Hæc in transitu.*

i) *Spectaculorum exhibitorum. Dictum supra, cap. 10, 3. a.*

CAPUT LV.

[a] Eloquentia militarique re aut æquavit præstantissimorum gloriam, aut excessit. Post accusationem [b] Dolabellæ, haud dubie [c] principibus patronis annumeratus est. Certe [d] Cicero ad Brutum Oratores enumerans, negat *se videre, cui Cæsar debeat cedere*: atque eum *elegantem, splendidam quoque, ac etiam magnificam ac generosam quodam modo rationem dicendi tenere*. & [e] ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: *Quid? oratorum quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententius aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc [f] Strabonis Cæsaris secutus videtur: cuius etiam ex oratione, quę inscribitur [g] *Pro Sardis*, [h] ad verbum nonnulla transtulit in [i] *Divinationem* suam. [k] Pronunciasse autem dicitur [l] voce acuta, [m] ardenti motu gestuque; non sine venustate. Orationes aliquas reliquit, inter quas [n] temere quædam feruntur: [o] ut pro P. Q. *Metello*: quam non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso [r] editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inscriptam quidem, *Pro Metello*, sed, *quam scripsit Metello*, [s] cum ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum scq; adversus communium obtrectatorum criminationes purgantis. [t] *Apud milites* quoque *in Hispania*, idem Augustus orationem esse vix ipsius putat: quæ tamen duplex fertur: [u] una, quasi priore habita prælio: [x] altera, posteriore: quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione.

a) *Ele-*

a) *Elegans isthæc emendatio Lipsio accepta feratur, Elect. lib. 1 cap. 20. Manuscripti enim ad unum omnes, habebant:* Eloquentia militari, qua re aut æq. *Male, imo pessime. Praterquam enim quod ob constructionem hiulca & imperfecta sententia est; etiam tenuis, imo falsa laus fuerit, Cæsari militarem tantum eloquentiam tribuere. Nam & eloquentia forensi valuisse, usq; eo scimus, ut ambiguam facere palmam potuerit Ciceroni. Tacitus lib. 13 annal. c 3.* Dictator, *inquit,* Cæsar summis oratoribus æmulus. *Sed & causas olim in foro egisse: præter ea: quæ sequuntur, testes Cicero pro Q. Ligario, & pro R. Dejot. Quinctilianus lib. 12. c. 6. à pr. & alibi. Non placet emendatio Anton. Augustini; & eum, ut puto, secuti A. Schotti, observat. humanar. lib. 3. cap. 15. legentium:* Eloquentia mirabili: *cætera omittentium: quippe duas autor virtutes celebrat in Cæsare: & eloquentia quidem, ait, attigit summorum gloriam; re militari excessit.* Cum enim, *ut ait Cicero in orat. pro L. Murana,* duæ sint artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni: *Cæsar, cujus pectori sedebat illud Homericum* (*Iliad. XI. v. 783.*)

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων:

Primas usque tenere, alios que excellere laude:

utramq; sibi statuit amplectendam. Etsi raro alias utraq; juncta. Hannibal certe apud Livium lib. 30. cap. 37: Militares artes, *inquit,* probe video scire: urbis ac fori jura, leges, mores, vos me oportet doceatis. *Et lib. 38. c. 53.* Scipio Africanus, vir memorabilis: bellicis tamen quam patris artibus memorabilior. Quippe, *quod ait idem autor lib. 10. cap. 22.* Viri nati militiæ, factis sunt magni: ad verborum linguæque certamina rudes. *Cato tamen primus Porciæ gentis, tres summas in homine res præstitisse existimatus est: optimus orator, optimus imperator, optimus senator: quæ omnia etiamsi non prius, at tamen clarius fulsisse in Scipione Æmiliano videntur, inquit Plinius lib. 7. cap. 27. Porro quam in genere Principi ac Magistratui cuivis utilis & necessaria sit Eloquentia, pluribus ostendit clarissimus quondam in hac Acad. Professor Eloquentiæ, Mel. Junius, lib. 1. politicar: quæstionum, quæst. 19.*

b) *Quem Cæsar ætatis anno 21. luculenta oratione, repetundarum postulavit: Supra, cap. 4. §. 1. b.*

c) *Primarius causarum actoribus: quales tum erant, Cicero, & Hortensius, rex fori dictus ob eloquentiam.*

d) *Locus hic Ciceronis extat in Bruto, cap. 75. editionis Gruteriana.*

e) *Epistolarum Ciceronis ad Cornelium Nepotem aliquot fragmina inter eaq; hoc etiam, in edit. Grut. referuntur, pag. 335. Est ille Nepos, cujus, de vitæ*

Pomponij Attici, libellus extat: quiq; libri de vita excellentium imperatorum, Æmilio Probo vulgo tributi, putatur autor.

f) *C. Iulij, gentilis sui, veteris oratoris, cujus Cicero non uno loco meminit, & semel iterumq; Priscianus. Præclare Seneca epist. 2.* Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant &c. *Sed hoc nimirum in adolescentia studiorum: ubi, ex præcepto Plinij lib. 7. epist. 9. f.* multum legendum est, non multa. *Nam si profeceris; tum demum licebit, opinor, plurium, quos imitemur, bona ponere ante oculos, ut aliud ex alio hæreat: & quo quidq; loco conveniat, aptemus, ex præcepto Quintiliani, lib. 10. instit. orat. cap. 2. Multum namq; legendo, ut & multa cum fructu legamus, efficitur.*

g) Sardinia, *mediterranei maris insula:* Sardegna *hodie. Cujus incola,* Sardi.

h) Prudentis esse, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere, *Quintilianus 10. c. 2. dicit. Sic Cicero Demosthenem & Isocratem imitatus est: Virgilius Homerum, Theocritum, Hesiodum: Horatius Alcæum, Pindarum, alios: ut etiam ad verbum nonnulla transtulerint: id quod in Virgilio præcipue, justo libro demonstrat Ful: Vrsinus. Ne quis igitur in Cæsarem nostrum torqueat illud Horatij lib. 1. epist. 19.*

O imitatores, servum pecus! &c.

Quod non nisi ad eos pertinet, qui vel ita sunt hebetes ac perversi, ut vitia pro virtutibus imitentur: aut ita timidi superstitiosiq;, ut ab eorum, quos sibi proponunt imitandos, vestigijs ne hilum audeant abire.

i) *Accusatores Romæ voluntarij erant, nec, ut in Græcia, publice constituti. Unde sæpius accidebat, ut multi simul ferrentur in reum, aut privato odio, aut spe præmij gloriæve, aut utilitate publica stimulati: qui cum convenire non possent, ut uni accusationem cederent, sed sese quisq; idoneum contenderet; res Iudicum cognitione disceptabatur, accusandiq; jus sententia decernebatur. Atque hanc controversiam de Accusatore constituendo,* Divinationem *appellabant, (cujus nominis rationem excutit Agellius, lib. 2. c. 4.) itemq;* prolusionem, *&* prodromon: *quia ante justum cum Reo congressum, ab Accusatoribus, instar velitationis cujusdam præmittebatur in ipso vestibulo causæ. Talis* Divinatio *fuit illa Ciceronis oratio prima Verrinarum: talis hæc Cæsaris: quia ut ibi, Cicerone an Cæcilius Verrem: ita hic, utrum Cæsar, an alius, Dolabellam accusare debeat, tractatum fuit.*

k) Patet

k) *Patet ex hoc loco*, Pronunciationem *non vocis modo, sed & motus gestusq; esse. Hæc Ciceroni Actio: cuius duas item partes facit, vocem atq; motum. Pars oratorij officij præcipua: siquidem & Demosthenes, quid esset in toto dicendi opere primum, interrogatus, Pronunciationi palmam dedit, eidemq; secundum ac tertium locum, donec ab eo quæri desineret: ut eam videri posset non præcipuam modo, sed prope solam judicasse. Quintilian. 11. c. 3. Cicero in Bruto, & 3. de Oratore.*

l. m) *Et vocis acumen, & motus ardor in Cæsare Physiognomica sunt indicia* vigoris ignei, *qualem ei Plinius quoq; tribuit lib. 7. cap. 25. pr. Porro eundem* ardorem, *simulq; cujus paulo ante meminerat autor*, elegantiam, *prædicat in eo Quintilianus lib. 10. cap. 1. circa fin. his verbis*: Tanta in Cæsare vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia, mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.

n) *Per errorem*, ἀβασανίστως, *inconsiderate.*

o) *Fugitivum* ut, *quod omnes libri omiserant à Casaubono bene retractum, oppidoq; hic necessarium.*

p) *De cujus turbulento tribunatu, supra cap. 16. pr. dixit autor.*

q) Acta *publica sunt, quibus in judicio gesta mandantur. Hinc* Actuarii, *qui acta scribebant, & oratorum ac patronorum actiones inter dicendum excipiebant. Iidem exceptores à notis dicti* Notarii: *quia compendio quorundam punctorum, signorum, & minutarum figurarum, verba aut vim syllabarum comprehendebant. De quibus forte in Galba, cap. 5. aut in Tito, c. 3. amplius dicendi locus erit.*

r) *Oratores quas orationes, & quomodo, soliti fuerint edere, videndus omnino Fran. Polletus lib. 2. Hist fori Rom. cap. 12.*

f) *Est qui longe aliter*: cum ex persona Metelli sermo sit, Cæsarem seque &c. *Quam lectionem (haud scio tamen in ullo ms. adjutam) aliquo modo ista inscriptio probabilem facit*: Oratio quam scripsit Metello.

t) *Istiusmodi militares orationes Xenophon, ipse dux egregius, improbare videtur, cum lib. 3. pæd. Cyrum hæc dicentem facit*: Nulla adeo fortis & efficax invenitur hortatio, quæ ignavos uno diei momento immutet, & ex segnibus fortes reddat, peritosque earum rerum ac artium, quæ in bello requiruntur, nisi diu ante meditati illas fuerint. Nec enim ea, quæ valent ad fortitudinem, subito in animos hominum inseruntur: non secus ac artis Musicæ imperitos cantilena pulchre decantata, ad Musicam artem perdiscen-

discendam, parum aut nihil provehere potest. *Quem ad locum respexit forte Sallustius, cum Catilinam in eius vita cap. 58. inducit ista pronunciantem:* Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere: neque ex ignavo strenuum: neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri: sed quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque pericula excitant, nec quicquam hortere: timor animi, auribus officit. *Quod paucis Marius apud eundem autorem, in Iug. c. 85.* Timidis verba virtutem non addunt. *Quæ res forte movit eximium alioqui ducem Ferdinandum Gonzagam, ut* bonum ducem eloquentia, atque adeo doctrina præditum esse debere *negaverit, teste Scip. Amirato lib. 12. disc. 4, Et Tacitum, ut lib. 15. annal. c. 26.* viro militari authoritatem pro facundia esse *dicat: & Fabium consulem*, ut pugnando potius, quam adhortando, militum animos accendendos esse *statuat apud Livium lib. 2. c. 46. f. Verum enimvero etsi verba virtutem non addere largimur: excitare tamen & exacuere, negari non potest. Vt vestes corpus non calefaciunt, nisi ei nativi caloris aliquid insit ante: sic intus & in animo aliquid esse fortitudinis oportet, quod oratione eliciatur. Vnde Vegetius lib. 3. de re milit. cap. 12.* Monitis, *inquit*, & oratione ducis, exercitui virtus crescit & animus, præcipue si futuri certaminis talem acceperint rationem, qua sperent se facile ad victoriam perventuros. Tunc inimicorum ignavia vel error ostendendus est: vel, si antea à nobis superati sunt, commemorandum. Dicenda etiam, quibus militum mentes in odium adversariorum, in iram & indignationem moveantur. Animis pæne omnium hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident, cum ad conflictum venerint. *Sed & Onosander strateg. cap. 1. in eligendo duce, præter alia spectandum inprimis esse monet, ut* sit dicendi peritus. Hinc enim (*ait*) maxima præcipuaque in exercitum commoda derivantur. Siquidem imperatoris vehementi concione erecti excitatiq; in procinctu milites, ardua quæque & formidolosa despiciunt: & propositam in laudem victoriamque, acriter certando conspirant. Necita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt aut irritant, ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppositа pericula erigit stabilitque: imo & metu conterritos, pæneque jacentes, sæpe constanti roborat allocutione, &c. *Certe quantum valeat in armis eloquentia, vel Cæsaris nostri luculenta illa docet oratio, quam ad milites suos à Pompejanis in Thessalia fusos habuit. Nam* hac habita oratione (*inquit ipse lib. 3. de bell. civil. cap. 74.*) exercitui omni tantus incessit

cessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret: & sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores: simulque omnes arderent cupiditate pugnandi. *Sed & seditionis militum remedium præsentissimum Eloquentiam, exempla docent apud Tacitum lib 1. Annal. cap. 19. 39. & seqq. &c. Quo de, aliisq; usibus militaris Eloquentiæ, digna lectu scripserunt Scip. Amiratus lib. 12. dissert. polit. cap. 4. & Mich. Piccart. observation. decad. 1 5. c. 10.*

l. m) *Bellum Hispaniense adversus filios Pompeii Magni, duobus à Cæsare confectum prælys est: uno apud Cordubam, altero apud Mundam.*

CAPUT LVI.

1. [a] Reliquit & rerum suarum [b] Commentarios, Gallici
2. civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique &
3. [c] Hispaniensis, incertus auctor est. [d] Alii enim Oppium putant, alii Hirtium: qui etiam Gallici belli [e] novissimum im-
4. perfectumque librum suppleverit. De commentariis Cæsaris Cicero in [f] eodem libro sic refert. *Commentarios scripsit valde quidem probandos: nudi sunt, recti, & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracto: sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, g ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volunt [h] calamistris inurere: [i] sanos quidem homines à scribendo deterruit.* De iisdem commentariis
5. Hirtius ita [k] prædicat. *Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita, facultas scriptoribus videatur. Cujus tamen rei major nostra quam reliquorum est admiratio. Cæteri enim quam bene atq; emendate; nos etiam quam facile atq; celeriter eos per-*
6. *scripserit, scimus.* Pollio Asinius parum diligenter, parumque integra [l] veritate compositos putat: cum Cæsar pleraque & quæ per alios erant gesta, [m] temere crediderit; & quæ per se, vel consulto, vel etiam [n] memoria lapsus, perperam ediderit:
7. existimatque rescripturum & correcturum fuisse. Reliquit & [o] *De analogia* libros duos: & [p] *Anticatones* totidem: ac præ-
8. terea poema quod inscribitur [q] *Iter*. Quorum librorum [r] pri-

mos, in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret: [f] sequentes, sub tempus Mundensis prælii fecit: [t] noviſſimum, dum ab urbe in Hiſpaniam [u] ulteriorem [x] VII. & XX. die pervenit. *Epiſtolæ* quoq; 9. ejus *ad Senatum* extant, quas primus videtur ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſe; cum antea coſs. & duces nonniſi [y] tranſverſa charta ſcriptas mitterent. Extant 10. & *ad Ciceronem*, item *ad familiares* domeſticis de rebus: in quibus ſi qua occultius perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, [z] ſic ſtructo litterarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inveſtigare & perſequi volet, quartam elementorum litteram, id eſt, D. pro A. & perinde reliquas commutet. [aa] Feruntur [bb] & à puero, & ab adoleſcentulo, quæ- 11. dam ſcripta: ut *laudes Herculis*: tragœdia *Oedipus*: item [cc] *Dicta collectanea*. Quos omnes libellos vetuit Auguſtus [dd] publi 12. cari, epiſtola quam brevem admodum ac ſimplicem, ad Pompejum Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, miſit.

a) *De his qui ſuas ipſi res geſtas deſcribunt, operæ pretium eſt audire judicium Ciceronis, lib. 5. familiar. epiſt. 12.* Hæc ſunt (*inquit*) in hoc genere vitia, & verecundius ipſi de ſe ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas: multi denique reprehendant: & dicant, verecundiores eſſe præcones ludorum gymnicorum, qui cum cæteris coronas impoſuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint, cum ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. *Prudentiſſimus tamen Tacitus in Agric. c. 1. ſcribit*, cum virtutes iiſdem temporibus optime æſtimentur, quibus facillime gignuntur, pleroſque veterum, ſuam ipſorum vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitratos eſſe: nec id P. Rutilio Rufo & M. Scauro, citra fidem aut obtrectationi fuiſſe. *Quibus addamus licet Q. Catulum, cujus librum de conſulatu & rebus ejus propriis conſcriptum, molli & Xenophonteo genere ſermonis, ut & ejuſdem Scauri tres ad L. Fuſidium de vita ſua libros, prædicat & extollit in Bruto ſive de-*

claris

claris Oratoribus Cicero. Sic M. Varro: sic Augustus Cæsar, cujus de vita sua 13. libros memorat Suetonius noster, cap. 85. sic L. Cornelius Sylla: sic Tiberius Imperator, Agrippina mater Neronis, Hadrianus Princeps, pluresq; veterum alij: & nuper Lac. Aug. Thuanus. Cicero lib. 1. ad Attic. epist. penult. meminit commentarij & Graci & Latini, quem de suo consulatu composuerit, atq; etiam poematis, ne quod ipse laudis suæ genus prætermitteret; quamquam non ἐγκωμιαστικὰ sint ista quæ scribat, sed ἱστορικά: promdeq; non illud objici sibi posse: τίς πατέρ' αἰνήσει; (hoc est, quis patrem laudabit? Quod proverbium exponit in Arati principio Plutarchus.) Quæ digna notatu, & ad Cæsaris quoq; factum accommodanda distinctio, inter encomion *&* historiam. *Præterquam enim quod* laus propriæ familiæ quæsita, leviorem auctorem facit, *ut ait Livius lib. 7. c. 9. ipsius quoq; Ciceronis judicio lib. 2. offic.* turpe est, de seipso prædicare, & cum irrisione auditorum, imitari militem gloriosum. Jucundissima laus est, quæ ab aliis proficiscitur: propria vero laus odiosissima est, *inquit Xenophon apud Plutarchum. Quo pertinet proverbium,* teipsam laudas Astydamæ in modum: *quod explicat in Chiliadibus Erasmus.*

b) *Quos Plutarchus in Cæsare vocat* ὑπομνήματα. *Melius tamen, & ad Latinam vocem aptius Strabo* ὑπομνήματα, *lib. 4. Nam & Cicero, quod sui Consulatus* commentarium *appellaverat ad Attic. lib. 1. epist. 19. f. (aliis 16.) idem paulo post sequenti epist. 1. lib. 2. pr. nominat* ὑπόμνημα. *Est autem* commentarius, *sive* commentarium *(nam utrumq; promiscue dicitur) quicquid ita conficimus, ut memoriæ tantum gratia, non plenæ narrationis, facere videamur: in quo scilicet capita tantum & summas rerum annotare solemus. Quomodo in Cæsaris hisce commentariis, res ejus in Gallia & bello civili gestæ, non late & plene enarrantur: sed veluti perstringuntur. Ea de voce plura Laurent. Valla lib. 4. Elegantiar. cap. 21.*

c) *Supra, cap. 37. 2. e. Subaudi hic,* belli.

d) *De autore libellorum istorum, qui adjuncti commentariis Iulianis. Justus ille Lipsius Elector. lib. 2. cap. 22. ita sentit, non esse prolem unius ejusdemq; patris, utut autor noster id hoc loco innuat. Diversos enim hos inter se abire, toto narrationis sermonisq; contextu. Ac Hispaniensis quidem belli scriptorem totum esse militari quodam & horrido stylo: Africi vero non inter illos tantum eminere, sed inter pleraq; Romana scripta. Ita versa in eo, & ad Comicum morem puræ dictio, simplex, cohærens, & candida narratio; nihil quæsiti coloris aut fuci: nec libellum alium esse magis ad Genium prisci ævi. &c.*

e) *Ultimum, qui est octavus: cujus autorem Hirtium esse, præfatio ejus ad Balbum aperte significat.*

f) *Alij è mſs. pro* libro, *habent* Bruto: *atq; id, judicio Torrentij, melius, ſi etiam* in eodem *deleatur. Cum minore gloſſematis ſuſpicione Romana editio, præcedens quoq; Cæſaris omittit. Locus Ciceronis extat in Bruto, ſeu libro de claris oratoribus, cap. 75.*

g) *Cicero lib. 2. de Orat. c. 4.* Ex omnibus, *inquit*, Latinis verbis hujus verbi vim vel maximam ſemper putavi: idq; in ſermonis noſtri conſuetudine perlate patet. Nam qui aut tempus quid poſtulet, non videt: aut plura loquitur: aut ſe oſtentat: aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet: aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt; is ineptus dicitur. *Huic verbo nullum apud Græcos æquivalens inveniri ſtatuit, adeoq; integram de eo contexuit orationem I. C. Scaliger.*

h) Calamiſtrum, *quod &* calamiſter, *ferrum ſive acus quædam eſt, qua calefacta criſpatur in annulos capillitium, ſeu, verbo Plinij Iunioris*, coma in gradus frangitur. *Quo pertinet illud Virgilij lib. 12. Æneid.*

——— fædare in pulvere crines
Vibratos ferro calido myrrhaque madentes.

Hoc loco μιλαχρεικῶς affectatum orationis ornatum ſignificat. Cicero lib. 2. ad Attic. epiſt. 1. pr. Attici ſcripta hoc ipſo eſſe ornata ſcribit, quod ornamenta negligant: ut mulieres ideo bene olere videntur, qui nihil olent. Idem de Cæſaris commentariis hic dici queat.

i) *Integri judicij homines. Cicero in epiſtola quam modo laudavimus, hoc idem de commentario illo prædicat, quem de conſulatu ipſe ſuo Græce ſcripſerat: ſe ſcilicet eum Poſidonio miſiſſe, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet: Poſidonium autem reſcripſiſſe Rhodo, ejus ſe lectione non modo non excitatum ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum. Addit, conturbaſſe ſe Græcam nationem, ut jam exhibere ſibi moleſtiam deſinant ij, à quibus vulgo rogabatur, ut daret quod ipſi ornarent. Qua laus ingenij tanto major in Cicerone quam Cæſare fuit: quod hic tantum ὁμογλώσσους, ille vero Latinus Græcos abſterruit à ſcribendo.*

k) *Locus Hirtij, quem deſignat autor, extat in præfatione illa, quæ eſt ad octavum librum paraleipomenon ſeu Derelictorum de bello Gallico.*

l) *Vt animanti oculos ſi eruas, reliquum corpus inutile reddas: ſic Hiſtoriam, Veritate detracta. Qua eſt comparatio Polybij lib. 1. & 12. uſurpata quoque Nicephoro Gregoræ lib. 1. ſub initium* ὅσῳ ὀφθαλμὸς τοῖς ζώοις, τοῦτο τῇ ἱστορίᾳ ἀλήθεια: Id Hiſtoriæ Veritas eſt, quod animantibus oculus. *Ciceroni lex Hiſtoriæ*

storiæ prima est, ut Vera dicantur. lib. 2. de Orat. cap. 15. Et quis tamen ille tam confidens (*id libet quærere cum I. Lipsio, lib. 5. epistolic. quæstion. epist. 11.*) aut tantis cervicibus, qui audeat Historiam usque quaque veram scribere? Quis Regum illa κρύφια, & ut Tacitus noster appellat, *Arcana Imperij*, prodi vult? Δυσθήρατον ἰχνεία τ' ἀληθές, Historiarum scriptori difficilis investigatu res est Veritas: cum posterioribus præteritum tempus cognitionē rerum præripiat: qui vero vivunt ætate ejus, cujus vitam aut acta describunt, ij partim invidia odioque, partim gratificandi studio & adulatione corrupti, Veritati officiant. *Hæc Plutarchus in Pericle, pag. 160. e.*

m) *De hac Historicorum credendi temeritate quæstus jam olim Thucydides lib. 1. οἱ ἄνθρωποι, inquit, τὰς ἀκοὰς τῶν παρηγγελμένων ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται:* Homines quæ de rebus præteritis audiverunt, inconsiderate, nullaque prorsus examinatione adhibita, à se mutuo accipiunt. *Et paulo post: ἀπαλαίπωρός τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται:* à plerisque studium veritatis negligitur, dum obvia quæque, & quæ magis in promptu sunt, consectantur. *Quem locum, ut ex Thucydide plura alia, Tacitus expressit lib. 3. Annal. cap. 19. Similia Niceph. Gregoras longule à principio libri 1.*

n) *Cæsarem animi vigore præstantissimum, omniumq; capacem fuisse: epistolas magnarum rerum quaternas; aut, si nihil aliud ageret, septenas pariter librario dictare potuisse scribit Plinius lib. 7. cap. 25. Talem Virum* memoria *lapsum, præsertim in describendis propriis rebus, nemo facile mihi persuaserit. Atq; adeo totum hoc Pollionis Asinij de Cæsaris commentariis judicium satis malignum & livore suffusum videtur.*

o) Analogia *est verborum similium declinatio similis, definitore Varrone, lib. 9. de ling. Lat. sub finem: quibus in libris idem doctissimus autor & pro analogia & contra eam subtilissime scripsit ad Ciceronem: quod etiam fecerunt Aristarchus & Crates, illustres Grammatici. Nec enim id temporis, quod videas hodie non raro fieri, Grammatica Criticaq; tractare, fuit habitum probro. Fecere id olim summis in Repub. officiis perfuncti (talis ille Varro) fecere Principes ipsi: ut præter Iulium nostrum Cæsarem Claudius Cæsar edito de tribus literis volumine, testante autore in ejus vita cap. 41. & avo superiore Scaliger ille Cæsar, qui non vilior mihi Augusta omni stirpe. Non minuimur per hæc minuta, si reipsa magni, non magis quàm columna, si in vallem demittitur: quæ apparebit minus alta, non erit, inquit I. Lipsius præf. ad dial. de rect. pronunc. ling. Latinæ.*

p) *Eos Cæsar opposuit libro Ciceronis, cui titulus est* Cato Major: *quo*

Catonis Vticensis laudatio continetur. Horum Anticatonum meminere Cicero ad Attic. lib. 12. epist. 40. p. & 41. f. Quintilian. lib. 3. c. 7. f. Iuvenal. satyr. 6. v. 339. Plin. lib. 3. epist. 12. & Tacit. 4. A. 34. & alicubi Priscianus. Caterum Anticatonis vocem Quintilianus lib. 1. instit. orat. cap. 5. f. dictionem facit bigenerem, & ut sic dicamus, hybridam, quippe ex Graeco & Romano sermone compositam: de quod genus vocabulis Radulph. Fornerius lib. 5. rer. quotid. cap. 2. & Rodolph. Goclenius lib. 3. problem. Grammat. problem. 29.

q) Itinerarium *vulgo, quod Graecis* hodœporicon. *Cujusmodi, praeter hoc Cæsaris, alia plura, scripta sunt à veteribus. Sic Vlpij Trajani Dacica itinera à seipso, quorum apud Priscianum mentio: & Alexandri Severi, ab Acolio, qui ei à memoria erat, sunt mandata literis. Extant & Antonini profectiones per varias orbis terrarum partes. Ita Brundusinum suum è Roma excursum Horatius, & navigationem in Miletum Ovidius descripsere. Firmianus Hodœporicon de Africa Nicomediam usq; hexametris edidit versibus. Quorum institutum ævo nostro multi cum Principes viri, tum alij, & in his Leonh. Rauvolfius, cum fructu publico sunt imitati.*

r) *De analogia duos. Mirum, id eum potuisse, in mediis istis bellorum turbis. Nimirum* antiquorum ducum dextera solebat non minus stylum tractare, quam gladium, *ait Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 17. Quomodo Scipio, semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Vell. Paterc. lib. 1. cap. 13.*

f) *Anticatones.*

t) *Iter.*

u) *Bœticam.*

x) *Strabonis & Appiani autoritate nixus Casaub. hunc numerum ponit: cum mss. codd. omnes habeant IV. & XX.*

y) *In forma patente, ut vulgo loquimur: prout etiam hodie scribuntur epistolæ Sed Cæsar compaginavit, ut libelli memorialis usum præstare possent. De epistolis, quas impp. ducesq; miserunt ad Senatum, vide Brisson. formul. lib. 8. pag. 854. & seq.*

z) *Hinc lucem accipient Noctes Agellij, lib. 17. cap. 9. pr. Porro cui hæc & alia cura, legat oportet steganographian Tritemij, & Ioan. Baptist. Portam de furtivis litterarum notis. Eo tamen pervenit hominum solertia, ut nullum tam arcanum sit illorum autorum artificium, quod non indagari & aperiri queat. Vt autem lectori, opera mihi navatæ pretium constet, scribendi rationem occultissimam*

rissimam eum docebo, quam ipse didici ex Ioan. Brodai miscellan. lib. 4. cap. 9. f. Fenestratam perforatamq; variis in locis superinductam chartam adhibeas, ac inanitatem sermonibus quasi ad rem facientibus impleas: &c. Qua una via, quamlibet subtilis ingeniorum industria, tota concidat ac jaceat necesse est.

aa) *Traduntur.*

bb) Et à Puero *Torentius* indicat *in duobus codd. abesse. nec abest incommode.*

cc) ἀπομνήματα τῶν ἀποφθέγματων λεγομένων *vocat Aristoteles lib. 1. politicor. cap. 11. (al. 7.) & Laertius in Thalete. Sunt hæc ipsa, quorum Cicero lib. 9. ad familiar. epist. 16. m.* Apophthegmatum *titulo meminit. Nec obstat, quod Torrentius diversa putat: cum illa à Cæsare adolescente, hæc viro confecta sint. Iam enim in adolescentia apophthegmata illa collegisse potest, atq; adeo collegit: ætate vero maturior, alia subinde aliaq; (ut est ea res infinita) prioribus adjecit. Nec aliud è Ciceronis isto loco colligitur. Inspice.*

dd) *Publice edi, divulgari.*

CAPUT LVII.

1. ARmorum & [a] equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine, nonnunquam equo, sæpius pe-
2. dibus, anteibat, [b] capite detecto, seu sol, seu imber esset. Longissimas vias [c] incredibili celeritate confecit, [d] expeditus, [e] meritoria rheda, [f] centena passuum millia in singulos dies: si flumina morarentur, [g] nando trajiciens, vel [h] inmixus inflatis utribus, ut persæpe nuntios de se prævenerit.

a) *Cleophantus Themistoclis filium, ἱππικὸς ἄριστος, τἆλλα δ' ἰδιώτης ἄριστος optimus eques, cætera iners erat, ut notat ex Platonis Menone Plutarchus in vita Themistoclis. In Cæsare, præter insignem equitandi peritiam quanto plura inerant alia? Fas sit optare, ut eadem ista, quæ hoc & sequentibus aliquot ῥήμασι de Cæsare prædicat autor, in iis item deprehendantur, quibus Atlantibus hodie salus patriæ ac libertas innititur. Nam, quod vere, sed verecunde dico, per nescio quos cincinnatulos & comptulos, delicatulosq;, &, quod caput est, ἄνους χρημάτων, non stabit, quin pessum eamus.*

b) *Ita Silius Italicus lib. 1. Punicor. Annibalem. ait,*

----vertice nudo
Excipere insanos imbres, cæliq; ruinam.

Ita Ma-

Ita Masiniſſam Numidiæ Regem ab hac firmitudine commendat Cicero in de Senect. quod nonagintaannos natus, nullo imbre, nullo frigore adduci potuerit, ut capite operto eſſet. Quale quid de Hadriano Spartianus, & de Severo Herodianus, & de Catone Vticenſi Plutarchus, in eorum vitis memorant. Adde quæ dicta ſupra cap. 45. 4. b.

c) *Cæſar, Alexandri Magni laudum æmulus, ut ſupra cap. 7. traditum, eum hac quoq; re ſuit imitatus. De quo Curtius lib. 6.* Nullam, *inquit*, virtutem Regis iſtius magis, quam celeritatem laudaverim. *Idem, quo pacto, tantillo tempore tanta geſſiſſet, interrogatus, reſpondit,* μηδὲν ἀναβαλόμενον, nihil procraſtinando *Quomodo Cæſarem quoq; Dio Caſſius ſub finem libri 42. in omnibus negotiis celeritate atq; improviſis expeditionibus plurimum conſecutum eſſe ſcribit: neq; ullam aliam cauſam fuiſſe, cur omnes ea tempeſtate duces tantum rei bellicæ gloria præcellnerit. Eo laudis nunquam evadent, qui quod de Fabio Valente Tacitus habet lib. 3. Hiſtor, cap. 40.* inutili cunctatione, agendi tempora deliberando conſumunt: *&, ut ibidem cap. 50. dicitur,* dies rerum, verbis terunt. *Id vitij priſcis quoq; Germanis Tacitus tribuit in libello de morib. Germ. cap. 11. & ætate noſtra tantum creviſſe Th. Zwingerus in theat. pag. 3837. ſcribit, ut nobis velut in proverbium abierit:* Wir wollen lugen. *Hinc tot iſti cætus, quos dietas vocant: &, quod pejus, iſta turpis & fœda ſententiarum decretorumq; vacillatio. Vnde Carolus V. Imperator haud inſcite Germanorum conventus viperis aſſimilavit: quia, ut iſta ſuas matres tollunt; ſic illorum poſterioribus decretis tolluntur priora.*

d) *Nullis impedimentis oneratus.*

e) *Precio conducta. Sic apud autorem noſtrum in Calig. c. 39.* meritorium vehiculum: *& in Vitellio:* meritorium cænaculum, *pro ablocaticio diverſorio.*

f) *Centena milliaria: quorum ſi quaterna, ut volant, ſingula Germanica conficiunt; iter diurnum Cæſaris, 25. noſtratium milliarium fuerit oportet.*

g) *Ars utiliſſima, qua neſcio quam benè moroſi quidam Orbilij, & parentes intempeſtive ſolliciti, ſuis interdicunt. Ea de plura dicentur in Aug. cap. 64.*

f) *Teſtante L. Floro lib. 3. c. 5.* Luculli nuntius per medias hoſtium naves, utre ſuſpenſus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quaſi marina piſtrix, evaſerat. *Hoc utrium natatoriorum antiquiſſimum inventum auxit noſtri ſæculi ſolertia. Nam ante annos non ita multos Franciſcus Keſsler, artificioſi hujuſmodi cinguli, adhæc caligarum, quæ inflatæ medium plus hominem ſupra aquas extantem, & ſubjecto pedibus plumbo, aptatiſq; pinnis,*

iter ad-

iter adgubernantem sustineant, delineationem descriptionemq; popularilingua vulgavit. Nisi forte hic illud Livij locum habet: Pleraque nova commenta mortalium, in verbis vim habent extemplo: cum agi, non, quemadmodum agantur, edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt. *Lib.44.cap.14.*

CAPUT LIIX.

1. In obeundis expeditionibus, dubium[a] cautior an au-
2. dentior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi[b] perspeculatus locorum situs: neq; in Britanniam transvexit, nisi ante[c] per se portus, & navigationem, & acces-
3. sum ad insulam exploraſſet. At idem[d] obsessione castrorum in Germania nunciata, per stationes hostium Gallico habitu
4. penetravit ad suos. A[e] Brundisio[f] Dyrrachium inter oppo-
5. sitas classes hieme transmisit. Cessantibusque copiis, quas subsequi insserat, cum ad g arcessendas frustra sepe misisset, novissime ipse clam noctu[h] parvulum navigium[i] solus[k] obvoluto capite conscendit: neque aut, quis esset, ante detexit: aut[l] gubernatorem cedere adversæ tempestati passus est, quam pæne obrutus fluctibus.

a) *Vulgati*, cautiorne. *Sed hoc nostrum elegantius est, & fere Tacitus ita loquitur. Bella copula virtutum non ita sæpe junctarum. Nam alias, ut ait Livius lib.37.cap* 12. Cautiores sunt duces, quo minus animi est.

b) *Malim*, præspeculatus. *Congruehoc ad istud præceptum Onosandri cap.6.* præmittat Imperator etiam equites scrutandis exploranditque viis: maxime cum sylvæ penetrandæ, aut circumseptæ collibus solitudines pervadendæ. Sæpenumero enim struuntur ab hostibus insidiæ, quæ si adversarios fallant, rem eorum universam perimunt opprimuntque: si vero subtili ducis diligentia detegantur; maximum prudentiæ argumentum hostium imperatori exhibent. *Hæc strategicus ille doctor.*

c) *Fides historica*, per suos, *scribere jubet. Nec enim ipse Cæsar ista præspeculatus est: sed C. Volusenum cum longa navi, exploratum loca, præmisit in Britanniam: sicut ipse scribit lib.4.de bello Gall.cap.21. Possit tamen ex scito Iurisconsultorum affirmari, Cæsarem per se egisse videri, quod mandato ipsius legatus.*

d) *Cum Q. Cicero, Marci frater, legatus Cæsaris, obsideretur: & omnia*

Cæsaris hyberna, communi Gallorum conspiratione oppugnarentur. Qua de re Cæsar ipse lib. 5. bell. Gall. cap. 39. & seqq.

e. f.) *De utraq; urbe supra cap. 34, 1. g. & cap. 36, 2. a. Trajectus hic ex Italia in Græciam longior, at tutior: brevissimus autem ab Hydrunte Apolloniam.*

g) *Advocandas Brundisio Dyrrachium, & pugnaturas contra Pompejum.*

h) *Florus lib. 4. c 2. §. 5.* speculatorium navigium *vocat. Ammianus lib. 16. idem narrans, ait,* lenunculo *se commisisse* piscantis. *Plutarch. in Cæs. p. 726. c. duodecim scalmorum magnitudine navem ait fuisse.*

i) *Quomodo & Lucanus lib. 5. v. 509.*

---- cunctisque relictis,
Sola placet fortuna comes. ----

Nam quod Appianus lib. 2. de bell. civil. pag. 463. cum tribus eum servis ad navem venisse scribit, illi non una conscenderunt.

k) *Plutarchus addit, servili; Appianus, privati hominis veste tectum fuisse. Erant enim hostes in proximo fallendi.*

l) *Amyclas nomen huic gubernatori fuit, ut prodidit Lucanus d. lib. 5. v. 520. quo loco luculenta planeq; graphica totius rei descriptio est: ut & in cæteris autoribus, quos modo laudavimus. Memorabile est, quod ex Plutarcho, ut solet, Appianus refert: cum iste gubernator, tempestatis vi superatus retrocedere statuisset, Cæsarem retecto capite exclamasse:* perge audacter: Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην: Cæsarem vehis, Cæsarisque fortunam. *Et mox subjecit:* multo plus fortunæ suæ Cæsarem, quam consiliis esse fisum. *Adeo verum Ciceronis illud est pro L. Manilia:* fuisse quibusdam summis viris, quandam, ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, divinitus adjunctam fortunam. *Recte,* divinitus: *id q; astrorum influxu fieri, in ipsa, si dabitur occasio, αὐτοψίᾳ malumus colloquendo quam scribendo explicare.*

CAPUT LIX.

[a] Ne religione quidem ulla à quoquam incepto absterritus unquam vel retardatus est. [b] Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam non distulit. [c] Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, *Teneo te,* inquit, *Africa.* Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia fataliter [d] Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Cornelio-

1. 2. 3. 4.

neliorum genere, cui ad opprobrium vitæ, c Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.

a) *Vt alias, ita hic iterum apparet, recte dixisse Vell. Paterculum lib. 2. c. 41.* Cæsarem Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, similimum fuisse. *Eam similitudinem & comparationem Appianus extremo libro 2. de bellis civilibus copiose exequitur: & utrumq; ait fuisse* contemptorem religionum, *hoc est, omina, auguria, vaticinia floccipendisse. Quanquam Alexander sub extrema vita, mutatus omnino, minima quaq; in prodigium & ostentum superstitiose vertebat: & sacrificantium, expiantium, vaticinantium referta erat ejus regia, ut scribit Plutarchus in ipsius vita, prope finem.*

b) *Plinius lib. 8. c. 45. in fin. hoc notatum scribit, non fere litari, trahente se ab aris hostia, & vehementius reluctante. Quod si prorsus aufugisset, id inter prodigia fuit habitum. Sic apud Tacitum lib. 15. annal. c. 7. inter infausta Pati in Armeniam expeditionis, omina alia, refertur hostia fuga elapsa. Et Lucanus inter ostenta Pharsalicæ cladis hoc quoq; numerat, lib. 7. v. 165.*

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros.

Similia noster in Galb. c. 18. & in Tito c. 10. Cæsar tamen hoc prdoigio non impediebatur, quin cœpta peageret. Verissime quippe Seneca lib. 2. quæst. natural. c. 32. Auspicium est observantis, ad eumque pertinet, qui in ea direxerit animum: *cæteros talium incuriosos non attingit. Sic Plinius lib. 28. c. 2. scribit:* ostentorum vires in nostra potestate esse: ac prout quæq; accepta sint, ita valere: neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint. *Hæc Plinius, & variis id ibidem exemplis demonstrat.*

Verbum immolare *sacrorum est, & Festo interprete, significat*, mola, *id est, farre molito & sale, hostiam perspersam sacrare. Et hoc est, quod Seneca in Oedipo. act. 2. sc. 2.* taurorum colla salsa mola spargere *dicit: quod factum, priusquam caderentur. Hæc reputans, mirari desinet, immolandi verbum non popis aut victimariis, sed his, qui magistratu sacerdotiove publico præditi (ut hoc loco ipsimet Cæsari) aut etiam privatim domi sacra faciebant, assignari: quo aliquot exemplorum congerie demonstrat Brissonius lib. 1. de form. p. 12.*

c) *Simile, atq; adeo geminum huic exemplum est Scipionis apud Frontin. lib. 1. strategem. cap. 12. Cum enim ille, transportato in Africam exercitu, navem egrediens, prolapsus esset, & hoc infausto omine milites cerneret attonitos; id quod trepidationem afferebat, constantia & magnitudine animi in hortationem convertit: &* plaudite, *inquit,* milites: Aphricam oppressi. *Non*

absimile etiam illud Imp. Iuliani est apud Ammian. Marcellin. lib. 12. c. 4. qui cum bello Constantium lacessere vellet, & iam apud Parisios, quatiens scutum, variis motibus, more militari, exerceretur in campo: axiculis, quibus orbis erat compaginatus, in vanum excussis, ansa remanserat sola: quam retinens valida manu stringebat. Territisque, ut omine diro, præsentibus cunctis: Nemo, inquit, vereatur: habeo firmiter quod tenebam. Quo loco Marcellinus de prodigiis, ostentis, ominibus, non omnino negligendis, bene monet: cum amet benignitas Numinis, seu quod mereantur homines, seu quod tangitur eorum affectione, hic quoq; rationibus prodere quæ impendent. Esse vero boni ducis, metum quo milites ex adversis ominibus concoeperunt, dissolvere, ea prudenter eludendo, & in contrarium vertendo, Mich. Piccartus observation. dec. 10. c. 3 docet: & Frontinus eo quem dixi loco pluribus exemplis ostendit. Ad hujus porro loci pleniorem expositionem facient Sigonius lib. 2. de antiq. jur. Provinciar. c. 6. m. & Martinus de Roa, singularium lib. 6. cap. 11.

d) *Scipio Africanus superior stipendiariam fecit Carthaginem, Africæ caput: junior, funditus eam evertit. Hinc Scipio, Pompeij socer, existimabatur & ipse victor in Africa futurus adversus Cæsarem: cui proinde Cæsar alium ex Cornelia gente Scipionem opposuit.*

e) *I. Lipsius lib. 2. Elect. cap. 17.* Salacioni *legit, eamque vocem veram & aptam opprobrio censet. Libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse, & vitæ spurcæ atq; impuræ. Sic autem* Salacio *esse à* Salax, *ut* Senecio *à* Senex, *& talia. Hæc acute ille: nescio an vere. Turnebus lib. 3. adverss. cap. 22.* Salvitioni *mavult, ex manuscriptis: quæ tamen insigniter variant:* Salvitioni, Salutationi, Saluntoni, Salvitorii. *Dioni Cassio lib 42.* Salattoni. *Sed nostrum* Salutioni, *& à Plutarcho in Cæs. & à Plinio lib. 7. cap. 12. firmatur. Ex quo posteriore loco patet, non in ipso nominis etymo, quod vult Lipsius & Beroaldius, hærere probrum: sed Scipionem illum ex eo* Salutionem *dictum, quod Salutionis cujusdam mimi, mores abjectos, & fortasse similitudinem corporis, referret. Quomodo & ejusdem familiæ Scipio alius,* Serapio (*is erat suarij negotiatoris vile mancipium*) *à vultus & morum similitudine cognominatus est. Mimos porro, ludios, & gregem Comicum, apud Romanos probrosos fuisse, notius est quam ut oporteat moneri.*

CAPUT LX.

Prælia non tantum destinato, sed [a] ex occasione sume- L.
bat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum [b] speraret: [c] nec nisi

tempore

tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est, quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum umquam hostem fudit, [d] quin castris quoque exueret: [c] ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti prælio [f] equos dimittebat, & in primis suum, [g] quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

a) *Polybius lib. 9.* Valet in omnibus rebus humanis & potest occasio, sed maxime in bellicis. *Vegetius lib. cap. 26.* Occasio in bello solet amplius juvare quam virtus. *Verumtamen, monente Pericle apud Thucyd. l. 1.* Belli occasiones nihilminus quam moras dilationesque expectant. *Captandæ igitur: quia verbis Martij apud Livium lib. 25. cap. 38. f.* si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, nequicquam mox omissam quæreris.

b) *Alias* putaret. *Sed bene revocavit lectionem nostram Gruterus, ut quæ non tantum in editionibus exoletis, sed etiam in Palatinis Ferrariensibusque membranis extat. Vulgatum*, putaret, *ab iis oritur, qui* spem *&* sperare, *de bona tantum rei expectatione putant accipiendum. Atqui qualemcunque, etiam malæ rei, opinionem iis verbis significari, Græcorum imitatione, scire debebant. Sic Capitolin. in Maximin. cap. 23.* Maximinus sperans, suorum ignavia bellum trahi, duces suos in re remit. *Sic Virgilius lib. 1. Æneid.*

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At sperate Deos, memores fandi atque nefandi.

Et lib. 4. Æneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Ubi tamen Grammaticorum Latinorum præcipui, ipseque Quintilianus lib. 8. instit. orat. cap. 2. Virgilium acyrologiæ sive improprietatis accusant. Sed Virgilium, proindeque nostrum autorem, defendit Iacobus Nicolaus miscellan. epiphill. lib. 2. cap. 25. Adrem quod pertinet, bene & ex arte Imperatoria Cæsar, non speratus supervenit hostibus: quia, ut ait Livius lib. 3. c. 3. Nec opinata res plus trepidationis facit. *Sallust. Iug. cap. 88.* Improvisus, gravior accedit. *Curtius lib. 8.* Etiam capacia bonæ spei pectora, & sæpe se experta, improviso tamen pavore pertutiuntur. *Quibus assensum Vegetius:* Subita, *inquit*, conterrent hostes, usitata vilescunt. *Lib. 3. de re milit. cap. 26.*

c) *Hoc est, Explicante A. Hirtio in lib. de bello Afr. cap. 73.* tardior & consi-

consideratior erat factus Cæsar, & ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excellerat. *Quo de loco videatur H. Steph. lib. 4. schedias. 27. & præc. 26. ubi, an cunctatio illa tarditasque, vitij fuerit an prudentiæ, disquirit. Nos prudentiæ assignamus: prudens quippe ratio ejus, quam hoc loco subjicit autor, & Alexandro M. quoq; olim à militibus suis inculcata: si non militibus, vel ipse sibi parceret,* ne fortunam suam nimis onerando fatiget: *ut scribit Iustinus lib. 12. cap. 8. Et apud Livium lib. 30. c. 30. Hannibal monet*, non statuentes tandem fælicitati suæ modum, nec cohibentes efferentem se fortunam; quanto altius elati erant, eo fœdius corruere. *Pulcre Varro*:

Nemini, *inquit*, Fortuna currum carcere emissum intimo,
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Quomodo de Bruto & Cassio Vellejus Paterculus lib. 2. c. 70. Non facile, *ait*, reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut velut fatigata maturius destituerit, quam Brutum & Cassium. * *Et de Imp. Maximiliano I. Iovius lib. 1. scribit*; Eum seipso majorem fuisse, nisi Fortuna, quæ pulcherrimis juventæ cœptis adfuerat, postrema ejus consilia & novissimos conatus elusisset. *Quod ipsum de ejus nepote Carolo V. deq; summis viris aliis dici potest, quibus ex matre Fortuna tandem abiit in novercam. Vt proinde ad bellica æque ac alia munia, Plutarchi sapientissimum illud in Lucullo* cap. 80. *dictum accommodandum sit*: Esse & politici cursus finem quendam ac terminum: nec minus civilia certamina, quam athletica, vigore ac tempore destituta, vituperari ac coargui. *Quod ergo Quintilianus lib. 12. c. 11. Oratorem ætate ingravescentem monet, ut* malit desinere quam deficere; prospiciatq;, ne quid pejus quam fecerit, faciat: & antequam ætatis insidiis opprimatur, canat receptui, ac in portum integra navi perveniat: *idem, dux fortis sibi dictum putato, & illud reputato proverbium Hispanicum*: En el naype, en el dado, en la guerra, discrecion, alçar de juego con ganancia. MAURITIUS *ille* NASSOVIUS, *nemini veterum ducum, animi magnitudine, consilij solertia, bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloria secundus, annon hæc & similia, cum Iulio nostro Cæsare, animo volvere videtur? Videtur: ita famæ quasi satur, aut cum Alexandro Magno (apud Curt. 3. cap. 8.) illam ipsam Fortunam, qua aspirante res tam prospere gesserat, veritus jam diu quiescit: ut à Minutio aliquo Rufo, ipse Fabius Maximus, in hoc præsertim discrimine patriæ, videatur excitandus.*

d) *Pompejus, cum Domitium in Africa magno prælio superasset, plenam se adeptum victoriam non putavit, nedum oblatum ab exercitu nomen Imperatoris admittere voluit prius, quam hostium castra milites diripuissent. Plutarch. in apophtheg.*

e) *Hujus*

e) *Hujus præcepti neglectus multum laudis Hannibali detraxit, cum Cannensi victoria Romam ipsam ea clade consternatam non statim petiisset: sed spatium, animum recolligendi dedisset hostibus. Qua de re Ioan. Ovvenus argute, lib. 2. epigr. 119.*

Annibal in paucas fortunam distulit horas,
Non bene Romanas præmeditatus opes.
Vincere cum sciret, fortuna nescit uti
Pœnus homo, quamvis Afer, eoque Vafer.
Heu, quantum Annibali nocuit differre parato!
Servata est minima maxima Roma mora.

Quo in carmine allusum ad verba Livii lib. 22. cap. 51.

f) *Fecit hoc Cæsar collaturus signa cum Helvetiis, ubi primo suum, deinde omnium equos è conspectu removit, ut æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret. sicuti, præter Plutarchum in ejus vita, refert ipse lib. 1. de bello Gallico, c. 25. Idemque ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum abduci è conspectu suo jussit, & in primam aciem pedes prosilit: ut præter alios refert Frontinus l. 2. strategem. c. 8. Ejus rei etiam aliquot exempla sunt apud Livium, ut lib. IV, 38. XXIX, 2. XXXIX, 31. Similia de Agricola socero suo memorat Tacitus in libello de vita ejus, cap 35. & de Spartaco Plutarchus in Crasso: & de Catilina Sallustius in Catil. sub finem. Sed & Ammianum Marcellinum lib. 16. cap. 29. Alemannorum peditum fremitus indignatione mixtus auditur, vociferantium, relictis equis, secum debere versari reges, ne, si quid contigisset adversum, desertam miserabili plebe, facilem discedendi copiam reperirent.*

g) *Ea ipsa causa Rex Agathocles, in Africa, suas naves universas incendi jussit: ut auxilio fugæ ablato, non aliam nisi in victoria spem haberent milites: ut scribit Iustinus lib. 22. cap. 6. Cujusmodi facinus etiam Hannibalis illius Belgici, quem supra dixi, celebratur. Quippe norant, vere dictum à Floro, l. 3. cap. 3.* Necessitate aucta virtus, causa victoriæ est. *Et à Val. Max. lib. 2. c. 7.* Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum, Necessitas, *Et à Virgilio, 2. Æn.*

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et à Dionysio Halicarnassæo, lib. 8. Vehemens res est, Necessitas: & extremum periculum satis est ad indendam audaciam, si cui non est innata. *Et à Vegetio lib. 3. cap. 25.* clausis ex desperatione crescit audacia: & cum spei nihil est, sumit arma formido. *Et à Seneca, lib. 1. de ira, cap. 13.* Aliquoties metus è contrario fecit audaciam: & mortis timor etiam inertissimos excitavit in prælium. *Quod idem autor lib. 2. natural. quæst. cap. 59.*

diffusius

Catonis Vticensis laudatio continetur. Horum Anticatonum meminere Cicero ad Attic. lib. 12. epist. 40. p. & 41. f. Quintilian. lib. 3. c. 7. f. Iuvenal. satyr. 6. v. 339. Plin. lib. 3. epist. 12. & Tacit. 4. A. 34. & alicubi Priscianus. Caterum Anticatonis vocem Quintilianus lib. 1. instit. orat. cap. 5. f. dictionem facit bigenerem, & ut sic dicamus, hybridam, quippe ex Græco & Romano sermone compositam: de quod genus vocabulis Radulph. Fornerius lib. 5. rer. quotid. cap. 2. & Rodolph. Goclenius lib. 3. problem. Grammat. problem. 29.

q) Itinerarium *vulgo, quod Græcis* hodœporicon. *Cujusmodi, præter hoc Cæsaris, alia plura, scripta sunt à veteribus. Sic Vlpij Trajani Dacica itinera à seipso, quorum apud Priscianum mentio: & Alexandri Severi, ab Acolio, qui ei à memoria erat, sunt mandata literis. Extant & Antonini profectiones per varias orbis terrarum partes. Ita Brundusinum suum è Roma excursum Horatius, & navigationem in Miletum Ovidius descripsere. Firmianus Hodœporicon de Africa Nicomediam usq; hexametris edidit versibus. Quorum institutum ævo nostro multi cum Principes viri, tum alij, & in his Leonh. Rauvolfius, cum fructu publico sunt imitati.*

r) *De analogia duos. Mirum, id eum potuisse, in mediis istis bellorum turbis. Nimirum* antiquorum ducum dextera solebat non minus stylum tractare, quam gladium, *ait Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 17. Quomodo Scipio, semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Vell. Paterc. lib. 1. cap. 13.*

s) *Anticatones.*

t) *Iter.*

u) *Bæticam.*

x) *Strabonis & Appiani autoritate nixus Casaub. hunc numerum ponit: cum mss. codd. omnes habeant IV. & XX.*

y) *In forma patente, ut vulgo loquimur: prout etiam hodie scribuntur epistolæ Sed Cæsar compaginavit, ut libelli memorialis usum præstare possent. De epistolis, quas impp. ducesq; miserunt ad Senatum, vide Brisson. formul. lib. 8. pag. 854. & seq.*

z) *Hinc lucem accipient Noctes Agellij, lib. 17. cap. 9. pr. Porro cui hæc & talia cura, legat oportet steganographian Tritemij, & Ioan. Baptist. Portam de furtivis litterarum notis. Eo tamen pervenit hominum solertia, ut nullum tam arcanum sit illorum autorum artificium, quod non indagari & aperiri queat. Vt autem lectori, opera mihi navata pretium constet, scribendi rationem occul-*

tissimam

tissimam eum docebo, quam ipse didici ex Ioan. Brodæi miscellan. lib. 4. cap. 9. f. Fenestratam perforatamq; variis in locis superinductam chartam adhibeas, ac inanitatem sermonibus quasi ad rem facientibus impleas: &c. Qua una via, quamlibet subtilis ingeniorum industria, tota concidat ac jaceat necesse est.

aa) *Traduntur.*

bb) *Et à Puero Torentius indicat in duobus codd. abesse. nec abest incommode.*

cc) ὑπομνήματα τῶν ἀποφθεγμάτων λεγομένων *vocat Aristoteles lib. 1. politicor. cap. 11. (al. 7.) & Laertius in Thalete. Sunt hæc ipsa, quorum Cicero lib. 9. ad familiar. epist. 16. m. Apophthegmatum titulo meminit. Nec obstat, quod Torrentius diversa putat: cum illa à Cæsare adolescente, hæc viro confecta sint. Iam enim in adolescentia apophthegmata illa collegisse potest, atq; adeo collegit: ætate vero maturior, alia subinde aliaq; (ut est ea res infinita) prioribus adjecit. Nec aliud à Ciceronis isto loco colligitur. Inspice.*

dd) *Publice edi, divulgari.*

CAPUT LVII.

1. ARmorum & [a] equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine, nonnunquam equo, sæpius pe-
2. dibus, anteibat, [b] capite detecto, seu sol, seu imber esset. Longissimas vias [c] incredibili celeritate confecit, [d] expeditus, [e] meritoria rheda, [f] centena passuum millia in singulos dies: si flumina morarentur, [g] nando trajiciens, vel [h] inmixus inflatis utribus, ut persæpe nuntios de se prævenerit.

a) *Cleophantus Themistoclis filium,* ἱππικὸς ἄριστος, τὰ ἄλλα δ' ἰδιώτης ἄριστος optimus eques, cætera iners erat, *ut notat ex Platonis Menone Plutarchus in vita Themistoclis. In Cæsare, præter insignem equitandi peritiam quanto plura inerant alia? Fas sit optare, ut eadem ista, quæ hoc & sequentibus aliquot tmematis de Cæsare prædicat autor, in iis item deprehendantur, quibus Atlantibus hodie salus patriæ ac libertas innititur. Nam, quod vere, sed verecunde dico, per nescio quos cincinnatulos & comptulos, delicatuloſq;, &, quod caput est,* ἄνους χρημάτων, *non stabit, quin pessum eamus.*

b) *Ita Silius Italicus lib. 1. Punicor. Annibalem, ait,*

----vertice nudo
Excipere insanos imbres, cæliq; ruinam.

Ita Ma-

Ita Masinissam Numidiæ Regem ab hac firmitudine commendat Cicero in de Senect. quod nonagintà annos natus, nullo imbre, nullo frigore adduci potuerit, ut capite operto esset. Quale quid de Hadriano Spartianus, & de Severo Herodianus, & de Catone Vticensi Plutarchus, in eorum vitis memorant. Adde quæ dicta supra cap. 45. 4. b.

c) *Cæsar, Alexandri Magni laudum æmulus, ut supra cap. 7. traditum, eum hac quoq; re fuit imitatus. De quo Curtius lib. 6.* Nullam, *inquit*, virtutem Regis istius magis, quam celeritatem laudaverim. *Idem, quo pacto, tantillo tempore tanta gessisset, interrogatus, respondit,* μηδὲν ἀναβαλλόμενον, nihil procrastinando *Quomodo Cæsarem quoq; Dio Cassius sub finem libri 42. in omnibus negotiis celeritate atq; improvisis expeditionibus plurimum consecutum esse scribit: neq; ullam aliam causam fuisse, cur omnes ea tempestate duces tantum rei bellicæ gloria præcellnerit. Eo laudis nunquam evadent, qui quod de Fabio Valente Tacitus habet lib. 3. Histor, cap. 40.* inutili cunctatione, agendi tempora deliberando consumunt: *&, ut ibidem cap. 50. dicitur,* dies rerum, verbis terunt. *Id vitij priscis quoq; Germanis Tacitus tribuit in libello de morib. Germ. cap. 11. & ætate nostra tantum crevisse Th. Zwingerus in theat. pag. 3837. scribit, ut nobis velut in proverbium abierit:* Wir wollen lugen. *Hinc tot isti cætus, quos dietas vocant: &, quod pejus, ista turpis & fœda sententiarum decretorumq; vacillatio. Vnde Carolus V. Imperator haud inscite Germanorum conventus viperis assimilavit: quia, ut istæ suas matres tollunt; sic illorum posterioribus decretis tolluntur priora.*

d) *Nullis impedimentis oneratus.*

e) *Precio conducta. Sic apud autorem nostrum in Calig. c. 39.* meritorium vehiculum: *& in Vitellio:* meritorium cænaculum, *pro ablocaticio diversorio.*

f) *Centena milliaria: quorum si quaterna, ut volunt, singula Germanica confluunt; iter diurnum Cæsaris, 25. nostratium milliarium fuerit oportet.*

g) *Ars utilissima, qua nescio quam benè morosi quidam Orbilij, & parentes intempestive solliciti, suis interdicunt. Ea de plura dicentur in Aug. cap. 64.*

f) *Testante L. Floro lib. 3. c. 5.* Luculli nuntius per medias hostium naves, utre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix, evaserat. *Hoc utrium natatoriorum antiquissimum inventum auxit nostri sæculi solertia. Nam ante annos non ita multos Franciscus Kessler, artificiosi hujusmodi cinguli, adhæc caligarum, quæ inflatæ medium plus hominem supra aquas extantem, & subjecto pedibus plumbo, aptatisq; pinnis,*

iter ad-

iter adgubernantem sustineant, delineationem descriptionemq; popvlari lingua vulgavit. Nisi forte hic illud Livij locum habet: Pleraque nova commenta mortalium, in verbis vim habent extemplo: cum agi, non, quemadmodum agantur, edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt. *Lib. 44. cap. 14.*

CAPUT LIIX.

1. In obeundis expeditionibus, dubium[a] cautior an au-
2. dentior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi[b] perspeculatus locorum situs: neq; in Britanniam transvexit, nisi ante[c] per se portus, & navigationem, & acces-
3. sum ad insulam explorasset. At idem[d] obsessione castrorum in Germania nunciata, per stationes hostium Gallico habitu
4. penetravit ad suos. A[e] Brundisio[f] Dyrrachium inter oppo-
5. sitas classes hieme transmisit. Cessantibusque copiis, quas subsequi insserat, cum ad g arcessendas frustra sepe misisset, novissime ipse clam noctu[h] parvulum navigium[i] solus[k] obvoluto capite conscendit: neque aut, quis esset, ante detexit: aut[l] gubernatorem cedere adversæ tempestati passus est, quam pæne obrutus fluctibus.

a) *Vulgati*, cautiorne. *Sed hoc nostrum elegantius est, & fere Tacitus ita loquitur. Bella copula virtutum non ita sæpe junctarum. Nam alias, ut ait Livius lib. 37. cap* 12. Cautiores sunt duces, quo minus animi est.

b) *Malim*, præspeculatus. *Congrue hoc ad istud præceptum Onosandri cap. 6.* præmittat Imperator etiam equites scrutandis exploranditque viis: maxime cum sylvæ penetrandæ, aut circumseptæ collibus solitudines pervadendæ. Sæpenumero enim struuntur ab hostibus insidiæ, quæ si adversarios fallant, rem eorum universam perimunt opprimuntque: si vero subtili ducis diligentia detegantur; maximum prudentiæ argumentum hostium imperatori exhibent. *Hæc strategicus ille doctor.*

c) *Fides historica*, per suos, *scribere jubet. Nec enim ipse Cæsar ista præspeculatus est: sed C. Volusenum cum longa navi, exploratum loca, præmisit in Britanniam: sicut ipse scribit lib. 4. de bello Gall. cap. 21. Possit tamen ex scito Iurisconsultorum affirmari, Cæsarem per se egisse videri, quod mandato ipsius legatus.*

d) *Cum Q. Cicero, Marci frater, legatus Cæsaris, obsideretur: & omnia*

Cæsaris hyberna, communi Gallorum conspiratione oppugnarentur. Qua de re Cæsar ipse lib. 5. bell. Gall. cap. 39. & seqq.

e. f.) *De utraq; urbe supra cap. 34. 1. g. & cap. 36. 2. a. Trajectus his ex Italia in Græciam longior, at tutior: brevissimus autem ab Hydrunte Apolloniam.*

g) *Advocandas Brundisio Dyrrachium, & pugnaturas contra Pompejum.*

h) *Florus lib. 4. c 2. §. 5.* speculatorium navigium *vocat. Ammianus lib. 16. idem narrans, ait,* lenunculo *se commisisse* piscantis. *Plutarch. in Cæs. p. 726. c. duodecim scalmorum magnitudine navem ait fuisse.*

i) *Quomodo & Lucanus lib. 5. v. 509.*

---- cunctisque relictis,
Sola placet fortuna comes. ----

Nam quod Appianus lib. 2. de bell. civil. pag. 463. cum tribus cum servis ad navem venisse scribit, illi non una conscenderunt.

k) *Plutarchus addit, servili; Appianus, privati hominis veste tectum fuisse. Erant enim hostes in proximo fallendi.*

l) *Amyclas nomen huic gubernatori fuit, ut prodidit Lucanus d. lib. 5. v. 520. quo loco luculenta planeq; graphica totius rei descriptio est: ut & in cæteris autoribus, quos modo laudavimus. Memorabile est, quod ex Plutarcho, ut solet, Appianus refert: cum iste gubernator, tempestatis vi superatus retrocedere statuisset, Cæsarem retecto capite exclamasse:* perge audacter: Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην: Cæsarem vehis, Cæsarisque fortunam. *Et mox subjicit:* multo plus fortunæ suæ Cæsarem, quam consiliis esse fisum. *Adeo verum Ciceronis illud est pro L. Manilia:* fuisse quibusdam summis viris, quandam, ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, divinitus adjunctam fortunam. *Recte,* divinitus: *id q; astrorum influxu fieri, in ipsa, si dabitur occasio, αὐτοψίᾳ malumus colloquendo quam scribendo explicare.*

CAPUT LIX.

[a] Ne religione quidem ulla à quoquam incepto absterritus umquam vel retardatus est. [b] Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam non 1. 2.
distulit. [c] Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, *Teneo te,* inquit, *Africa.* Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia fataliter [d] Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Cor- 3. 4.

nelio-

neliorum genere, cui ad opprobrium vitæ, c Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.

a) *Vt alias, ita hic iterum apparet, recte dixisse Vell. Paterculum lib. 2. c. 41.* Cæsarem Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, similimum fuisse. *Eam similitudinem & comparationem Appianus extremo libro 2. de bellis civilibus copiose exequitur: & utrumq; ait fuisse* contemptorem religionum, *hoc est, omina, auguria, vaticinia sloccipendisse. Quanquam Alexander sub extrema vita, mutatus omnino, minima quaq; in prodigium & ostentum superstitiose vertebat: & sacrificantium, expiantium, vaticinantium referta erat ejus regia, ut scribit Plutarchus in ipsius vita, prope finem.*

b) *Plinius lib. 8. c. 45. in fin. hoc notatum scribit, non fere litari, trahente se ab aris hostia, & vehementius reluctante. Quod si prorsus aufugisset, id inter prodigia fuit habitum. Sic apud Tacitum lib. 15. annal. c. 7. inter infausta Pati in Armeniam expeditionis, omina alia, refertur hostia fuga elapsa. Et Lucanus inter ostenta Pharsalicæ cladis hoc quoq; numerat, lib. 7. v. 165.*

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros.

Similia noster in Galb. c. 18. & in Tito c. 10. Cæsar tamen hoc prodigio non impediebatur; quin cœpta peageret. Verissime quippe Seneca lib. 2. quæst. natural. c. 32. Auspicium est observantis, ad eumque pertinet, qui in ea direxerit animum: *cæteros talium incuriosos non attingit. Sic Plinius lib. 28. c. 2. scribit:* ostentorum vires in nostra potestate esse: ac prout quæq; accepta sint, ita valere: neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint. *Hæc Plinius, & variis id ibidem exemplis demonstrat.*

Verbum immolare *sacrorum est, & Festo interprete, significat*, mola, *id est, farre molito & sale, hostiam perspersum sacrare. Et hoc est, quod Seneca in Oedipo. act. 2. sc. 2.* taurorum colla salsa mola spargere *dicit: quod factum priusquam caderentur. Hæc reputans, mirari desinet, immolandi verbum non popisse aut victimariis, sed his, qui magistratu sacerdotiove publico præditi (ut hoc loco ipsimet Cæsari) aut etiam privatim domi sacra faciebant, assignari: quo aliquot exemplorum congerie demonstrat Brissonius lib. 1. de form. p. 12.*

c) *Simile, atq; adeo geminum huic exemplum est Scipionis apud Frontin. lib. 1. strategem. cap. 12. Cum enim ille, transportato in Africam exercitu, navem egrediens, prolapsus esset, & hoc infausto omine milites cerneret attonitos: id quod trepidationem afferebat, constantia & magnitudine animi in hortationem convertit: &* plaudite, *inquit,* milites: Aphricam oppressi. *Non*

absimile etiam illud Imp. Iuliani est apud Ammian. Marcellin. lib. 12. c. 4. qui cum bello Constantium lacessere vellet, & iam apud Parisios, quatiens scutum, variis motibus, more militari, exerceretur in campo: axiculis, quibus orbis erat compaginatus, in vanum excussis, ansa remanserat sola: quam retinens valida manu stringebat. Territisque, ut omine diro, præsentibus cunctis: Nemo, inquit, vereatur: habeo firmiter quod tenebam. Quo loco Marcellinus de prodigiis, ostentis, ominibus, non omnino negligendis, bene monet: cum amet benignitas Numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoq; rationibus prodere quæ impendent. Esse vero boni ducis, metum quo milites ex adversis ominibus conciderunt, dissolvere, ea prudenter eludendo, & in contrarium vertendo, Mich. Piccartus observation. dec. 10. c. 3 docet: & Frontinus eo quem dixi loco pluribus exemplis ostendit. Adhujus porro loci pleniorem expositionem facient Sigonius lib. 2. de antiq. jur. Provinciar. c. 6. m. & Martinus de Roa, singularium lib. 6. cap. 11.

d) *Scipio Africanus superior stipendiariam fecit Carthaginem, Africæ caput: junior, funditus eam evertit. Hinc Scipio, Pompeij socer, existimabatur & ipse victor in Africa futurus adversus Cæsarem: cui proinde Cæsar alium ex Cornelia gente Scipionem opposuit.*

e) *I. Lipsius lib. 2. Elect. cap. 17.* Salacioni *legit, eamque vocem veram & aptam opprobrio censet. Libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse, & vitæ spurcæ atq; impuræ. Sic autem* Salatio *esse à* Salax, *ut* Senecio *à* Senex, *& talia. Hæc acute ille: nescio an vere. Turnebus lib. 3. adverss. cap. 22.* Salvitioni *mavult, ex manuscriptis: quæ tamen insigniter variant:* Salvitioni, Salutationi, Saluntoni, Salvitorii. *Dioni Cassio lib 42.* Salattoni. *Sed nostrum* Salutioni, *& à Plutarcho in Cæs. & à Plinio lib. 7. cap. 12. firmatur. Ex quo posteriore loco patet, non in ipso nominis etymo, quod vult Lipsius & Beroaldus, hærere probrum: sed Scipionem illum ex eo* Salutionem *dictum, quod Salutionis cujusdam mimi, mores abjectos, & fortasse similitudinem corporis, referret. Quomodo & ejusdem familiæ Scipio alius,* Serapio *(is erat suarij negotiatoris vile mancipium) à vultus & morum similitudine cognominatus est. Mimos porro, ludios, & gregem Comicum, apud Romanos probrosos fuisse, notius est quam ut oporteat moneri.*

CAPUT LX.

Prælia non tantum destinato, sed [a] ex occasione sume- [a]
bat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum [b] speraret: [c] nec nisi

tempore

tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est, quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum umquam hostem fudit, [d] quin castris quoque exueret: [c] ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti prælio [f] equos dimittebat, & in primis suum, [g] quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

a) *Polybius lib. 9.* Valet in omnibus rebus humanis & potest occasio, sed maxime in bellicis. *Vegetius lib. cap. 26.* Occasio in bello solet amplius juvare quam virtus. *Verumtamen, monente Pericle apud Thucyd. l. 1.* Belli occasiones nihilminus quam moras dilationesque expectant. *Capta ergo: quia verbis Martij apud Livium lib. 25. cap. 38. f.* si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, nequicquam mox omissam quæres.

b) *Alias* putaret. *Sed bene revocavit lectionem nostram Gruterus, ut quæ non tantum in editionibus exoletis, sed etiam in Palatinis Ferrariensibusque membranis extat. Vulgatum,* putaret, *ab iis oritur, qui* spem *&* sperare, *de bona tantum rei expectatione putant accipiendum. Atqui qualemcunque, etiam malæ rei, opinionem iis verbis significari, Græcorum imitatione, scire debebant. Sic Capitolin. in Maximin. cap. 23.* Maximinus sperans, suorum ignavia bellum trahi, duces suos in re remit. *Sic Virgilius lib. 1. Æneid.*

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At sperate Deos, memores fandi atque nefandi.

Et lib. 4. Æneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Ubi tamen Grammaticorum Latinorum præcipui, ipseque Quintilianus lib. 8. instit. orat. cap. 2. Virgilium acyrologiæ sive improprietatis accusant. Sed Virgilium, proindeq; nostrum autorem, defendit Iacobus Nicolaus miscellan. epiphill. lib. 2. cap. 23. Ad rem quod pertinet, bene & ex arte Imperatoria Cæsar, non speratus supervenit hostibus: quia, ut ait Livius lib. 3. c. 3. Nec opinata res plus trepidationis facit. *Sallust. Iug. cap. 88.* Improvisus, gravior accedit. *Curtius lib. 8.* Etiam capacia bonæ spei pectora, & sæpe se experta, improviso tamen pavore pertutiuntur. *Quibus assensum Vegetius:* Subita, *inquit,* conterrent hostes, usitata vilescunt. *Lib. 3. de re milit. cap. 26.*

c) *Hoc est, Explicante A. Hirtio in lib. de bello Afr. cap. 73.* tardior & consi-

consideratior erat factus Cæsar, & expristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. *Quo de loco videatur H. Steph. lib. 4. schediasm. 27. & prec. 26. ubi, an cunctatio illa tarditasque, vitij fuerit an prudentiæ, disquirit. Nos prudentiæ assignamus: prudens quippe ratio ejus, quam hoc loco subjicit autor, & Alexandro M. quo olim à militibus suis inculcata: si non militibus, vel ipse sibi parceret,* ne fortunam suam nimis onerando fatiget: *ut scribit Iustinus lib. 12. cap. 8. Et apud Livium lib. 30. c. 30. Hannibal monet*, non statuentes tandem felicitati suæ modum, nec cohibentes efferentem se fortunam; quanto altius elati erant, eo fœdius corruere. *Pulcre Varro*:

Nemini, *inquit*, Fortuna currum carcere emissum intimo,
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Quomodo de Bruto & Cassio Velleius Paterculus lib. 2. c. 70. Non facile, *ait*, repetias, quos aut promior fortuna comitata sit, aut velut fatigata maturius destituerit, quam Brutum & Cassium. [d] *Et de Imp. Maximiliano I. Iovius lib. 1. scribit*; Eum seipso majorem fuisse, nisi Fortuna, quæ pulcherrimis juventæ cœptis adfuerat, postrema ejus consilia & novissimos conatus elusisset. *Quod ipsum de ejus nepote Carolo V. deq; summis viris aliis dici potest, quibus ex matre Fortuna tandem abiit in novercam. Ut proinde ad bellica æque ac alia munia, Plutarchi sapientissimum illud in Lucullo* cap. 80. *dictum accommodandum sit*: Esse & politici cursus finem quendam ac terminum: nec minus civilia certamina, quam athletica, vigore ac tempore destituta, vituperari ac coargui. *Quod ergo Quintilianus lib. 12. c. 11. Oratorem ætate ingravescentem monet, ut* malit desinere quam deficere; prospiciatq;, ne quid pejus quam fecerit, faciat: & antequam ætatis insidiis opprimatur, canat receptui, ac in portum integra navi perveniat: *idem, dux fortis sibi dictum putato, & illud reputato proverbium Hispanicum*: En el naype, en el dado, en la guerra, discrecion, alçar de juego con ganancia. MAURITIUS *ille* NASSOVIUS, *nemini veterum ducum, animi magnitudine, consilij solertia, bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloria secundus, annon hæc & similia, cum Iulio nostro Cæsare, animo volvere videtur? Videtur: ita famæ quasi satur, aut cum Alexandro Magno (apud Curt. 3. cap. 8.) illam ipsam Fortunam, qua aspirante res tam prospere gesserat, veritus jam diu quiescit: ut à Minutio aliquo Rufo, ipse Fabius Maximus, in hoc præsertim discrimine patriæ, videatur excitandus.*

d) *Pompejus, cum Domitium in Africa magno prælio superasset, plenam se adeptum victoriam non putavit, nedum oblatum ab exercitu nomen Imperatorium admittere voluit prius, quam hostium castra milites diripuissent. Plutarch. in apophtheg.*

e) *Hujus*

e) *Hujus præcepti neglectus multum laudis Hannibali detraxit, cum Cannensi victoria Romam ipsam ea clade consternatam non statim petiisset: sed spatium, animum recolligendi dedisset hostibus. Qua de re Ioan. Ovvenus argute, lib. 2. epigr. 119.*

Annibal in paucas fortunam distulit horas,
Non bene Romanas præmeditatus opes.
Vincere cum sciret, fortuna nescit uti
Pœnus homo, quamvis Afer, eoque Vafer.
Heu, quantum Annibali nocuit differre parato!
Servata est minima maxima Roma mora.

Quo in carmine allusum ad verba Livii lib. 22. cap. 51.

f) *Fecit hoc Cæsar collaturus signa cum Helvetiis, ubi primo suum, deinde omnium equos è conspectu removit, ut æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret. sicuti, præter Plutarchum in ejus vita, refert ipse lib. 1. de bello Gallico, c. 25. Idemque ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum abduci è conspectu suo jussit, & in primam aciem pedes prosilit: ut præter alios refert Frontinus l. 2. strategem. c. 8. Ejus rei etiam aliquot exempla sunt apud Livium, ut lib. IV, 38. XXIX, 2. XXXIX, 31. Similia de Agricola socero suo memorat Tacitus in libello de vita ejus, cap 35. & de Spartaco Plutarchus in Crasso: & de Catilina Sallustius in Catil. sub finem. Sed & Ammianum Marcellinum lib. 16. cap. 29. Alemannorum peditum fremitus indignatione mixtus auditur, vociferantium, relictis equis, secum debere versari regales, ne, si quid contigisset adversum, desertæ miserabili plebe, facilem discedendi copiam reperirent.*

g) *Ea ipsa causa Rex Agathocles, in Africa, suas naves universas incendi jussit: ut auxilio fugæ ablato, non aliam nisi in victoria spem haberent milites: ut scribit Iustinus lib. 22. cap. 6. Cujusmodi facinus etiam Hannibalis illius Belgici, quem supra dixi, celebratur. Quippe norant, vere dictum à Floro, l. 3. cap. 3.* Necessitate aucta virtus, causa victoriæ est. *Et à Val. Max. lib. 2. c. 7.* Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum, Necessitas, *Et à Virgilio, 2. Æn.*

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et à Dionysio Halicarnassæo, lib. 8. Vehemens res est, Necessitas: & extremum periculum satis est ad indendam audaciam, si cui non est innata. *Et à Vegetio lib. 3. cap. 25.* clausis ex desperatione crescit audacia: & cum spei nihil est, sumit arma formido. *Et à Seneca, lib. 1. de ira, cap. 13.* Aliquoties metus è contrario fecit audaciam: & mortis timor etiam inertissimos excitavit in prælium. *Quod idem autor lib. 2. natural. quæst. cap. 59.*

diffusius

diffusius explicans: Animus, *inquit*, ex ipsa desperatione sumitur. Ignavissima animalia, quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corrigimur. Maiora aut certe paria conatur animus magnis, ac perditus. *Quid ergo? perditi homines erunt illi, qui necessitate pugnant: tantum abest, ut magni, ut fortes? Ita Seneca: ita doctores ethici. Nos tamen exercitij causa, neq; his talibus veræ fortitudinis laudem omnibus abrogandam, ostendere conabimur.*

CAPUT LXI.

Utebatur autem [a] equo insigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum ungulis fissis: quem natum apud se, cum haruspices [b] imperium orbis terræ significare domino [c] pronunciassent, magna cura aluit: nec patientem sessoris alterius, primus adscendit: cujus etiam [d] instar [e] pro æde Veneris [f] Genitricis postea dedicavit. 1.

a) *De quo & Plinius lib. 8. cap. 42. pr. & Solinus Polyhist. cap. 57. Uterq; autor de Bucephalo Alexandri narrationem huic conjungit: ut ea quoq; re similitudinem, quam diximus, hujus utriusq; Semonis observare liceat.*

b) *Vel hinc apparet, Iulium Cæsarem inter Imperatores Romanos supremum locum tenere: contra quam alij primas Augusto tribuunt. Quomodo Freculphus lib. 2. Chronicor. ex Oroſio 7, 2. Iulium Cæsarem* Metatorem *potius fuisse* Imperii, *quo postea Augustus potitus est, quam* Imperatorem, *scribit. Sed amplius hac de re infra cap. 76. 2. e. vide & Freher. in Andlo. pag. 8. pr.*

c) Pronunciare, *verbum ex Haruspicum disciplina, de quo Brisson. l. 1. form. pag. 140. m.*

d) Instar, *non Adverbium, quod vulgus Grammaticorum putat, sed nomen indeclinabile esse, vel hinc discamus licet. Sic Liv. 28. c. 17.* Receptæ Hispaniæ, parvum instar eorum quæ spe concepisset. *Iustinus l. 18. c 5.* Carthago confluentibus vicinis, ex frequentia hominum, velut instar civitatis effectum est. *Ovidius Heroid. epist. 2.*

Sed scelus hoc, meriti pondus & instar habet.

Virgil. lib. 6.

—— quantum instar in ipso est?

Hujus de vocis usu significationeq; non pauca Io. Iovian. Pontanus in Actio dial.

longius

longius à princip. Hoc loco significat effigiem consimilem, *& ipsi equo Cæsaris magnitudine parem. Cæterum de honore equis post mortem habito quædam Phil. Camerar. centur. 1. cap. 21.*

e) *Hoc est, ante ædem. Notavi quædam ad Aug. 26, 4. p. quæ huc transferantur.*

f) *De hoc & aliis cognominibus Veneris, adi Brisson. lib. 1. formul. pag. 56. pr. Cæsarem ortum à Venere, dixit autor cap. 6.*

CAPUT LXII.

1. Inclinatam aciem solus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinensque singulos, & contortis faucibus convertens in hostem: & quidem adeo plerumque trepidos, ut [a] aquilifer moranti cuspide sit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit signum.

a) *Palatini & alij,* aquilifero: *male, ut notavit Egnatius. De aquila, cæterisque militiæ Romanæ signis, exacte, ut omnia, Lipsius lib. 4. de Milit. Rom. dial. 5. ex quo simul patebit, hic memoratam* cuspidem *qua aquilifer Cæsari* moranti, *seu detinenti se, minatus est, fuisse hastilis, quo aquila gestatur, partem posteriorem mucronatam, qua terræ infigitur. Plutarchus in Cæs. & ex eo Appianus lib. 2. bell. civil. pag. 466. d. tradunt, ad Dyrrachium hoc accidisse, cum Cæsar à Pompejo vinceretur: addunt, eundem aquilíferum à satellitibus Cæsaris statim occisum fuisse. De alio aquilifero, quem fugientem Cæsar, faucibus comprehensum in contrariam partem detraxit, & hostem ostendens,* Quorsum tu, *inquit,* abis? illic sunt cum quibus dimicandum est; *videndus Valerius Maximus, lib. 3. cap. 2. exemplo 19.*

CAPUT LXIII.

1. Non minora illa constantiæ ejus, [a] immo majora etiam, indicia fuerunt: [b] Post aciem Pharsalicam, cum præmissis in Asiam copiis, per angustias [c] Hellesponti, [d] vectoria navicula trajiceret, [e] L. Cassium partis [f] adversæ, cum decem & rostratis navibus obvium sibi, neque refugit: & cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus, supplicem ad se recepit.

a) *Torrentius totum hoc,* immo majora etiam, *existimat adulterinum esse. Certe supervacuum esse, negari nequit. Similia tamen tam crebro in hoc autore occurrunt, ut nihil temere pronunciandum sit.*

b) *Victo ad Phrasalum, oppidum Thessaliæ, Pompejo.*

c) Hellespontus *ita vocatus, quod in eo ponto Helle virgo, Athamantis filia, submersa perierit. Fretum angustum est inter Ægæum mare & Propontidem, Asiam ab Europa dirimens; inter Sestum & Abydum oppida, duorum, auctore Polybio, Plinio vero, septem stadiorum, latitudine.* Hodie Stretto di Gallipoli *ab Italis: à Gallis* Bras de S. George *dictum.*

d) *Torrentius retinet, quod erat in plerisque,* victor nav. tr. *Victoria enim, inquit, addebat animum. Et cum naviculam dicit, satis intelligimus, vectoriam fuisse. Sed vincant illi magni Critici, Turnebus (adverss. 24. c. 14.) Cruterus. Casaubonus (ad hunc uterque locum) & qui proiis codices, Dionis etiam autoritate firmati (lib. 42. pag. 211. e.) Nam ut victoria animum addat; non sequitur ideo, aliquem se in periculum conjicere exitii præsentanei, quod ei inferri poterat vel a pirata vilissimo. Grut.*

e) *Sic manuscripti omnes: sic Dio quoque (lib. 42. pag. 212. a.) Dionis tamen interpres Xylander ibi* Cajum Cassium *vertit, non* Lucium, *& erratum in pronomine putat: quem sequitur hoc loco Casaub. Nam Cassius hic idem fuit, qui postea Cæsarem occidit. Et vero Cajo fuisse prænomen, præter alios ipse Noster infra cap. 80. confirmat. Et quid mirum, si Dionem atq; Suetonium, è flumine Lethes attigisse guttam, hoc est, homines fuisse, largiamur?*

f) *Pompejana.*

g) *Æneo rostro in prora munitis. Videndus Laz. Baysius de re navali, pag. 68. 69.*

CAPUT LXIV.

[a] Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione I. hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem [b] præcipitantibus cum desiliisset in mare, nando per CC. passus, evasit ad proximum navem, elata læva, ne libelli quos tenebat, madefierent: [c] paludamentum [d] mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.

a) *Quæ urbs Ægypti est, non longe à Nili ostio: ab Alexandro conditore sic dicta: & à Diodoro Siculo lib. 17. Biblioth. copiosè descripta. Bellum Alexandrinum peculiari libro exsequitur A. Hirtius: & de hoc quidem Cæsaris periculo cap. 21. agit.*

b) *Irruentibus. Est enim hic* præcipitare *neutraliter & absolute positum. Vt Lucret. 2.* Pondera præcipitant ex supero, *h. e. præcipitanter ruunt.*

c) *Chlamy-*

c) *Chlamydem ſuam imperatoriam. Lazarus Bayfius de re veſtiaria c.* 11. *conſulendus. & præcipue Lipſius de mil. Rom.* 2, 12.

d) *Morſu & dentibus. Plutarchus tamen in Cæſ. Appianus lib.* 2 *bell. civil. à Noſtro diverſi, ſcribunt, Alexandrinos ereptam Cæſari veſtem, ad trophæum, quod fugæ illius monumentum erexerant, ſuſpendiſſe.*

CAPUT LXV.

1. Militem neque [a] à moribus, neque [b] à fortuna probabat, ſed tantum viribus: tractabatque [c] pari ſeveritate atque
2. indulgentia. Non enim ubique ac ſemper, ſed cum hoſtis in proximo eſſet, coërcebat: tum maxime exactor graviſſimus diſciplinæ, ut neque itineris, neque prælii tempus denuncia-
ret: ſed [d] paratum & intentum momentis omnibus, quo vel-
3. let, ſubito educeret. Quod etiam ſine cauſa plerumque faciebat, præcipue [e] pluviis & feſtis diebus: ac ſubinde obſervandum ſe admonens, repente interdiu vel nocte ſubtrahebat: augebatque iter, ut ſerius ſubſequentes defatigaret.

a) *Videri queat vel ipſe Cæſar falſi Suetonium arguere. Nam lib.* 7. *de bello Gal. cap.* 52 *f. profitetur*, non minus ſe in milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderare. *Sane Titus Imperator apud Egeſippum lib.* 5. *cap.* 24. *in exercitu Romano non ſolum virtutem corporis, ſed etiam mentis requiri dicit: nec tantummodo fortitudinem in hoſtem, ſed etiam diſciplinæ normam ſpectari! ne crudelis, ne impius, ne inſolens miles ſit. Quin & Vegetius lib.* 1. *de re militari cap.* 7. Hoc eſt, *inquit*, in quo totius Reipub. ſalus vertitur, ut tyrones non tantum corporibus, ſed etiam animis præſtantiſſimi diligantur. Honeſtas enim idoneum militem reddit. Verecundia, dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. *Quam ipſam nutriculam virtutum omnium* Verecundiam, *apud Thucydidem lib.* 5. *magnanimus ille Braſidas, inter alia boni militis attributa refert. Quomodo, judicio quoque Plutarchi in Agi & Cleomene* (*pag.* 808. *d.*) *Milites qui legum metuentiſſimi, iidem in hoſtem audaciſſimi ſunt: & pati quidvis, minime verentur, qui male audire maxime verentur. Quid ergo? Cæſar & à ſummi ducis officio, & à Romana conſuetudine ſpectandi præcipue mores militum, tantopere deflexit? Haud dixerim: illud potius, feciſſe quod ante eum Epiri Rex Pyrrhus, qui teſte Frontino lib.* 4. *ſtrategem. cap.* 1. *Dilectori ſuo fertur dixiſſe:*

Tu grandes (*& proinde robustos*) elige: ego eos fortes reddam. *Mores enim Cæsar ac Pyrrhus, ipsi formare poterant: vires, quæ naturæ beneficium sunt, mutare non poterant. Vtut autem in eligendis militibus mores Cæsar haud attenderit: in electis tamen curasse, patet ex eo quod mox de severitate militaris disciplinæ subjicit autor.*

b) Torrentius à forma *mallet, ut Cæsar non tam corporis aptitudine quam re ipsa, vires expenderit. Conjectura forte non mala, si ullo manuscripto codice juvaretur. Sed nihil est causæ, quin vulgatum,* à fortuna *præferamus. Apud Livium lib. 34. c. 31. f. Nabis ad T. Quintium inquit:* Spartanos in sua Repub. per æquationem fortunæ ac dignitatis, id consequi, ut multi sint, qui arma pro patria ferant: Romanos contra à censu equitem, à censu peditem legere: *Quod autori nostro hic est,* à fortuna; militem probare. *Id quod Cæsar non fecit: verum, exemplo Marii (de quo Quintilianus declam. 3. post prima.)* cum sciret, non ex censu esse virtutem; præterita facultatum contemplatione, vitos tantum animosque spectavit: *& ut idem ille Marius apud Sallust. Iug. cap. 85.* fortissimum quemque generosissimum existimavit. *Hoc si observaremus (ait Generosus Baro Georg. Ac. Enenckelius, commentar. ad Thucyd. pag. 617.) ut non, qui externa aliqua generis & familiæ inanis prærogativa vel opibus; sed virtute prudentiaq; aliis præcellit, ad officia domi militiæve promoveretur: melius profecto cum rebus humanis ageretur. Nunc (malum!) contra rationem, multi Nobiles & Illustres viri nobis nascuntur: & sæpe, qui nunquam Rempub. administrare didicit, nec bellum Martemve vidit, exemplo ob solum genus (generisq; comitem censum) hominibus ipso plerumq; melioribus in Rep. imperat: in militia ducem, tribunum vexilliferum agit. Hos tales in Iovis Tragœdi persona salse ridet ac perstringit, ut solet Lucianus: dum in concilio Deorum, de loco cuiq; pro dignitate assignando rogatum, εὐπλουτίνδων, ἀλλὰ μὴ ἀριστίνδων, καὶ ἀπὸ τιμημάτων:* prout quisq, esset ditissimus, maximoq; censu præditus, non prout esset optimus & præstantissimus, *collocari voluisse fingit: adeo ut prioribus locus sederent qui ex auro argentove solidi essent, licet rudes & impoliti: posterioribus autem, qui ex ebore, ære, aut lapide, à quantiscunq; artificibus quantacunq; arte elaborati.*

c) Nihil tam distare, quam à severitate comitatem, *inquit ad M. Brutum in Oratore Cicero. Idemq; in princ. lib. 3. de II. difficilimam statuit societatem gravitatis cum humanitate. Difficultatis rationem Isocrates Nicocli eam suggerit. quia qui gravitatem affectant, plerumq; frigent: qui vero comes esse student, eos humiles & abjectos fieri comperimus. Vtut vero sit difficilis, at non impossibilem esse harum, specie diversarum, nec tamen adversarum, virtutum*

copulam,

copulam, cum Cæsaris exemplum probat: tum aliorum. *De Trajano sic Plinius in Panegyr. c.4.* Nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate nihil majestati humanitate detrahitur. *De Tito Cæsare Tacitus lib. 5. hist. c. 1.* Comitate & alloquiis officia provocabat: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi miscebatur, incorrupto ducis honore. *Idem de Agricola socero in ejus vita cap. 9.* Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. *De Sex. Ausidio Cicero lib. 12. famil. epist. 26.* Homo ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summæ cum humanitate jungatur. *Iunctio tanto in Principe necessaria magis: quia* severitas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit auctoritatem. *Seneca lib. 1. de clem. cap. 22.*

d) *Æmilius Paulus apud Livium lib. 44. cap. 34. Militem hæc tria curare debere dicit. Corpus ut quam validissimum & pernicissimum habeat: Arma apta:* Animum *deniq;* paratum ad subita imperia: *Cætera scire de se diis immortalibus & imperatori suo curæ esse. Qua causa idem, ut scribit Plutarchus, jubebat milites suos quiescere, & gladios solummodo acutos facere: se enim reliqua curaturum.* *Ita Tacit. lib. 3. Hist. c. 20. & lib. 1. cap. 84.* Divisa inter duces militesque sunt munia: illis arma & animus sint: istis consilium & virtutis suæ regimen relinquant. *Commendatum hoc nomine à Curtio l. 3. cap. 3. f.* Macedonum agmen, & stare paratum, & sequi: intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum. *Mali curiosi & refractarii illi qui jussa ducum interpretari malunt, quam exsequi: verbis Taciti, lib. 2. Histor. cap. 39.*

e) *Quo tempore omnium minime castra moturus putabatur.*

CAPUT LXVI.

1. [a] Fama vero hostilium copiarum perterritos, non negando, [b] minuendove, sed insuper [c] amplificando ementiendoque confirmabat. Itaque cum expectatio adventus [d] Iubæ terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, *Scitote,* inquit, *paucissimos his diebus regem affuturum cum X. legionibus, equitum XXX. [e] levis armaturæ C. millibus, elephantis CCC. Proinde desinant quidam quærere ultra, aut opinari, mihiq; qui compertum habeo, credant: aut [f] quidem [g] vetustissima nave impositos, quocumq; vento, in quascumq; terras [h] jubebo avehi.*

a) Fama

a) Fama bellum conficit: & parva momenta in ſpem metumve impellunt animos; *ut inquiunt Livius lib. 27. cap. 47. & Senec. epiſt. 13. Ea cauſa Famam providi bellorum duces, pro re nata, tegendo, amplificando, fingendo, ementiendoq;, ad commodum ſuum varie flexerunt. Exempla plura congeſſit Iul. Frontinus lib. 2. ſtratagem. cap. 7. quibus haud abſurde Cæſaris hoc adnotaveris. In quo tamen ſpeciale de periculo non occultando præceptum ineſt: quod multis obfuit neglectum. Ita merito Tacitus lib. 3. Hiſtor. cap. 54. Vitellium arguit, quod fractus apud Cremonam rebus, ſtulte cladem diſſimulando, & læta omnia fingendo, remedia potius malorum, quam mala diſtulerit: cum confitenti ſuperfuturæ adhuc fuerint ſpes vireſque. Nam profecto, quod Oedipus in Seneca Tragico dicit, act. 3. verſ. 7.*

Iners malorum remedium, Ignorantia eſt.

Et apud eundem autorem in Agam. act. 3. v. 28. Clytemneſtra:

—— clades ſcire qui refugit ſuas,
Gravat timorem dubia plus torquent mala.

Quomodo Martialis lib. 3. epigram. 42.

Quod tegitur majus creditur eſſe malum.

Sapientius ergo Galba, ne diſſimulata ſeditio in majus crederetur, ultro aſſeverat quaſdam legiones defeciſſe: at brevi in officio fore. Tacit. lib. 1. hiſtor. cap. 18. Et apud Thucydidem lib 7. Nicias in epiſtola, qua cladem in Sicilia acceptam ſuis nunciat Athenienſibus: His ego gratiora, *inquit*, jucundioraque alia ad vos perſcribere potuiſſem: verum nequaquam utiliora. Ut enim de ſingulis recte conſultetis, omnia perſpicue doceri oportet. *Quid? quod, etſi remedium adferre nequeas, tamen* Sæpe calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam; *ut ait ad ſpadonem ſuum Darius apud Curtium lib. 4. cap. 10. Et Æſchylus in Prometh. v. 671.*

—— laborantibus eſt voluptas quædam,
Plane cognoſcere reliquum malum,

Ceterum hæc aperta malorum periculorumve confeſſio de amicis tantum, & iis eſt intelligenda, quæ mederi poſſunt, aut quorum ea ſcire intereſt. Quod ad alios enim aliud eſt præceptum apud Cæſarem lib. 2. bell. civil. cap. 31. Uti corporis vulnera, ita exercitus incommoda ſunt tegenda, ne ſpem adverſariis augeamus, *Ita Livius lib. 23. c. 4. f. ſcribit*: Varro Conſul auxit rerum ſuarum ſuique contemptum, nimis detegendo cladem nudandoque.

b) *Cujacij codex*, inhibendove, *ut notat, nec improbat, Caſ. Bonus. Gruterus tamen, ex conſenſu Pall. omnium*, minuendove *præfert: quod amplectimur, & Viri, & rei cauſa. Nam* inhibere *minus differt ab* negando, *quam* minuen-

minuendo. *Adde, quod hic posito verbo* amplificare *rectius opponitur* minuere, *quam* inhibere. *Alioquin* inhibere famam *est, quod de stulta Vitelly malorum suorum dissimulatione Tacitus lib. 1. Hist. cap. 96. & lib. 3. cap. 54. coercere ac prohibere sermones: nuncios occultare. &c.*

c) *Cur hoc? Nam melius est, si majora arbitrati, minora videamus: quam minora audientes, validiora inveniamus, uti Xenophon Cyrum Persarum Regem dixisse refert, & ipsum, hostium res minime verbis extenuandas esse, cum Cæsare nostro statuentem.*

d) *Regis Mauritaniæ, qui juvit partes Pompejanas: & Scipioni socero Pompeij, reliquias in Africa reparanti, se conjunxit.*

e) *Nimis anxie Torrentius, qui hæc verba*, lev. arm. C. mill. *exturbat, contra fidem codd.*

f) *Melius Casaubon.* aut equidem.

g) *Et ob hoc putrida, faciles, solubili. Affecti hoc supplicij genere delatores à Trajano Plin. panegyr. cap. 34. Et plura ad hunc locum Casaubonus.*

h) Jubeo *quod habent alij, magis est pro autoritate ducu. Torrent.*

CAPUT LXVII.

1. [a] Delicta neque observabat omnia, neque [b] pro modo [c] exequebatur: sed [d] desertorum ac seditiosorum & inquisitor
2. & punitor acerrimus, [e] connivebat in cæteris. [f] Ac nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat: jactare solitus, *milites suos etiam & unguentatos bene pugnare posse*: nec *milites* eos pro concione, sed blandiori nomine [h] *commilitones* appellabat: habebatque tam [i] cultos, ut argento & auro politis armis ornaret: simul & ad speciem, &
3. quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Ilig:bat quoque usque adeo, ut audita [k] clade Tituriana, [l] barbam capillumq; summiserit: nec ante dempserit quam vindicas-
4. set. Quibus rebus & [m] devotissimos sibi, & [n] fortissimos reddidit.

a) Observabat *respicit ad* inquisitor: *sed* exequebatur *ad* punitor. *De priore illo, Ciceronis istud est accipiendum, epist. 1. ad Q. Fratrem, c. 3.* Neque mihi sane placet, præsertim cum ij mores tantum jam ad nimiam le-

nitatem

nitatem & ambitionem incubuerint, scrutari te omneis sordeis, excutere unumquemque eorum &c. *Nam, ut habet scitum illud Domitij Afri:* Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. *A Cæsare abiit in priore, quem tamen in posteriore fuit secutus, Agricola, commendante Tacito in ejus vita cap. 19.* Omnia scire, non omnia exequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare. *Sane Nicocli quoque præcipit hoc Isocrates:* Δεινὸς μὲν φαίνου, τῷ μηδέν σε λανθάνειν τῶν γιγνομένων: τρᾶος δὲ, τῷ τὰς πιμωρίας ἐλάττους ποιεῖσθαι τῶν ἁμαρτανομένων: acrimoniam tuam proba, indagatione rerum quæ geruntur omnium: clementiam mitigatione suppliciorum. *Quia namq; ἔστιν ὅτε καὶ τὸ βραχὺ δεινὸν παρορώμενον, μέγαν ἀπέτεκε κίνδυνον:* exiguum interdum malum neglectum, ingens periculum peperit, *ut ait Gregoras lib. 1. c. 5. refert, omnia, etiam parva, scire eum, qui præest aliis. Exemplo est Imp. Galba vita simul & imperio spoliatus non ab Othone magis, quam per secordiam Præfecti Prætorio,* quem nota pariter & oculta fallebant, *ut ait Tacitus lib. 1. Histor. cap. 24.*

b) *Faërnus, probante Torrentio,* pro more *legit. Nimis acute.* Pro modo *hic est, jure consueto, ex instituto disciplinæ militaris. Ait autor: Cæsarem, duobus criminibus exceptis, desertæ stationis, & seditionis, fuisse in puniendo milite suo leniorem: nec semper meritas pœnas exegisse: sed, verbis Taciti in Agr. cap. 19.* parvis quidem delictis veniam: magnis vero (*qualia duo isthæc*) severitatem commodasse. *Porro quum delicta militaria duorum sint generum, ut ait Arrius Menander l. 2. D. de re milit. aut propria scilicet militum, quæ* castrensia peccata *Vopiscus appellat: aut cum cæteris communia; quibus animadversionibus in utraq; vindicarint Romani, ex Polybio & Iureconsultis copiose docent Petrus Faber Semestr. lib. 1. c. 17. & Iustus Lipsius. lib. 5. de milit. Rom. dial. 18.*

c) *Notandum,* Exsequi delicta *hic valere,* punire, vindicare, ulcisci. *Sic noster iterum in Calig. cap. 12. f. & Vespas. cap. 14. pr. sic Liv. 1. cap. 59. pr. Senec. de constant. sapient. cap. 10. pr. & lib. 1. de ira, cap. 12. Tertullian. l. 1. adversus Marcion. cap. 27. & plures.*

d) Desertores, *in re militari qui Græcis* λειποτάκται, *dicuntur, sunt qui stationem suam deserunt, & prolixum tempus vagantur, diuq; absunt. Id genus hodie fere sunt illi circumforanei nebulones,* die gartende knecht *vulgo dicti: quorum de pœna l. 2. C. quando liceat unicuiq; &c. Andr. Gaill. lib. 1. de pace publica, cap. 4. num. 38 39.*

e) *Imp. Tiberius nullam æque ex Virtutibus suis quam* Dissimulationem *diligebat. Tacit. lib. 4. Annal. cap. 71. Virtus adeo necessaria Princips, ut dixerit*

dixerit veteranus Imperator, sive is Fridericus I. seu Sigismundus fuerit: Nescit regnare, qui nescit dissimulare.

f) *Hoc ipsum, addita præcepti ratione, præcipit Onosander strateg. c. 35. in fin.* Rebus bene ac feliciter gestis, superatisque periculis, convivia, epulæ & feriæ militibus concedantur: ut suavem bello confecto victoriam intuentes, viam rursus ad eam, ardua quæque fortiter tolerando, sibi faciant. *Similia Leo Imp. in Tacticis.*

g) *Vnguento delibutos. Hunc ad modum Seneca epist. 33. à princ.* Epicurus est fortis, licet manuleatus sit. Fortitudo, & industria, & ad bellum prompta mens, tam in Persas, quam in alte cinctos cadit. *In Persas, ait. de quibus explicatius Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 30.* Adeo dissoluti sunt, *inquit*, & artuum laxitate vagoque incessu jactantes se, ut effæminatos existimes, cum sint acerrimi bellatores. *Inter unguentorum porro patronos prater Cæsarem nostrum, referamus oportet & Philosophum Aristippum, qui eorum usu delectatus*: Male, *inquit*, istis effæminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt, *referente Seneca lib. 7. de beneficiis. c. 25. & Diogene Laertio in ejus vita, Plinius tamen l. 13. c. 3.* maxime mirum *censet*, unguenta & in castra Romana penetrasse, ita ut aquilæ ac signa inungantur festis diebus: & ista patrocinia quæri vitiis, ut per hoc jus sumantur sub cassida unguenta. *Quin & fortissimi Spartani unguentarios urbe expulerunt, & propere cedere finibus suis jusserunt. Senec. in fin. lib. 4. Natural. quæst. Sane quicquid tandem Cæsar dicat*, minus mortem timet, *(proindeq; fortior est miles) qui* minus deliciarum novit in vita. *Vegetius lib. 1. de re milit. c. 3. Cæterum de unguentorum speciebus & varietate consulendi Plinius lib. 13. c. 1. & Athenæus lib 15.*

h) *Qui &* Commilites: συστρατιώτας *Græcis. A Cæsare tamen in hoc dissentiebat Augustus, ut prater Nostrum infra in Aug. cap. 25. tradit Auctor Historiæ Miscellæ lib. 7. cap. 16. his verbis*: Avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui Milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectabat carior fieri, auctoritatem Principis emollierat. *Verum sic obtinuit, ut post Cæsarem Imperatores ac duces alij quoq; suos milites* commilitones, *quasi & ipsi ex eorum numero essent, appellarent. Sic Galba apud Nostrum, cap. 20. sic Otho apud Tacitum lib. 1. Hist. cap. 37. & apud eundem Agricola, in ipsius vita cap. 33. Sic à Bruto & Cassio milites* συστρατιώτας *vocatos, nec ipsum adeo Augustum, antequam Imperium adeptus esset, abstinuisse blanda hac appellatione, patet ex Appiani lib. 4. & 5. de bell. civili. Adde conciones quas Clodium Albinum & Maximinos habuisse, Capitolinus in eo-*

rum vitis memoria prodidit: ut & conciones Macrini & Diadumeni, quas Lampridius in Diadumeno ponit. Ad hanc formam apud Ammianum Marcellin. lib. 29. cap. 26. imperator milites suos, contubernales devotos *compellat. In Augustæ historiæ scriptoribus invenias &* consecranei *vocabulum usurpatum eadem notione. Consecraneus enim nihil aliud est quam commilito, quasi ejusdem sacramenti militaris particeps, vel eorumdem sacrorum castrensium socius. Talia* Συστρατιῶται *cumprimis* bellis civilibus *locum habent, in quibus* Plus militibus quam ducibus licere, *scribit Tacitus lib. 2. Hist. cap. 29.* Severitatem disciplinæ, in pace inexorabilem, discordiæ civium resolvunt: *ait idem lb. 1. Hist. cap. 51.*

i) *Multi velut agmine facto, in hoc Cæsaris institutum eunt. Initio majores nostri, apud quos nulla cultus militaris jactatio fuit. Tacit. Germ. c. 6. Ex ipsis deinde Romanis ij duces, qui apud Livium 9. cap. 40. suos docent, horridum militem esse debere: non celatum auro argentoq; : sed ferro & animis fretum. Quippe illa prædam verius quam arma esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera. Virtutem esse militis decus; & omnia illa victoriam sequi. ditem hostem, quamvis pauperis victoris præmium esse. Mens eadem ducis Britannorum Galgaco fuit, suos monentis,* ne terreat in exercitu Romano vanus auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat, *referente Tacito in Agric. cap. 32. & forsan respiciente ad illud Æschyli, in sept. ad Theb. vers. 352.*

Κόσμον μὲν ἀνδρὸς ἔστιν ἂν πρέσαιμ' ἐγὼ
Οὐδ' ἐλκοποιὰ χίνεται τὰ σώματα·
Λόφοι δὲ κώδων τ' ἐδάκησ' ἄνευ δορός.

Quomodo & Vegetius lib. 1. de R. M. cap. 12. Non enim vestium nitor *(inquit)* vel auri, vel argenti, gemmarumque copiæ, hostes aut ad reverentiam nostram, aut ad gratiam inclinant: sed solo terrore subiguntur armorum. *Eodem alludit cavillum Hannibalis, Antiochi exercitum auro argentoque ornatissimum perstringentis, quod ex Agellij libro 5. cap. 5. refert Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 2. Item Alemannorum ad Imperatorem Græculum, auro gemmisque muliebriter cultum, eoq; ornatu oculos eorum perstringere sese credentem, mascula oratio, apud Nicetam Choniatem sub finem libri 1. de Imperio Alexij Comneni. His adde judicium Pharasmanis apud Tacitum lib. 6. Annal. 34. Charidemi & Alexandri apud Curtium lib. 3. cap. 2. & 10. Sed tamen & Cæsar habet quibus exemplis rationibusq; suum factum tueatur. Iam tum enim apud priscos & simplices illos, sed fortissimos Romanos,*

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

teste Iuvenal. satyr. XI. vers. 108. *Et Plutarchus in M. Bruto autor est, militibus Bruti pleraq; ex auro fuisse arma, in eaq; profuse præbitum esse argentum: quamvis alioquin assuefecisset Brutus duces vivere moderate & astricte.* At divitiæ, *inquit*, quas in manibus & circa corpus ferunt, acuere nonnihil putabat gloriæ cupida pectora: avaros vero reddere fortiores, quod arma, sicuti pecunias, retinerent. *Qua causa Iphicrates dux Athen. prorsus ad Genium Cæsaris, militem volebat esse φιλόπωλον, avarum, simulq; φιλήδονον, voluptarium, ut sumptus quærens ad voluptates perfruendas, tanto certaret audacius. Plutarch. in Galba à pr. Quid, quod gentibus totis, opulentioribus præsertim, auro argentoque, ad luxum usque, suos milites colendi morem tribuunt autores: Polybius Gallis: Livius & Florus Samnitibus: Curtius, Plutarchus, Arrianus, Persis & Macedonibus: Iustinus & alij Parthis: & in universum Orientalibus Trebellius Pollio? Ac illud quidem certum est, omnia militi, quæ animosum eum, alacrem erectumq; reddant, ac hosti terrorem incutiunt, esse concedenda. In quibus primum sibi locum arma nitida splendidaq; vendicant. Ob quam causam jubet Onosander cap.* 28. *Strategici, arma exercitus in splendorem dari.* Milites enim (*inquit*) quasi micantibus armorum scintillis terribiliores apparent: multæque per oculos species in animos delapsæ, perterrere adversarios solent. *Et c.* 29. Priusquam ad manus veniant milites, *præcipit*, ut denso agmine supra capita sua gladios sustollat, eosque ad Solem crebro crispent. Nam expoliti cuspides, fulgentesque enses, Solis radiis elisi ac repercussi, mutua corruscatione horrendum quasi belli fulgur vibrant & ejaculantur. *Quod Onosandri dogma tamen restringit Imp. Leo in Tacticis, cap.* 24. *num* 112. 113. *exemplis selectioribus illustrat ille Musageta, sæpe jam mihi, numquam satis laudatus, Ianus Gruterus discursuum in Tacit. part.* 1. *p.* 115. *Cæterum unde splendor hic armis conciliari debeat, aut fallimur, optime docet Quintilianus lib.* 10. *instit. orat. cap.* 1. *post pr.* Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim: sed fulgorem his inesse, qui terreat; qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringatur: non qualis auri argentique, imbellis & potius habenti periculosus. *Recte quoque Seneca epist.* 76. *m.* gladium bonum esse *dicit*, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur: sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. *Nisi forte veteranis & qui strenuam in rebus difficilimis operam sæpe navarunt, pluisculum ornamentorum concedendum est. Quomodo Alexander Magnus argento polita arma militib. qui inde Argyraspides appellati, non ante devictos Persas, & Orientis eversionem, concessit. Quem secutus Imp. Alexander Severus, non Argyraspidas modo, sed & Chrysoaspidas, ab*

inauratis clypeis ita nuncupatos, constituit, teste Lampridio in ejus vita cap 50.

k) *Quæ scilicet Q. Titurius Sabinus, & L. Aurunculejus Cotta legati, cum quinque cohortibus, inter Mosam & Rhenum ab Eburonibus dolo circumventi ceciderunt. Rem narrat ipse Cæsar lib. 5. de bello Gallico, cap. 24. & seqq.*

l) Summittere *barbam capillumq; dicuntur, qui neque tondent, neq; radunt, permittuntque ad enormitatem adolescere. Factitarunt hoc idem Augustus in clade Varinana, & Caligula in morte Drusillæ sororis, teste Autore in ipsorum vitis, cap. 23. & 24. sed hi nimirum, testandi luctus causa: Cæsar noster, ut videtur, etiam voti. Secutus ea re forte priscos Germanos, de quibus Tacitus in Germ. cap. 31.* Aliis Germanorum populis usurpatum, rara & privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. *Quomodo de Sarmente Galba Silius Italic. lib. 4. Punic. v. 200.*

Occumbit Sarmens, flavam, qui ponere victor
Cæsariem crinemque tibi, Gradive, vovebat.

Idem etiam inferiore manserit ævo. Saxonibus enim hoc tribuit Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobard. c. 7. Sex quoque millia Saxonum (*inquit*) quæ bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suevis ulciscerentur. *Quid sibi vult ergo Tacitus lib. 4. Hist. cap. 61. cum id votum*, barbarum *appellat? Non potest certe, nisi cum injuria Cæsaris, imo Græcorum ipsorum, qui nihil minus quam barbari videri volunt. Sic enim Argivi à Lacedæmoniis bello superati, lege caverunt (quod diversum videri queat: sed res eodem recidit)* ne quis comam nutriret ante recuperatum pristinæ gloriæ decus, derelicto priore comam alendi studio, *ut memoriæ proditum est ab Herodoto lib. 1. c. 82. & Plutarcho in Lysandro. Cæterum huic loco multam lucem affundent, nobisque conferendi materiam affatim præbebunt, Rudulph. Fornerius lib. 4. rerum quotidianar. c. 5. Ioan. Kirchmannus de funer. Roman. lib. 2. cap. 13. & 14. Camerarius hor. subcis. centur. 1. cap. 36. & cent. 2. cap. 40. & cent. 3. cap. 96. Quorum expilare scrinia nec decet, si placeas: nec placet, si deceat. Adde notas ad Iustinum 36, 4, 2.*

m) *Erant ergo milites Cæsario quodammodo similes Gallorum illis* Devotis; *quos ipsi* Soldurios *appellabant, de quibus ita Cæsar lib. 3. bell. Gall. c. 22.* Omnibus in vita commodis una cum his fruuntur, quorum se amicitiæ dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferunt, aut sibi mortem consciscunt. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusarit.

farit. *Salluſtius (in fragment. pag. 112. p.) & Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. exemp. 11. idem Celtiberis tribuunt*, qui Regibus item ſuis ſe devovent, & prælio ſupereſſe, cum is occidit, nefas ducunt, *Ac de Germanis Tacitus, Germ. c. 14.* Principi ſuperſtitem ex acie receſſiſſe, infame in omnem vitam ac probroſum habetur. *Simile, Thebanorum ἱερὸς λόχος*, ſacra cohors, *de qua Plutarchus in Pelopida, pag. 287. &. & ſeq. Id genus amicitiæ conjurationiſque Graci συναποθνησκόντων*, commorientium *vocant, de quo conſule proverbium apud Eraſ.* Naæra & Charmione. *Adde Boterum lib. 9. Politic. cap. 18. & de la Noue, diſc. 16. Obſervatu forte non eſt indignum, in rubric. Cod. quando liceat unicuique ſine jud.* devotionem publicam *idem eſſe quod militem, publice ſcilicet devotum: quomodo, officia pro officialibus, Admiſſio pro Admiſſionalibus, Cuſtodia pro Caſtodibus, & talia, ſæpius occurrunt apud autores probatos. In l. 4. C. quæ res venir. non poſſ. honorificum hoc exercitui tribuitur epitheton, ut* devotiſſimus *appelletur. Et apud Ammian. Marcellin. lib. 29. c. 26. Imperator milites ſuos*, contubernales devotos *compellat.*

n) Amor Principis facit militem fortiorem, *inquit Nazarius panegyr. cap. 19. f.*

CAPUT LXVIII.

1. Ingreſſo civile bellum, [a] centuriones cujuſque legionis ſingulos equites è [b] viatico ſuo obtulerunt: univerſi milites gratuitam & ſine fumento ſtipendioque operam, cum tenu-
2. iorum [c] tutelam locupletiores in ſe contuliſſent. Neque in tam diuturno ſpatio quiſquam omnino deſcivit: [c] plerique capti conceſſam ſibi ſub conditione vitam, ſi militare adver-
3. ſus eum vellent, recuſarunt. [f] Famem & cæteras neceſſitates, non cum obſiderentur modo, ſed & ſi alios ipſi obſiderent, tantopere tolerabant, ut [g] Dyrrhachina munitione Pompejus, viſo genere panis ex [h] herba, quo ſuſtinebantur, *cum feris ſibi rem eſſe* dixerit: amoveriq; ocyus, nec cuiquam oſtendi, juſſerit: ne patientia & pertinacia hoſtis, animi ſuorum
4. frangerentur. Quanta fortitudine dimicaverint, teſtimonio eſt, quod adverſo ſemel apud Dyrrhachium [i] prælio pœnam in ſe ultro depoposcerunt. ut conſolandos eos magis imperator

quampuniendos habuerit. Cæteris prœliis innumeras adversariorum copias multis partibus ipsi [k] pauciores facile superaverunt. Denique una sextæ legionis cohors præposita castello, quatuor Pompeii legiones per aliquot horas sustinuit, pæne omnis confixa multitudine hostilium sagittarum: quarum [l] centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis [m] singulorum facta respiciat, vel [n] Cassii Scævæ centurionis, vel C. Acilii militis, ne de pluribus referam. Scæva, excusso oculo, transfixus femore & humero, [o] centum viginti ictibus scuto perforato, [p] custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius navali ad Massiliam prœlio, injecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos [q] Cynegyri exemplum imitatus, transilivit in navem, [r] umbone obvios agens. 5. 6. 7. 8. 9.

a) *Novissimus ille* λεξικοπράκτης *sive* λεξικοπράκος *verborum juris*, Centurionis *nomen dici scribit, quasi* cedo alteram: *& hujus originationis autores laudat Tacitum* (1. *Annal.* 23.) *& Cujacium observ.* 21. *c.* 10. *Inepte. Nam isthic de militari quadam facetia, non de nominis etymo, tractatur: quod quin à* centum, *quibus præerant, peditibus, ut* decurionis *à* decem, *petendum sit, nec ij debent ignorare, qui nondum ære lavantur. Nam & Græcis ex eo dicitur* ἑκατοντάρχης *sive* ἑκατόνταρχος.

b) Viaticum *proprie quidem significat sumptum itineris: ut in illo Ciceronis de senect.* quo minus viæ restat, eo plus viatici quærunt. *Et Senec. epist.* 77. Plus jam mihi supereſt viatici, quam viæ. *Verum tamen, ut ostendit Agellius lib.* 17. *cap.* 2. *quemadmodum Græci suum illud* ἐφόδιον *ad aliarum quoque rerum, non viæ tantum, apparatus traducunt: sic etiam viaticum, est ubi quamcunq; pecuniam, ad sumptum quemcunq; destinatam significat: ut hic, peculium ipsum, & facultates militis. Sic Vlpianus l.* 17. *D. de reb. credit.* filii familias viaticum *dixit. Sic Horatius lib.* 2. *epist.* 2. *v.* 26.

Luculli miles collecta viatica multis Ærumnis &c.

Τροφίον pro stipendio militum accipi, clarum observo locum apud Plutarchum in Alex. pag. 672. *a.*

c) *Alituram, & necessitatum omnium exhibitionem. Nam etiam* tueri, *significat alere, sustentare: ut præter locum è Macrobio à Casaubono hic adductum*

ductum, patet ex l. penul. & ult. D. de in rem verso. l. 1. §. sed nonnullos. D. de tutel. & rat. distr.

d) *Excipe Labienum, qui cum Cæsari strenuam in bello Gallico navasset operam, in Civili, Pompejo adhæsit,* transfuga vilis *ex eo dictus apud Lucanum lib. 5. Excipe item Ægum & Roscillum Allobrogas, à Cæsare ad Pompejum deficientes. Quod si nemo desciv it; cur ergo superiori capite dixit autor, desertores Cæsarem inquisivisse & punivisse acerrime? Nisi forte ibi de bellu, quæ Cæsar auspiciis Populi Rom. gessit: hic de civili tantum sermo est. Sed vel sic tamen excipiendi sunt quos diximus.*

e) *Ex quorum fuit numero Granius Petronius, cui cum in Africa capto, Pompejanus Scipio salutem se dare diceret; milites Cæsaris non accipere, sed dare consuesse salutem respondit: & cum dicto se gladio confodit. Item ille centurio, qui cum veteranis, vitam, ea conditione, si Rempub. contra Cæsarem defenderent, promissam recusavit. De utroq; Plutarch. in Cæs.*

f) *Famem sitimq; ferre, nota boni militis. Id cum assuetudine consequimur: tum etiam præsidium ab arte mutuamur. Quomodo Scythæ, gens Martia, cum est usus, ut famem longius tolerent, fasciis ventrem strictissime circumligant: eà ventris compressione esuritionem depellentes. Quo etiam argumento Erasistratus utitur ad ostendendum, famem fieri propter inanes atq; patentes intestinorum & ventriculi fibras, ut tradit Agellius lib. 16. cap. 3 Estque credibile Tacitum in Germ. c. 30. & Vegetium lib. 1. c. 6. vel hac causa commendasse in milite* strictos artus, stricta corpora: *crassulos illos,* & superflua carne distentos *improbasse. Porro de remediis famem ac sitim arcentibus (ἄλιμα & ἄδιψα φάρμακα nominant) præter Plutarchum in Symposiacis, haud aspernanda tradunt Ioannes Langius in Epistolis medicinalibus, lib. 2. epist. 28. & Henr. Rantzovius de conserv. valetud. cap. 39. & 40. Quibus naturalibus hoc superstitiosum ex Zonara licet adjiciamus, qui vita Imp. Mauritij, milites quosdam Turcas memorat, qui cruces in frontibus gerebant, compunctis supercilijs in crucis modum, infusoq; atramento. Cujus rei quæsita causa, responderunt, superiori tempre cum sua gens fame periclitaretur, se à Christiano quodam monitos hoc fecisse: ne ullum ex eu, qui parverit, fame periisse.*

g) *Cum Cæsar, Dyrrbachij seu Epidamni, Epiri civitate, conclusum Pompejum, ex castello in castellum perducta munitione, circumvallasset.*

h) *Quæ sit hæc herba, collatis inter se locis autorum, qui ea de re scripserunt, inquirendum est. Ipsum initio Cæsarem audiamus, lib. 3. de bell. civil. cap* 48. Est etiam genus radicis, *inquit,* inventum ab iis, qui fuerunt cum Valerio, quod appellatur chara: quod admistum lacte, multum inopiam levabat,

levabat. id ad similitudinem panis efficiebant. ejus erat magna copia. ex hoc effectos panes, quum in colloquiis Pompejani famem nostris objectarent, vulgo in eos jaciebant, ut spem eorum minuerent. *Plutarchus, radicis nomine suppresso, rem non dissimili modo enarrat, in Cæs. pag. 726. e.* Cum Cæsar graviter difficultate necessariorum premeretur, radicem quandam conscindebant ejus milites, & lacte subactam edebant. Panes quoque ex ea confectos, provecti ad hostium stationes, intro miserunt, projeceruntque, cum hisce verbis: quousque tellus radices ejusmodi ferret, se non desituros obsidere Pompejum, &c. *Appianus, alias in plerisque secutus Plutarchum, in eo tamen ab ipso simul ac Cæsare discedit, quod non cum iis radicem hanc; sed cum Suetonio,* herbam, *suppresso & ipse nomine appellat.* Τὴν πόαν ἐξοπτόων: ex herba panes conficiebant, *inquit l. 2. de bell. civ p. 465. e. Qui & in eo discrepat à præcedentibus, quod istos panes non à militibus Cæsaris in Pompejanos, famem illis exprobrantes, conjectos: sed à transfugis ad Pompejum delatos ait, ut lætitiam inde caperet: neque tamen illum, ut prudentissimum imperatorem, exhilaratum esse: sed* sibi cum belluis bellum esse *dixisse. Auget hanc autorum discrepantiam Plinius, dum hujus non radicis, sed herbæ nomen, exprimit quidem, verum ab illo Cæsariano diversum. Ita namq; lib. 19. hist. natur. cap. 8. m.* Olus, *ait,* sylvestre est, triumphorum Divi Julij carminibus præcipue jociscque militaribus celebratum. Alternis quippe versibus exprobravere, lapsanam se vixisse apud Dyrrachium, præmiorum parsimoniam cavillantes. *Quo Plinij loco pro* triumphorum, *vulgati codices habebant,* trium foliorum. *Ea res novam solicitudinem injecit quærendi, quæ nuspiam erat, lapsanam trium foliorum, aut ad frivolam illam argutiolam confugiendi, lapsanam pluribus quidem constare foliis. verum tribus tantum extremis cespitem tangere aut tegere. Sed* triumphorum *vera lectio est, antiquorum fide codicum asserta. De triumphalibus autem istiusmodi jocis dictum supra, cap. 49, 8. a. Nunc id operæ nobis incumbit, ut cum Chara Lapsanam, Herbam cum Radice conciliemus: & conabimur: id si Musis abnuentibus, veniam, ut in re difficili & abstrusa, nobis paratam spondemus. Ac Plinij quidem loco, quem allegavi, cum aliis ejus locis comparato, Lapsanam & charam ejusdem esse plantæ nomina facile perspicitur. Etenim lib. 20 c. 9. m. lapsanam inter* brassicas sylvestres *numerat, pedalis altitudinis, hirsutis foliis, napi similimis, nisi candidior esset flore. Libro autem 19. cap. 5. m. de generibus brassicæ differens, hæc habet:* Etiamnum unum sylvestre Græci cheram vocant, Pontici armon, alij leucen, nostri armoraciam, fronde copiosius quam corpore. *Vides ergo* cheram, *&* lapsanam *&* armoraciam *&c. Plinio quidem, esse synonyma. Firmas*

mat Isidorus, qui lib. 17. cap. 10. armoracea, inquit, hæc est lapsana. Et vetus lexicon, armoraciam, ῥαφανίδα, hoc est, brassicam (sylvestrem scilicet, juxta Plinium) interpretatur. Et Theophrastus lib. 9. hist. plant. cap. 15. de Arcadia loquens, ait, eam inter alia herbarum medicamina producere ἣν ἐκεῖνοι μὲν ῥάφανον ἀγρίαν καλοῦσι, τῆς δ' ἰατρῶν τινες χέρην: eam quam illi brassicam sylvestrem appellant, medici vero quidam cheram: quam scilicet Epirotæ illi Dyrrhachini, crassiore sono Charam seu Caram pronunciarunt, non absurdo transitu vicina literæ e. vocalis, in vocalem a. Vt proinde hæc Theophrasti Plinii que chera, à Cæsaris illa chara diversa non sit existimanda. Quanquam & in manuscripto codice Cæsaris, esse chera, Petrus Ciacconius in Notis ad Cæsarem testatur. Hæc scripturæ diversitas etiam in charæ synonymo lapsana occurrit, quam observo lampsanam appellatam à Dioscoride lib. 2. cap. 108. & Galeno lib. de simpl. med. facult. cap. περὶ τῆς λαμψάνης, & qui his sunt posteriores, Oribasio ac Paulo Ætio. Neque tamen aut herba diversa, aut scriptura vitiosa est. Nam non modo recentior Græcorum lingua μιξοβάρβαρος literis β. π. φ. solet præponere μ. literam in dictione media, ut ῥομπέρλος, Robertus: σκαμπάνη, pro σκαπάνη: κάμψα, pro κάψα: λάμφυξ, pro λάφυξ: ac literæ π. etiam à principio dictionis: ut μπαΐλος, bajulus: μπασίας, Bassa: μπομβάρδα, bombarda: verum etiam jam olim Hippocrates Ionice dixit ἀνάλημψις, pro ἀνάλψις. Et ἀναλημπτῆς apud Iosephum extat, pro ἀναλπτῆς. Vt proinde Pius Bononiensis annot. posterior c. 186. (thes. critici tomo 1. pag. 566.) in Plinianis codicibus inepte expuncta lapsana, lampsanam ubiq; substituat Plinius quippe vocem Latinam, Latine scripsit: quam Græci, pro more, molliorem suam ad pronunciationem inflexerunt.

Cum ergo de planta constet: de parte plantæ nunc disquirendum est, herbane ejus, an radix, in alimentum Cæsariano militi cesserit. Nam utrumque vidimus ab autoribus assertum. Et vero ex radice confectum panem illum, quis dubitet? Nec obstat, quod Suetonius & Appianus herbam, eam appellarunt: quæ vox ambigua est, non id modo quod ab radice foliatum sine caudice provenit, sed interdum totam cum radice plantam significans. Nec infrequens hæc est in re botanica συνεκδοχὴ, ut aut posita parte, tota planta intelligatur, ut fit in Violis, Rosis, Campanulis, Leucoiis, Lithospermo, Croco, Digitali, Caryophyllis, Flore Solis, Filipendula, Pentaphyllo, Orchide, Vnifolio, Rapo, Raphano &c: & contra, expressa planta tota, aliqua duntaxat illius particula capiatur: ut in Rhabarbaro, Centaurio magno, Mechoacæ, Bryonia &c. Non ergo dubitandum est, quin in Suetonij & Appiani quoque verbis talis synecdoche latitet, qua posito toto, tota scilicet herba, præcipua tamen solummodo pars, & ad comedendum apta maxime, scilicet ipsa radix, subintelligatur. Porro modum panis ex radice

quadam, portulacæ magnitudine, conficiendi, Brasiliensibus usitatum, describit Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis, p. 49. b. Sed & Carolus Clusius lib. 6. rariorum plantar. cap. 14. Tartariam Ungaricam *describit, quam & cum* Baltracan, *& cum hac nostra* chara *Cæsaris, eandem esse suspicatur. Cui vix est ut præbeam assensum, cum & solo natali, & forma, quam exhibet utriusque descriptio, maxime differant: ut aut Charam Cæsaris, Plinij Lapsanam non esse, aut Tartariam Vngaricam, Charam non esse, sit necesse. De panis diversis generibus consulendi nobiles illi meliorum autorum racematores, Alexander ab Alexandro lib. 5. Genial. dier. c. 21. & Cælius Rhodiginus, lect. antiq. lib. 9. c. 16. Cumprimis autem Ioach. Strüppius à Geilhausen, Medicus Francofurtanus, non ex radicibus modo, sed rebus plurimis aliis, panes potusque conficiendi rationem, magna varietate, peculiari libro tradit, utilissimo sane, præsertim in hac difficultate temporum, qua Petri Severini judicio facile subscribas,* panificium *unicum, omnibus Modalium subtilitatibus, & jejunis Prædicamentorum digestionibus anteponentis, in idea Medicinæ Philosophicæ lib. 3. cap. 3. Legite vos egeni, legite famelici: gratiam mihi pro indicio habebitis, certe debebitis. Est autem excusus liber Francofurti, anno 1574. inscibiturq; Σιτοποταματεχνία.*

Atque hac autorum ἐναντιοφανῶν qualiscunque conciliatio est: quæ nescio quomodo aliis; mihi certe ipsi, rem nunc diligentius exputanti, minime satisfacit. Turbat primum autoritas viri summi, & cum cætera, tum botanica doctissimi, Melchioris Sebizij Iunioris, in Acad. nostra Doctoris Medici, qui Lapsanæ radicem exiguam, nec aptam pani conficiendo, me docuit: & ut apta sit, tamen Plinius, 19. c. 8. m. milites Cæsaris non ait vixisse radice lapsanæ, verum ejus cyma, quæ cauliculus tenerior est, in prima germinatione, in summa stirpe proveniens: ut proinde Chara esse non possit. Turbat adhæc quod Turnebus advers. 24. c. 7. à Plinio lapsanam & armoraciam male confundi tradit. Atqui hoc erat meum præcipuum argumentum: Armoracia *Plinio* Chera, *Isidoro* Lapsana *est:* Chera *ergo* Lapsanaque, *sunt eadem herba. Adde quod Lapsana Romanis erat notissima: at de Chara, tanquam ignota & peregrina, loquuntur autores. Ex quo fere pronior in eam nunc fio sententiam, ut Plinium à Cæsare cæterisq; diversa, sed non contraria dixisse putem. Quomodo Lucanus quoque hanc ipsam exequens, diversa, quibus milites Cæsaris famem solati sint, enarrat lib. 6. v. 108. &c.*

—— cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos; & carpere dumos:
Et foliis spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

Cum

Cum omnia fecero, vix possum aliter, quin utar antiqua judicum formula, Non liquet. *Et fateor, hunc obicem scopulumq; fuisse, ad quem Suetonianæ nostra diatribæ hactenus aliquantisper adhæserunt.*

i) *De quo præter Appianum lib. 2.* τῶν ἐμφυλ. *Plutarchum in Cæsare, Lucanum lib. 6. videndus præcipue Cæsar ipse lib. 3. bell. civil.*

k) *Adeo verum istud Synesii in fine epistolæ 78.* χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν: manibus opus est bello, non multis nominibus, *Et Vegetij lib. 1. c. 8.* In omni conflictu non tam prodest multitudo, quam virtus. *Quippe multitudo, ignava præsertim & imperita*, non vires habet, sed pondus, *ut ait Senec. lib. 6. de benef. cap. 31. & verbis Livij, 9. c. 19,* impedimentum majus quam auxilium est. *Huc facit Imp. Andronici jun. oratio ad milites, apud Gregoram lib. 10. c. 4. in qua* πολλὰς δυνάμεις μεγάλας ὑπὸ βραχέων ῥᾷστα κατακοπείσας, multos magnos exercitus à parvis facilime cæsos, *aliquot exemplorum inductione demonstrat.*

l) *Quod asserit Gruterus* ὁ πάμμεγας, *in hoc numero Palatini Codices (& an adhuc Palatini?) non variant: nec mutem: potius Cæsarem, qui lib. 3. de bello civili cap. 53.* triginta millia *tantum habet. Id enim pro numero quatuor legionum Pompeij nimis exiguum est.*

m) *Cum in Sphacteria Lacedæmonij post magnam suorum stragem se dedidissent Atheniensibus, cuidam Atheniensium, convitiandi studio, quendam captorum interroganti: ecquid viri fortes fuissent illi, qui ex eorum numero mortem oppetiissent? is non inscite respondit:* πολλοῦ ἂν ἄειν εἶναι τὸν ἄτρακτον (λέγων τὸν ὀϊστὸν) εἰ τοὺς ἀγαθοὺς διεγίγνωσκε: atractum (ita sagittam vocabat) magni hercle faciendum fore, si qui fortes essent discernere potuisset. *id dicens quemcunq; fors in sagittas aut lapides intulisset, periisse. Hæc Thucydides lib. 4. pag. 180. a. Queat idem de Cæsaris exercitu dici, sagittis confixo. Quare fortitudinem militum, quæ ex universorum clade non nisi obscure & qualitercunque patescit, è* singulorum *factis clarius demonstrandam putavit autor.*

n) *Vtrumque exemplum autor videtur esse mutuatus ex Valerio Maximo, lib. 3. c. 2. exemp. 22. & 23. qui tamen in nominibus variat. Nam* M. Cæsium Scævam, *&* C. Atilium *dicit, qui nostro, fortassis inde corrigendo, sunt* Cassius Scæva, *&* C. Acilius. *Quanquam* Acilium *etiam in Valerij codice veteri m. s. haberi testatur Pighius in notis ad illum autorem. Nec aliter Plutarchus in Cæs. pag. 715. a. b.*

o) *Plutarchus in Cæs. p. 715. b. habet* centum & triginta: *totidemque Cæsar ipse lib. 3. de bell. civil. c. 53. Appianus tamen cum autore nostro consentit.*

Verum quicquid sit, in parvo est. Ipsum hoc Scævæ facinus celebrat ex merito prater alios Lucanus lib. 6.

p) *Ad hunc locum illustrandum aptiora dicere nequeam iis, quæ Iul. Guil. Zincgrefius in emblematum opere suo doctissimo proponit ad emblema octuagesimum sextum. Nisi quod his addi potest exemplum insigne Flectij, arcis, urbisque Conimbricæ custodiam sibi commissam fidelissime retinentis: quod facunde narrant Lipsius in monit. & exemp. pol. l. 2. c. 3. & Mariana lib. 3 de Regis instit. cap. 13. Cui simillimum, ac geminum potius est exemplum Basilij Nicephori, apud Gregoram lib. 9, cap. 12.*

q) *Militis Atheniensis, qui in bello Persico, simili pertinacia in consectandis hostibus usus, navem onustam dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret: tum quoque amputata dextra, navem sinistra comprehendit: quam & ipsam cum amisisset, ad postremum morsu navem detinuit. Iustinus lib. 2. cap. 9. Herodotus lib. 6. cap. 114.*

r) *Clypeo propellens.* Umbo *est proprie media illa pars scuti, quæ protuberat & exseritur, cum rotundo tumore, eaque ex ferro, ut sit ad impulsum firmior. Nam quod Lipsius lib. 3. de mil. Rom. c. 2. ditiorum umbones ex auro factos, autorum quorundam locis ostendit, ea loca de inauratis potius quam totis aureis umbonibus accipienda putarim. Dictos* umbones *à Græco ἄμβωνες, docet ad Varronem divinus ille Scaliger: & Græcos Latinosque poëtas, montium eminentias iis quoque vocibus appellare demonstrat, adeoque quicquid extumidum est & prominet. Qua ratione Plinius 37. c. 6. palam & umbilicum (eam scilicet anuli vel monilis partem, cui gemma inseritur)* umbonem *vocat: & ventrem ampullarum, Plutarchus in Lycurgo, pag. 45. a. nominat ἄμβωνα. Quin & recentiores Græci, contignationem templi superiorem ac editiorem (nostris* Lettner & Porkirch*) ἄμβωνα dicunt, quod Wolfius in Zonara* ambulacrum *superius, item* suggestum *vertit. vox eo significatu etiam à Latinis sequioris sæculi scriptoribus usurpata: sed cum origine Græca sit, ἀπὸ τὸ ἀναβαίνειν haud dubie facta, Walafridus Strabo de reb. Eccles. cap. 6. absurde petito à Latinis etymo, templi Ambonem, ab ambiendo dictum existimat, quia scilicet intrantem ambit ac cingit. Adde Meursii Glossarium Græco-barbarum, & Ioan. Lydii glossas Latino-barbaras, ad Clemangem adjectas.*

CAPUT LXIX.

[a] Seditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino moverunt, [b] civilibus aliquas: sed ut celeriter ad officium 1.

cium

cium redierint: nec tam indulgentia ducis, quam auctori-
2. tate. [c] Non enim cessit umquam tumultuantibus: atque et-
3. iam obviam semper iit. [d] Et nonam quidem legionem apud
[e] Placentiam, quamquam adhuc in armis Pompejus esset, [f] to-
tam cum ignominia missam fecit: ægreque post multas &
supplices preces, nec nisi [g] exacta de sontibus pœna, restituit.

a) *Livius lib. 28. cap. 12. in laudibus Annibalis hanc præcipue numerat, quod, cum in hostium terra per annos 13. bellum gereret exercitu non suo civili, sed misto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis. ita tamen, eos uno quodam vinculo copulaverit, ut nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio extiterit, cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent.*

b) *Quod externis bellis nullæ, civilibus aliquæ motæ sunt seditiones, hæc causa diversitatis est: quia bellum civile militaris disciplinæ præcipuum venenum est: utpote in quo duces ob sceleris societatem obnoxy plerunque militibus sunt, coguntur que laxe eos habere, ne ad adversarios transeant. Exempla Tacitus habet lib. 2. Histor. capp. 29. & 56. Facit huc illud Lucani, lib. 5. v. 289.*

——P.heni mihi Cæsar in undis
Dux erat: hic socius. facinus quos inquinat, æquat.

c) *Hinc de Cæsare Lucanus lib. v. 316.*

——stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Nil metuens, ——

Quæ ad verba postrema fortasse respexit Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio, cap. 4. cujus similem huic Cæsarianæ fiduciam prædicans; cum ingens, *inquit*, seditio in exercitu exorta esset. processit nudus, campestri solo tectus, &, Percutite, inquit, me, si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite. Tunc conquiescentibus cunctis, meruit timeri quia non timuit. *Sic Alexander Magnus apud Curtium l. 10. c. 2. f. militum seditiosorum audaciam coërciturus, desilit frendens de tribunali, & in mediũ armatorũ agmen se immittit: notatos quoq;, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, 13. asservãdos custodibus corporis tradidit.* Quis crederet (*subjicit Curtius*) sævam paulo ante concioné obtorpuisse subito metu: & cum ad supplicium videret trahi nihil ausos graviora quam cæteros, tam effusam, antea licentiam atq; seditiosam militum violentiam ita compressam, ut non modo nullus ex omnibus irruenti Regi restiterit: verum etiam

cuncti pavore exanimati, attonitis similes, quid de ipsis quoque Rex statuendum censeret, suspensa mente expectarent? *Sed estne* semper, *ut Cæsarem fecisse scribit autor, ita fieri, consultum? Haud dixero. Certe Tiberius apud Tacitum, lib. 1. Annal. cap. 47. noluit ipse ire ad legiones tumultuantes.* Quod enim aliud subsidium, si Imperatorem sprevissent? *Et apud Livium, l. 3. c. 11. In tribunorum contentione cum Senatu, Consules aberant, ne cui in colluvione rerum majestatem suam contumeliæ offerrent.* Οὐ καλῶς ἔχει, μεγάλης ἐξουσίας καὶ ἀρχῆς, ὥσπερ ἰσχυρᾷ φαρμάκου δύναμιν ἐν πράγμασιν οὐκ ἀναγκαίοις ἐξαναλῶσαι: Alienum est, magnæ potestatis & magistratus, sicut validi vim medicamenti, in rebus non necessariis exhaurire: *ut judicat Cato Minor, asserente Plutarcho in ejus vita pag. 768. d. Oportet ergo Principem, ex præcepto Taciti, 1. Hist. 29.* integram auctoritatem suam majoribus remediis servare: iisque cum opus est, præsidium ab audacia mutuari, *exemplo Menij, apud eundem autorem lib. 1. Annal. cap. 38.*

d) *Hoc ipsum cum sequenti rmemate Iulius Frontinus lib. 1. strategem. cap. 9. sic extulit: C. Cæsar, cum quædam legiones ejus, seditionem movissent, adeo ut in perniciem quoque ducis viderentur consurrecturæ; dissimulato metu, processit ad milites, postulantibusque missionem ultro minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coëgit satisfacere Imperatori, obsequentioresque in reliquum operas edere. Vide reliqua capitis illius, de seditione militum compescenda.*

e) *Vrbem Galliæ Togatæ, Romanorum coloniam.* Piacenza *etiamnum hodie vocatur.*

f) *Eodem exemplo Imp. Augustus decimam legionem contumacius parentem,* cum ignominia totam dimisit, *ut scribit autor in ejus vita, cap. 24. Similia de Imp. Alexandro Severo Lampridius in ejus vita, capp. 52. 53. 54. Hic* Missionis *tria genera notanda:* Honesta, *quæ tempore militiæ impleto, emeritisque stipendiis, ab Imperatore datur:* Causaria, *cum quis vitio animi vel corporis, minus idoneus militiæ renunciatur: denique de qua hic sermo est,* Ignominiosa, *cum quis propter delictum sacramento solvitur, ac depositis armis, castris exire jubetur. Atque his talibus neque in Vrbe, neque alibi, ubi Imperator erat, morari licebat. Auctor Vlpianus l. 2. de his qui not. inf. & ex Vlpiano Modestinus. l. 8. de excusat. De hoc triplici missionis genere copiose tractant, Sigonius lib. 1. de antiquo jure civium Rom. cap. 15. P. Faber lib. 1. semestr. cap. 17. Ant. Augustinus commentario singulari ad Modestinum, De excusationibus: & præcipue Iust. Lipsius lib. 5. de milit. Rom. dial. 19.*

g) *Sumpto de nocentibus supplicio. Atqui in seditione omnes sunt nocentes: Ergo de omnibus erat sumendum supplicium. Imo vero,* in singulos severitas

Impera-

Imperatoris distringitur: at necessaria venia est, ubi totus deliquit exercitus, *inquit Seneca lib. 2. de ira cap. 10. pr. Quomodo & Lucanus lib. 5. v. 260.*

—— Quicquid multis peccatur, inultum est.

Sed nimirum per fontes hic intelligе capita seditionis & autores præcipuos, quos solos puniri, jus fasque est. Vnde apud Livium lib. 28. c. 26. cum Carthagine certaretur sententiis, utrum in auctores tantum seditionis animadverteretur; an plurium supplicio vindicanda facti exempli defectio esset; vicit sententia lenior, ut, unde orta culpa esset, ibi pœna consisteret. ad multitudinem, castigationem satis esse. *Quippe,* multitudo omnis, sicut mare, per se immobilis est. *Livius lib. 28. cap. 27. Quomodo & Cicero pro Cluentio:* ut mare, *inquit,* quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur: sic populus sua sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, attollitur. *Quod ipsum simile, Ætolus pacem impetrat apud Livium lib. 38. cap. 10. f.*

CAPUT LXX.

1. [a] Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis, summoq; etiam Urbis periculo, [b] missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in [c] Africa bello, neq; adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere: sed una voce, qua [d] *Quirites* eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit & flexit, ut ei *milites* esse confestim responderint: & quamvis recusantem, ultro in Africam sint secuti: ac sic quoque seditiosissimum quemque & prædæ & agri destinati tertia parte mutavit.

a) *Milites decimæ legionis: quorum seditione tanto magis offendebatur Cæsar, quod in plus quam alios tribuebat, ut scribit Appianus lib. 2. τῶν ἐμφυλ. pag. 486. e. Vere autem Seneca, lib. 2. de ira, cap. 30 f.* Indigna putamus, quæ inopinata sunt, Itaque maxime commovent, quæ contra spem expectationemque evenerunt. Nec aliud est, quare in domesticis minima offendant: in amicis injuriam vocemus negligentiam. *Cæterum* decumani *dicantur ad eam formam, ut* primani, secundani, *&c. primæ scilicet secundæque legionis milites. Communis enim & receptissima agnominatio legionum, à numeris fuit: numeri vero ab ordine temporis ac delectus, quo conscripta.*

b) *Honestam scilicet, quæ stipendiis emeritis, seu tempore militiæ impleto dabatur. id ordinarie viginti annorum in pedite, decem in equite fuit.*

c) Quod

c) *Quod gessit Cæsar adversus Iubam & Scipionem, qui reliquias Pompejanas recolligebant, novis insuper comparatis copiis.*

d) *Hoc est, quod Tacitus ait lib. 1. Annal. cap. 42.* Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. *Quod & Lucanus lib. 5. v. 358. expressit, Cæsarem ita loquentem inducens:*

—— discedite castris:
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.

In ejusdem rei commemoratione Dio quidem (lib. 42. pag. 237. a.) Κυρίτας, Quirites: *Appianus vero (lib. 2. pag. 486. d.) & Plutarchus (in Cæs. p. 732. a.)* Πολίτας, *hoc est,* Cives *appellatos à Cæsare milites scribunt, eadem potestate. Cives enim Romani, à Quirino,* Quirites *dicti, nec aliter in concionibus ab oratoribus appellati fuerunt. Inde Glossarium: Quirites, πολῖται ῥωμαῖοι. Ergo vox hæc Cæsaris, exauctorandi vim habet, qua se suos non pro militibus amplius, sed pro civibus tantum & privatis habere ostendit. Eadem ratione Antonius primus Flavianarum partium dux, milites prætorianos, quibus infensus erat,* paganos, *quasi non jam milites sed Quirites, nominavit apud Tacitum lib. 3. Histor. c. 24. Factum Cæsaris imitatus postea fuit Imp. Alexander Severus. Nam milites primum quidem pro concione, ex more,* commilitones *appellavit: ubi vero fremere eos, & tumultum ciere conspexit:* continete, *ait,* vocem truculentam, campo ac bellis necessariam: ne vos hodie omnes uno ore atque una voce, Quirites, dimittam: & incertum an Quirites. Non enim digni estis, qui vel Romanæ plebis sitis, si jus Romanum non agnoscitis *Cum nihilominus posset ita fremerent exclamavit:* Quirites, discedite, atque arma deponite. &c. *Hæc Lampridius in Alexandri vita, capp. 53. & 54.*

CAPUT LXXI.

Studium & fides erga [a] clientes ne juveni quidem de- [1.]
fuerunt. [b] Masintham nobilem juvenem, cum adversus [2.]
Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Jubæ regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronunciatum, & abstrahentibus statim eripuit, occultavitq; apud se diu: & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium, fasces que lictorum, lectica sua avexit.

a) *Plu-*

a) *Plutarchus in Romulo pag. 25. A.* clientes, πελάτας *vertit; & correctum ejus* patronos, προστάτας. *Moris erat antiquitus, ut provinciales & socij populi Romani in* Clientelam *sese darent proceribus Romanis, quorum ductu patrocinioq; defenderentur. Vt patet ex illo loco Ciceronis divinat. in Verrem: ubi,* Clarissimi Viri, *inquit,* nostræ civitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum, pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitia populi Rom. ditioneque essent, injurias propulsare, eorumque fortunas defendere. *De horum origine Dionys. Halicarnasseus, sub initium libri secundi. Adde Agell. lib. 5. cap. 13.*

b) *Locum hunc totum, ob ignoratam rei historiam satis obscurum, illustrat egregie Casaubonus, quem non exscribo.*

CAPUT LXXII.

11. [a] Amicos tanta semper [b] facilitate indulgentiaque tractavit, ut [c] C. Oppio comitanti se per sylvestre iter, correptoque [d] subita valetudine, [e] diversoriolo, quod unum erat, 12. cesserit: ac ipse humi ac [f] sub divo [g] cubuerit. Iam autem rerum potens, [h] quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores provexit. 13. Cum ob id culparetur, professus est palam, si [i] grassatorum & sicariorum ope [k] in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum.

a) *Plus fecit Alexander Magnus, qui non amicum, sed gregarium militem, ex frigore torpentem, & vix compotem mentis, conspicatus, ex sella sua regia exilivit, in eaque considere ac se recalfacere jussit: quamquam ipse tunc maxime admoto igne refovebat artus: ut Curtius lib. 8. cap. 4. tradit, subjicitque dictum Alexandri Magni, meliore sorte suos milites, quam Persas sub suo Rege vivere: quibus, in sella Regis consedisse, capitale foret. de quo eodem tamen Alexandro Niceph. Gregoras in fine libri 10. tradidit, ipsi in Euphrate naviganti diadema delapsum esse, quod cum nauta quidam adnatans excepisset, & quia aliter ad navem redire non poterat, capiti suo impositum, illi retulisset; homini pro ea recuperata talentum donasse: sed quia eam indigne capiti suo imposuisset, caput abstulisse.*

b) *Humanitate, lenitate.*

c) *Hunc autor supra quoque, cap. 52. inter* amicos *Cæsaris numeravit.*

ex hoc loco patet, etiam inter comites *fuisse. Quomodo & Spartianus in Adriano, cap.* 18. *pr.* amicos & comites *Imperatoris junctim ponit. De quibus accurate fuseque Cl. Salmasius ad illum locum. Est autem hæc, ea species amicitiæ, quam Aristoteles l.* 8. *Ethic. c.* 7. *κατ' ὑπεροχὴν,* secundum excellentiam *appellat, qualis inter imperantem ac subditum est, impares illos quidem: at vera amicitia inter æquales modo est. Sed nempe amicitia parem si non accepit, fecit. De his Plinius Panegyr. cap.* 85. Cum plurimis amicitiis fortuna Principis indigeat, præcipuum est Principis opus, amicos parare. *Et Helvidius Priscus apud Tacitum lib.* 4. *hist. cap.* 7. Nullum majus boni imperij instrumentum, quam boni amici. *Non enim exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt, verum amici, Micipsa judice apud Sallustium Jug. cap.* 10.

d) *Repentino morbo.* Valetudo *vox media est, aut integram, aut adversam significans: adversam tamen plerumq;, si absolute, ut hoc loco, ponitur. Ita Tacit. Agric. cap.* 43. *Aliquem visere per valetudinem. & cap.* 45 *æger valetudine,* deß Krancken pflegen. *Quintilian.* 2. *Instit.* 16. Cibi attulerunt sæpe valetudinis causas. *Ex jure multa id genus exempla Brissonius in de verborum significatione collegit.*

e) *Rob. Stephanus:* in diversorio, quod unum erat, loco cessit. *Nos Casauboni lectionem expressimus, meliorem, aut sallimur. Non enim in diversorio cessit Cæsar: sed plane ipso diversorio: quippe qui foris cubuerit. Id Plutarchus quoque confirmat in Cæs. pag.* 716. *b. addens, hanc facti sui rationem attulisse Cæsarem, ὡς τῶν μὲν ἐλλίμων ἀναχωρητέον ἐν τοῖς κρείττοσι τῶν δὲ ἀναγκαίων τοῖς ἀσθενεστάτοις:* ex honorifico loco cedendum potentibus: è necessario, ægrotantibus.

f) *Sive, ut alij, nec id male,* sub dio, *hoc est, sub cælo, sub aëre, ὑπαίθειον.* Divum, *seu* dium *dixere prisci diurnum sub cælo lumen, ἀπὸ τοῦ Διὸς: ut sit contractum δῖον ex δῖϝον, Ioviale, seu ortum à Iove. Deus quippe lux æterna est, omnisque lucis autor. Eadem ratione* sub Jove, *id est, foris, & extra tectum, dixit Horatius lib.* 1. *od.* 1. *Hinc* subdialia pavimenta (τὰ ὑπαίθεια) *apud Plinium* 36. *cap.* 25. *opponuntur* subtegulaneis, *quæ sub dio non sunt.*

g) *Seu mavis, quod Palatini meliores & alij habent,* accubuerit, *scilicet ad diversoriolum; ἐν τῷ παρασκηνίῳ, ut inquit Plutarchus citato loco, id est, sub protecto, sive suggrunda* (vnder dem vordach) *Turnebus tamen adversar.* 24. *c.* 14. cubuerit, *præfert. Norent molliculi militare Cæsaris robur, sub divo, & humi cubare nec inassueti, nec gravantis. Certe Vegetius lib.* 1. *cap.* 3. *rusticam plebem ex eo censet aptiorem armis, quod* sub divo *& in labore nutriatur. Et*

Marius

Marius apud Sallustium, Iug. cap. 85 gloriatur, humi requiescere *se, hyemem & æstatem juxta pati posse. Quid majores nostri?* Cæsari (*quod scribit ipse lib. 1. de bello Gall. cap. 36. f.*) nunciat Arioviſtus, quum vellet, congrederetur: intellecturum, quid invicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra annos quatuordecim tectum non ſubiſſent, virtute poſſent. *Sed hoc nimirum illi Germani, qui teſte eodem Cæſare (lib. 1. bell. Gall. cap. 1. & lib. 2. c. 15.) nihil rerum, ad luxuriam, adeoq; ad effœminandos animos pertinentium, inferri ad ſe patiebantur. At hodie dum non importari modo talia ſinimus: ſed & ſumptuoſiſſimis ad exteros peregrinationibus ipſi conquirimus; eſt quod metuamus, in diſcrimine patriæ defuturos eſſe viros, & hunc ad inſaniam uſq; delicia-rum exoticarum amorem nimis magno nobis conſtiturum.*

h) *Id Cæſar haud dubie fecit iſto ſine, quem ſupra diximus in cap. 23, 3. a. Eorum exempla, qui humili loco nati, ad ſummam dignitatem conſurrexerunt. Valerius Maximus, & eum imitatus Baptiſta Fulgoſius, uterque lib. 3. dictor. factorumque memorab. cap. 4. plura congeſſerunt. Hujus loci σκέμμα politicum eſt, an in magiſtratu demandando genus ſit ſpectandum, à Melch. Iunio, præceptore noſtro, pertractata, part. 1. quæſtionum politicarum, quæſt. 16. Nobis factum Stiliconis probum, cujus in laudibus hæc ponit Claudianus lib 2. v. 122.*

—— lectos ex omnibus oris
Evehis: & meritum, numquam cunabula quæris:
Et qualis, non unde ſatus. ——

Tale Bionis illud ad Antigonum: ô rex, ſagittariis ſi opus habes, non Unde ſint, interrogas: ſed ſcopum proponis, & qui tangunt, ſic & alios explora, non Unde, ſed Quales ſint. *Similime Plutarchus in Sulla*: ut venator non quærit quod tali cane natum ſit, ſed canem; & eques equum ipſum, non quod ex equo (quid enim ſi mulus ex equo natus ſit?) ita vir politicus tota via erraverit, ſi in rectore non requirat Quis ſit, ſed è quibus. *Dum nullum faſtiditur genus in quo eniteret virtus, crevit Imperium Romanum, ait Canulejus tr. pl. apud Livium lib. 4. c. 3. f.*

i) *Latronum. Et ſane tales in militiam etiam coopratos poſt Cannenſem cladem à Romanis, Zonaras tradit, tom. 2. pag. 80, 11. idemque feciſſe Imp. M. Antoninum Philoſophum, ſcribit in ejus vita cap. 21. Iul. Capitolinus. Hac ratione Theophraſtus Paracelſus approbat Magiam; & hominem pium, Dæmonis, ut latronis, opera uti poſſe aſſerit: quam recte, ipſe viderit. Sed in milite tamen, inepte religioſi quibuſdam videntur, qui nimis anxie probitatem pietatemq; requirunt. Vtinam tamen omnes requirerent! Eſſemus enim cariturí bello: quippe vix ullos tales reperturi milites: niſi fallit poëta, cujus judicio,*

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

In duce quidem certe legendo majorem aspectum habendum Peritiæ, quam Virtutis aut morum, confirmat Aristoteles lib. 5. politic. cap. 9. f. eumq; secutus Botterus lib. 10. de Illustrium statu & politia c. 1. Quod si qui neminem, nisi eundem & virum bonum, posse vincere credunt; æque delirant, ac ille magni nominis dignitatisq; vir, qui esse inventam à Ios. Scaligero quadraturam circuli, credere noluit, hoc argumento persuasus, cum minime probabile sit, id homini Hæretico datum, quod esset tot maximis viris Catholicis denegatum.

k) Πρόσεχε observa, *cur Cæsar bellum civile conflarit, ab ipsomet etiam expressam in lib. 1. de bell. civil. ubi milites pro concione hortatur, ut existimationem* dignitatemque *suam ab inimicis defendant. Quomodo & Catilina,* quod statum dignitatis suæ non obtineret, *hanc conspirandi adversus patriam se caussam habere profitetur, apud Sallustium in Cat. cap. 35. Nimirum ut Catilina, ut Cæsar essent quo volebant loco, Rempub. eversam oportuit.*

CAPUT LXXIII.

a Simultates contra nullas tam graves excepit umquam, 1.
ut non occasione oblata libens deponeret. b C. Memmii, 2.
cujus asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. c C. 4.
Calvo post d famosa epigrammata de reconciliatione per
amicos agenti, ultro ac prior scripsit. e Valerium Catullum, 3.
à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata impositam non dissimulaverat, f satisfacientem, eadem die adhibuit
cænæ: g hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.

a) *Index animi vere generosi moderatio, quam Vespasiano quoque tribuit autor, in ejus vita, cap. 14. Offensarum inimicitiarumq; minime memorem executoremve eum fuisse prædicans: Sic & Cn. Pompeius offensis exorabilis: in reconciliata gratia fidelissimus: in accipienda satisfactione facilimus, referente laudanteque Paterculo lib. 2. cap. 29. Mali illi secreto suo satiati, obscuri, eoque irrevocabiles, ut loquitur de Domitiano Tacitus in Agric. cap. 39. & 42. à quo Tiberius quoque passim in Annalibus describitur, odium recondens: unde etiam post longum intervallum, cum impetus offensionis relanguisset, tamen memoria vulnebat. Tales πικροὺς καὶ δυσδιαλύτους appellat, eosdemque describit, Aristoteles lib. 4. Ethicor. cap. 5.*

b) De

b) *De Memmij in Cæsarem convitiis, adde supra c. 49.*

c) *De hoc quoque vide in eodem capite.*

d) *Famam Cæsaris suggillantia, honoremque vellicantia maledictis, ad infamiam ejus pertinentia. Dicta* epigrammata, *quoniam prisco more statuis, imaginibus, sepulcris, Hermis subscriberentur & inscriberentur, ut brevia propter loci angustiam, sic sensu arguta. Quorum imitatione deinceps quævis alia carmina succincta & ingeniosa, Epigrammatum appellationem subiere, quod, licet non inscriberentur, formam tamen ἐπιγραφῆς convenientem haberent. Est hujus loci, Platonis illud in Minoë præceptum unumquemq; cui bona existimatio curæ est, si modo sapiat, cavere debere, ne poëticum hominem infensum aliquem habeat. Poëtæ quippe vim maximam in utramque partem, & ad laudandum, & ad vituperandum habent.* Nec ab re, — genus irritabile vatum *dixit Horatius 2. epist. 1. Quorum maledicentia tamen non semper in Cæsarem aliquem incidit. Daphidas certe cruci affixus est, quod Reges maledicis carminibus incesserit. Mævius item & Anaxandridas inedia perire coacti, quod Athenas petulanti carmine lacerassent.*

e) *Ad hunc locum illustrandum pertinent illa Plinij, lib. 36. cap. 6. Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ, in Cælio monte, Cornelius Nepos tradidit,* Mamurram, Formiis natum, Equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia. *Neque indignatio sit tali autore inventare. Hic namque est Mamurra,* Catulli *Veronensis carminibus proscissus: quem Metrodorus Scepsius, clarius quam Catullus, dixit habere, quicquid habuisset Comata Gallia: addiditque, eum primum, totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse &c. Carmina vero, quibus Mamurra Cæsarq; junctim à Catullo lacerantur & infamantur (id enim autori hic est,* stigmata imponere) *sunt in epigrammate trigesimo, cujus hoc initium est:*

Quis hoc potest videre? quis potest pati? &c.

Itemque in epigrammate 58.

Pulchre convenit improbis cinædis,
Mamurræ pathicoque, Cæsarique &c.

f) Satisfacere, *est, tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam, inquit Asconius in illum locum Ciceronis Verr. 3.* In qua civitate legatus Populi Rom. violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere. *Satisfit autem excusando, deprecando, pœnitentiam significando, jurando etiam, nolle nos dicta factave, quæ læserunt alterum. Eam in rem, autorum exempla quædam adducit Brissonius lib. 8. de formul. pag. 817. & seq. quibus hæc addantur. Senec. lib. 2. de ira, cap. 21. cui de pædagogo*

dagogo satisfactum est. Et cap. 32. quidam in balneo Catonem percutiens, ei satisfecit. Tacit. lib. 3. Annal. c. 31. satisfactum Corbuloni per Mamercum. Et l. 4. Annal. cap 26. gens culpæ conscia, ad satisfaciendum populo Rom. miserat. Ita autor noster iterum, in Tiberio cap. 27. & in Claudio cap. 38.

g) *Ios. Scaliger, qui omnes & omnia docet, hunc autoris locum minus verum, ac inter ejus παρεράματα numerandum docet in animadversionibus Eusebianis numero MDCCCCLX. quæ consulantur, unaque Casaubonus ad hunc locum.*

CAPVT LXXIV.

Sed & in ulciscendo natura lenissimus [a]: piratas, à quibus 1.
captus est, cum in [b] deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat; [c] jugulari prius jussit, deinde suffigi. Cornelio Phagitæ, cujus quondam nocturas insidias 2.
æger ac latens ne perduceretur ad Sullam, vix præmio dato evaserat, nunquam nocere [e] sustinuit, Philemonem [f] à ma- 3.
nu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam [g] simplici morte puniit. [h] In P. Clo- 4.
dium, Pompejæ uxoris suæ adulterum, atque eadem de caussa pollutarum cerimoniarum reum, testis citatus, negavit se quidquam comperisse: quamvis & mater Aurelia, & soror Julia, apud eosdem judices, omnia ex fide retulissent. In- 5.
terrogatusque, [i] cur igitur repudiasset uxorem, *Quoniam*, inquit, *meos tam suspicoine quam crimine judico carere oportere.*

a) *De hisdem autor supra quoque cap. 4. Valer. Maximus lib. 6. cap. 9. exemp. 15.*

b) *Malim, quod Palatinos codices Gruterus docet habere,* ditionem, *hoc est, potestatem.*

c) *De occisis prius quam in crucem sublatis cap. 12. lib. 3. de Cruce, Lipsium vide. Isthic enim est locus ex Plutarchi Cleomene p. 823. b. cujus vitiosam interpretationem Casaubonus in Notis ad hoc caput perstringit. Et sane Casauboni expositionem illa quoque Thucydidæ firmant lib. 7.* τάς γὰρ πρώρας καὶ τῆς νεὼς ἄνω ἐπιπολὺ κατεβύρσωσαν. *Nam & hic* καταβυρσῶσαι, non deglubere est, *sed* corio contegere.

d) *Sullæ liberto. Vide supra cap. 1, 2.*

d) *Animum induxit:* ἐτόλμα.

f) Amanuen-

f) Amanuensem *vocat autor in Nerone, cap. 44. & Tit. cap. 3. Dixerunt autem* à manu servos, *quorum manu ad scribendas literas & alia dominus utebatur.* Ingrossistas *hodie Barbari nominant. Sunt, nisi fallor, idem, qui alias &* ab epistolis, *&* à libellis, *&* ab ephemeride servi *dicuntur. Autor noster alibi omittit τὸ* servus: *ut in Aug. cap. 67.* Thallo à manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit. *Sed neque tamen hoc loco, contra consensum codicum, id recte, Torrentium secutus, omiseris. Est enim addita vox* servus, *tum ne putaretur libertus aliquis honestior (nam &* libertos à manu *fuisse, præter infinita alia, inscriptiones antiquæ probant, a Popma productæ, de operis servor. p. 46.) tum ad clementiam Cæsaris exaggerandam, quod ne quidem in servum, in quem tamen, Augusti exemplo modo recitato, plus ipsi licebat, atrocius aliquid statuendum putarit. Non assentior viro doctissimo, cui hic* servus à manu *videtur idem qui Ciceroni, lib. 3. de Oratore, est* servus ad manum. *Hesychius* ad manum *interpretatur, quæ sunt prompta & parata:* & servum ad manum, *ad multa utilem.* Καλὰ χεῖρες, *inquit,* ἕτοιμα, εὐχερῆ, ἢ ὀνῶ πρὸς χεῖρες, καὶ εἰς πολλὰ χρήσιμος ὀικέτης (der einem zur hand geht.)

g) *Ut non excarnificaret excruciaretque prius. quomodo Caligulæ non temere in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, addito præcepto:* ita feri, ut se mori sentiat. *ut scribit in ejus vita Noster, cap 30. De qua suppliciorum immanitate, memoranda collegit exempla Ph. Camerarius horar. subcis. cent. 1. cap. 48. 84. & 87. Acute Claudianus panegyr. de Consul. Mallii.*

Qui fruitur pœna, ferus est; legumque videtur
Vindictam præstare sibi ——

Brissonius de V. S. simplicem mortem *interpretatur, naturalem, quam autor noster in fine Cæsaris,* suam mortem *appellat. Sed repugnant illa ipsa exempla, quæ ibidem adducuntur. Nam Iustinus quidem lib. 44. cap. 4. sic habet:* crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. *Quintilianus autem declam. 6. sub finem:* cum venientia in patrem tela excepisset simplici tamen morte defunctus est. *Quo utroque in loco, eadem quæ in hoc nostro, significatio mortis simplicis est. Mors autem hæc non naturalis, sed violenta.*

h) *Adde supra, cap. 6, 5. De testimonij dictione adi Brissonij formul. lib. 5. pag. 511. & Pelleti forum Rom. lib. 4. cap. 13 & 14.*

i) *Inquiramus in hoc factum, prudenterne Cæsar uxorem repudiaverit adulterij suspectam. At ratio quidem illa, quam Cæsar ipsemet hic adducit, hoc*

duplici

duplici fundamento nititur : quod primum Domus principalis vitia diffunduntur in civitatem, plusque exemplo quam peccato nocent, uti Cicero lib. 3. de legibus. cap. 14. inquit: & ex prædivite πολυαναγνωσίας suæ penu, multis demonstrat Ianus Gruterus in dissertatione ad illum locum Taciti, 3. Annal. 55. Obsequium inde in Principem, & æmulandi amor validior quam pœna ex legibus. *Quod si ergo cuivis bono viro curandum, ut* careat non solum crimine turpitudinis, verum etiam suspicione, *monente Quintiliano, lib. 2. cap. 2. f. eo quod, verbis Ausonij,* parum distare videtur suspectus, vereque reus: *quanto magis erit allaborandum Viro Principi, ne quod probrum in familia sua, præcipueque conjuge, vel saltem probri suspicio, hæreat? Etenim, ut in Alexandro Plutarchus ait (p. 669. a.)* ἡ βασιλεῖα τῇ γυναικωνίτιδι συνοσεῖ: laborante gynæceo, una laborat imperium. *A gricola certe, commendante Tacito in ejus vita. cap. 19.* correcturus provinciam, à se suisque orsus, primam domum suam coërcuit. *Deinde quia imperij acre telum, præcipuumque instrumentum, Auctoritas est. at ea probris uxoriis non labefactari minuique non potest. Vere Plinius in panegy. cap. 83.* Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius, ita foris claros domestica destruebat infamia: & ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores erant. *Tales mariti, patientes adulterarum, ut olim* curucæ, *sic hodie* cuculi, *&* cornuti, *&* boni viri *dicuntur. Quorum nominum rationem Parladorius lib. 1. rer. quotid. sub initium capitis 17. proponit. Miserum autem solatium est, quod iis Ioannes Nevizanus, ICtus ille Frischlini Prisciano vapulante nobilitatus, in sylva nuptiali, lib. 4. num. 91. 92. 93. suppeditat. Nam revera,* Qui retinet adulteram, stultus est & insipiens, *ut ait Salomon in Proverb. cap. 18. v. 22. Quæ sententia licet ex glossa in textum irrepsisse putetur: citatur tamen atque probatur à D. Hieronymo in comment. ad cap. 19. Matthæi (tom. 9. pag. 56. cap.) Sane quod uxoris probrum quadantenus ad mariti quoque pertineat infamiam, quippe* qui debet esse custos pudicitiæ uxoris *ut Salvianus in libris de Gubernat. Dei scripsit, id Cæsar etiam eo demonstravit, licet testis citatus, nec ignarus uxoriæ turpitudinis, eam tamen ipse suo testimonio producere ac publicare noluit: quippe, quod habent Iurisconsulti:* Testis non cogitur allegare turpitudinem suam. *Et est perquam lepidum, quod Henricus Stephanus in tractatu parascevastico ad Apologiam Herodoti, c. 12. pag. 86. inquit:* La plus part de ceux, qui ont si bien poursuyvi leurs femmes en la Cour de Parlement, qu'elles ont esté convaincues d'adultere, qu'ont ils gaigné, si non de la moquerie? voire jusques aux petits enfans,

fans, qui disoyent, que tels & tels s' estoyent faicts declarer coquus par arrest de la Cour de Parlement.

Cæterum in contrarium eunt exempla laudatissimorum Impp. Antonini Pij, & Antonini Philosophi, in uxorum impudicitia ferenda patientium. Quibus aliqui Hadrianum etiam Imp. annumerant, moti illis verbis Spartiani in ejus vita, cap. 11. Suetonio, & aliis, qui apud Sabinam uxorem, injussu ejus, familiarius se egerant, quam reverentia domus aulicæ postulabat, successores dedit, *Verumtamen qui impudicam ibi familiaritatem intelligunt, eos multum falli, Salmasius ad eum locum ostendit. Nec etiam Antonini Pij uxorem adulteram fuisse, liquido quis demonstraverit ex illis verbis Capitolini in Anton. cap.* 3. De hujus uxore multa dicta sunt ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem: quæ iste cum animi dolore compressit. *De Antonini Philosophi tamen uxore res certior est, quam ut negari possit. Sed respondet Capitolinus in ipsius vita, cap.* 20. *Eam fuisse Principis hujus vitam, sanctitatem, pietatem, ut uxor infamis, ipsius famam decolorare non potuerit. Addit capite* 23. *de amatis pantomimis ab uxore, fuisse sermonem: sed Imperatorem hæc omnia per epistolas suas purgasse: Et cap.* 26. *eundem impudicitiam uxoris vel* nescivisse, *vel* dissimulasse. *Nescivisse, queat colligi tum ex honoribus quos vivæ defunctæq; tribuit insignes: tum quod operis sui libro* 1. *virtutes honestissima matrona dignas ei tribuit, ubi suam uxorem ait fuisse* πειθήνιον, φιλόστοργον, ἀφελῆ: *hoc est*, obsequentem marito, ejusque & liberorum amantem, simplicem moribus. *Fit autem non raro, ut vitia suorum, quæ tota cantat urbs, totaque vicinia, paterfamilias ipse aut ignoret solus, aut postremus omnium resciscat: quod etiam huic Imperatori potuit usuvenire. Lenocinium certe in uxore sua eum facere voluisse scientem prudentemque, quis credat? Sin scivit, at dissimulavit, famamque oppressit, tum obsecutus videri potest Sapientum præcepto, quod præter Senecam lib.* 6. *de benef. cap.* 32. *Natalis Comes lib.* 12. *Histor. sui temporis, pag.* 267. *expressit., cum* domesticus, *inquit*, pudor non est in conspectu omnium retegendus: id si fieri debet retegendus est apud veros amicos, cum multę sint honestę & secretę vię animadversionis in consceleratos. Ut enim quæ in pudendis corporis partibus eveniunt inflammationes, & tumores, & pustulæ, aut herniæ, non sunt omnibus ostentandæ, sed medicis tantum, aut iis, quorum cura opus sit: ita domestica mala non sunt cum omnibus communicanda, sed cum illis tantum clam, à quibus salubre consilium expetitur. *Quo facit illud Pindari*: Alienis aperire noli, quid laboris te exerceat. *Et Stobæus serm.* 110. *docet*, quod malum longe majus sit, infælicem esse consciis aliis, cum latere liceat. *Recte:*

cum latere licet: aut cum in nuda suspicione res consistit. Nam cum res certa est & manifesta, locum habet quod ex Proverbiis attulimus antea: Qui retinet adulteram, stultus est. *Sed nimirum* stultus. *malum enim vix dixero: quin potius tales cornutos, seu mavis Cornelios Tacitos,* viros bonos *appellari, superius ostendimus. Ovidius* commodos, & humanos, & simplices *vocat. Vt Artis libro 2. de Helene:*

Usa est humani commoditate viri.

Et epistola 15. Paridis ad Helenam:

Cogimur ipsius commoditate frui. *Item,*

Simplicis ut amer commoditate viri.

Cæterum facto Cæsaris illud etiam objici Senecæ queat epist. 94. Improbus est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. *Iuxta tritum istud:*

Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent.

Et vero Cæsarem aliis permultis cornua fecisse (quod proverbium, eodem sensu veteribus quo nobis usurpatum, apud Artemidorum invenio) potest ex iis constare, quæ supra cap. 49. & præcipue 50. retulit autor. Mirumq; adeo videri queat, quod, cum priscis usitatissima divortia fuerint, rarissime tamen maritum adulterum ab uxore repudiatum legamus. Est autem hæc causa diversitatis, quod, quamvis in utroque sexu adulterium omni exitio gravius crimen est, *ut inquit Tacit. 14. Annal. 64. tamen adhuc atrocius in muliere quam viro esse videtur. Nam viri adulterio, injuriam uxori fieri controversum quidem non est: sed ad neminem præterea ex tota familia, hæc injuria pertinet. Sin autem uxor pudicitiam prostituat, hoc ejus peccatum injuriarum multitudine mirum in modum excrescit: nec ad maritum solum redundat: sed pertinet etiam ad parentes, ad socerum socrumque, ad patruos & avunculos, ad patrueles & consobrinos, ad leviros, ad privignos, ad ipsius denique adulteræ natos, si quos legitimos prius ex marito susceperat. Quid, quod in ipsam quoque Rempub. graviter peccari certum est? Interest enim Reipub. non contaminari familias, nec spurios falsosque hæredes familiis, præsertim nobilioribus, supponi. nec ulla major familiis, calamitas adferri potest, quam si adulterinus partus legitimis natis commisceatur. Quamvis enim plures conjugij causæ sint: prima tamen est & præcipua, legitima proles, ac certus verusque heres. Hoc fructu cum privet adultera maritum: maritus tamen sua scortatione propriam non turbat familiam: nec uxoris suæ sanguini miscet alienum. Qua causa Magnus nostra memoria Rex Hisp. ipse licet concubinis (quas scite Zonaras à princ. tomi 3. πάρ-*

ἔργον ἐρωτικῶν ἐπιθυμιῶν appellat) haud abstinens; ut primum tamen Mar. Val. suam, publicare sese rescivit; ne regni hæres in incerto foret, eam ab se dimisit.

Denique possit alicui videri, rectius facturum fuisse Cæsarem, si Varronis præceptum observasset, ab Agellio relatum lib. 1. cap. 17. Vitium uxoris aut corrigendum, aut ferendum est. Qui corrigit vitium, uxorem commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. *Verumtamen, ut ibidem explicat Agellius ipse, hoc de iis est viciis intelligendum, quæ ferri à viro honeste possunt: & qualia exercendæ virtutis causa tulit in sua Xantippe Socrates. Vitia enim flagitiis leviora sunt.*

CAPVT LXXV.

1. Moderationem vero [a] clementiamque, tum in administratione, tum [b] in victoria belli civilis, admirabilem exhi-
2. buit. [c] Denuntiante Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui Reipub. defuissent; ipse medios & neutrius partis, suo-
3. rum sibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione [d] Pompeji [e] ordines dederat, potestatem
4. transeundi ad [f] eum omnibus fecit. [g] Motis apud [h] Ilerdam deditionis conditionibus, cum assiduo inter utrasque partes usu atque commercio, Afranius ac Petrejus deprehensos intra castra [i] Julianos subita pœnitentia interfecissent, admissam
5. in se perfidiam [k] non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamavit, [l] *ut civibus parceretur*: deincepsq; nemini non suorum quem vellet unum partis adversæ servare concessit: nec ulli periisse, nisi in prælio, reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio, & Fausto, & L. Cæsare juvene: ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant: quorum tamen & priores post impetratam veniam rebellaverant: & L. Cæsar libertis servisque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, bestias quoq; ad [m] munus populi comparatas contrucidaverat.
6. Denique tempore extremo etiam quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit, [n] magistratusque & impe-
7. ria capere. [o] Sed & statuas L. Sullæ atque Pompeji, à plebe
8. disjectas, reposuit. Ac si qua posthac aut [p] cogitarentur gra-

vius adversus se, aut q dicerentur, r inhibere maluit quam vindicare. Itaque & detectas conjurationes, conventusque nocturnos, non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet, s esse sibi notas: & acerbe loquentibus satis habuit pro concione denunciare, ne perseverarent. t Aulique Cæcinæ u crimino- 10.
sissimo libro, & w Pitholai carminibus maledicentissimis, y laceratam existimationem suam, x civili animo tulit. 9.

a) *Hinc Cæsarem* pectus ipsa mansuetudine mitius *appellat Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. ex.* 11. *Sed & Cicero summis laudibus clementiam Cæsaris extollit in orationibus pro M. Marcello, & pro Q. Ligario: quem tamen, antequam principatum esset adeptus*, tyrannum & monstrum *vocavit, ad Attic. lib. 7. epist. 19. & lib. 10. epist. 4. Quin etiam post, ejus dominandi cupiditatem opere perfectam*, patricidium patriæ *nominavit in lib. 3. Offic. At negari sane non potest, illegitime nefarieque Cæsarem dominatum invasisse, & recentiorum Politicorum vocabulo*, tyrannum titulo, *adeoque Catilina tanto deteriorem fuisse, quanto pejor existimandus est, qui facinus perpetravit, eo, qui patrare desideravit: ut inquit Machiavellus lib. 1. de Repub. cap. 10. Verumtamen in eo bene prudenterque fecit, quod inique acquisita tyrannide clementer usus est: civibus q, benevolis quam invitis ac metuentibus imperare maluit. Vt enim Cicero lib. 2. Off. scribit*, Malus custos diuturnitatis est metus: contraque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem. *Id quod Antimachiavellus copiose demonstrat l. 3. theorem. 9. Non desunt autem, qui nimiam fuisse Cæsaris clementiam, eique interitum attulisse sentiant. Quo pertinet etiam ille versus Paccuvianus, in ipsius funere decantatus; qui recitatur infra cap. 84. Quin & nostra memoria vere Magnum Henricum Gallia Regem à clementia, quod eventus docuit, inconsulta, ad ultionem hostium hoc exemplo quidam excitare conati sunt. Ea de re tetrastichon extat:*

Magna quidem in magno virtus clementia Rege:
Hostibus & semper parcere velle suis.
Sed nimia haud tuta est clementia. Curia quondam
Testis Julæi cæde cruenta Ducis.

Et iterum hoc carmen:

Ante fuit ducibus magnis clementia virtus:
Post fuit hæc virtus, extincto Cæsare, crimen.

Verum non clementia, sed quam postea Cæsar exercuit, superbia ac tyrannis, invisum ei causam attulerunt, ut sequenti capite demonstrat auctor.

b) *Tanto*

b) *Tanto id laudabilius, quanto rarius difficiliusque. Nam, ut ait Cicero lib. 4. famil. epist. 9.* Omnia sunt misera in bellis civilibus: sed miserius nihil, quam ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: ut etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda sunt. *Verum Cæsar moderate se gessit, & (quod consilium Tacitus 4. Hist. 60. Antonio tribuit)* ut initia bellorum civilium fortunæ permisit: ita victoriam ratione perfecit. *Hanc sibi communem cum Cæsare laudem optavit eximius Imperatorum Antoninus Philos. qui Cassium, Imperium invadentem, in manus sibi dari optavit, non ut interficeret: sed ut ignosceret.* Hæc enim sola, *inquiebat*, ex malis præsentibus fore utilitas, si possem re optime confecta ostendere cunctis hominibus, nos quoque bellis civilibus bene uti posse: *ut in ejus vita traditur à Dione abbreviatore Xiphilino.*

c) *Contra Cæsarem, à Pompejo, stat Solonis illa lex ab Agellio memorata lib. 2. cap. 12.* In casu civilis discordiæ qui non alterutri parti se adjunxerit, sed solitarius separatusque à communi malo civitatis secesserit; is domo, patria, fortunisque omnibus careto: exul extorrisque esto. *Hanc legem Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub. longius à fine, rationibus haud assernandis improbat. De eadem disputant in utramque partem, Bodinus l. 4. de Repub. cap. 7. Lipsius lib. 6. polit. c. 6. Toloſanus de Repub. lib. 23, 4, 5. Lambinus comment. ad Æm. Probum, in vita Epaminondæ, not. 121. Adde generatim de ἀδ' ἀφορίᾳ, seu, quam vulgo vocant, Neutralitate differentes, singulari tractatu Italico Ioannem Boterum: Ianum Gruterum discursuum ad Tacitum ultimo. Scip. Amiratum lib. 18. disc. 8. qui nobis autores uberem de hoc loco conferendi materiam suppeditabunt. Vt autem scopus extet, in quem tela dirigantur; ajo, Cæsaris consilium consilio Pompeji anteponendum, nec ipso abnuente Pompejo: qui, qua erat animi mansuetudine, nunquam ita sensurus fuerat, nisi à Cn. Domitio, trucis ingenij viro, tristem hanc in sententiam pertractus fuisset. Is enim, consultante Pompejo de mediis, ac neutram patrem sequentibus, solus censuit, eos hostium numero habendos: ut scribit autor in Nerone, cap. 2. eaque ratione hostium numerum ipse muliplicavit, imprudenter admodum: ut justa dissertatione docet Amiratus l. 13. discursuum in Tacitum, c. 4. Quod incommodum Cæsar prudenti neutrorum tolerantia declinando, moderationis laudem tulit. Porro Neutralitatem ea lege judicamus amplectendam, si disceptantium bona cum pace nobis id liceat. Deinde si ea simus aut potentia, ut neutrum victorem metuere necesse habeamus: aut cæimbecillitate, ut in partes transitio parum ad*

eas momenti, nobis ipsis vero plurimum periculi sit allatura. Ut si minutæ civitates audeant intempestive principalium armorum arbitria captare (sich in grosser Herren händel legen) *quæ sunt verba Velleii Paterculi lib. 2. cap. 50. ubi* Massilienses *ait*, exorto inter Cæsarem Pompejumque civili bello, cum Cæsarem, transitu in Hispaniam prohibere conarentur, fide meliores, quam consilio prudentiores fuisse: cum istiusmodi controversiis summorum capitum non nisi ij se debeant interponere, qui non parentem coercere possunt. *Deniqueſi periclitante alio, non nos quoque periclitemur; ejusque* ruina nos tractura *videatur, ut loquitur Tacit. in Germ. cap. 36. Hæ conditiones, ultima præcipue, cum absunt; Neutralitas, seu Thucydidæ verbo, ἡ ἀπραγμοσύνη, quam in consulta sit, in aliena imagine, sed quæ tamen nostrorum fastei temporum non absimilis est, cernere libet: ut ab isdem causis pares exitus animo præcipiamus. De Britannis ergo Tacitus Agric. cap. 12.* Nihil adversus validissimas istas gentes pro Romanis utilius, quam quod in commune non consulunt, ratus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. *Et de Græcis Demosthenes, Philipp. 3. Neque Græcia, neque barbaria, Philippi avaritiam capit. Quæ cum Græci omnes videamus; non alii legatos mittimus ad alios: sed adeo sumus amentes, ut veluti fossis ac vallo interjecto separati, nec concordiam ineamus, nec societatem auxilij faciamus: sed incrementa potentiæ Philippi secure negligamus: idque tempus, dum alius pereat, in lucro deputemus. Atqui eum, tanquam accessionem febris, etiam in illum, qui sibi procul à periculo nunc abesse videtur, invasurum, nemo est, qui nesciat. Et paulo post: Eodemque modo, quo, qui grandinem spectant, optat quisque, ne in suos agros deferatur; prohibere conatur nemo. Hæc Demosthenes Græcis suis ingerebat: sed surdis, ut dicitur, fabulam. Nam illi, ut inquit Iustinus lib. 8. c. 1.* non nisi demum à Philippo oppressi senserunt, omnibus perire, quod singuli amitterent. *Quid causæ fuit? Nimirum præter fatalem illam, similimamque nostræ, φρενοβλάβειαν, Demagogi: qui (quod & Diodotus apud Thucydidem lib. 3. p. 202. c. queritur) optime de patria sentientes traducendo, supervacuas suspiciones & odia serendo, viam servandæ libertatis omnem intercludebant. Optare fas esto, nostris abesse temporibus eos, qui contentionibus forte non ita necessariis, partim etiam ineptis, & posteritati ridendis, commissos nos, invicem exacerbant, ut (verbis Demosthenis, Philipp. 2. pag. 66. d.)* πεπραμένοι, ὑπ' ἀλλήλων καὶ πεπραμένοι, proditi alij ab aliis, & venditi, *nec enim deserti modo, paulatim dominatus externi jugum, ac apud exteros plumbei cerebri saxeique cordis im-*

dis infamiam, subeamus. Scilicet παράδειγμα *nos* non nisi contusi *sapimus: ac ne sic quidem sapimus.*

d) *Adhuc dum amici.*

e) *Militares scilicet.* die er zu Bevelchen befürdert/ kriegsbevelch vnd *charges* auffgetragen.

f) *Iam factum hostem.*

g. i.) Movere conditiones deditionis, *ipsum illud est, quod nos dicimus,* Parlamentiren. *Quod cum sit, inducia esse intelliguntur: quas perfide ruperunt Afranius ac Petrejus, Pompejani duces: dum Cæsareanos milites, (eos* Julianos *hic appellat autor) quotquot in castris deprehenderant, occidunt. Cæsar contra, milites adversariorum, qui in castra sua venerant, summa diligentia conquiri & remitti jubet. Factum magnanimum, vereque Romanum: quod facunde narrat Lucanus lib. 4. v. 169. &c. Hoc modo Scipio Africanus apud Livium lib. 30. capp. 24. & 25.* etsi non induciarum modo fides à Carthaginensibus, sed etiam jus gentium in legatis suis violatum esset: eorum tamen legatos supervenientes, incolumes dimisit, nihil nec institutis Populi Rom. nec suis moribus indignum in iis facturum sese professus. *Quippe cum vulgatum Canemistarum dicterium nondum in usu erat:*

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Quem leoninam versum H. Ranzovius lib. 6. comment. bell. cap. 11. f. hoc disticho reddidit:

Audenti violare fidem violetur & ipsa.
Fallere fallentem publica jura sinunt.

Quo pertinet l. 21. C. de pactis (ubi D. Gothofred. not. n.) & l. 6. C. commun: utriusque jud. Item illud Plauti captiv. 2, 3, 79. Fac fidelis sis fideli: *& illud Senecæ, lib. 2. de ira, cap. 30.* Non est injuria, pati quod prior feceris. *Verum tamen naturalis ratio hoc dictat, quæ vitia aut scelera in aliis damnamus, ea nos non debere imitari: nec, qui exemplo aliis esse debemus, aliorum exemplo peccare potius, quam alij nostro recte faciant, ut ait L. Quintius Cincinnatus, apud Livium lib. 3. cap. 21.*

h) *Ilergetum urbem, in Hispania Tarraconensi.* Lerida *est Vaseo. Describit eam Lucanus lib. 4. vers. 12. & seqq. In eadem urbe, patrum memoria, gessit Episcopatum optimus & doctissimus Antonius Augustinus, cui omnes non modo Iuris, sed etiam bonarum artium studiosi, tantum debent, quantum homo homini debere potest bono publico nato: ut eum laudat laudatissimus ipse Iac. Cujacius lib. 12. observat. 28.*

k) Nos

k) *Nos diceremus*, Er hates nicht können vber sein hertz bringen. *Sic supra, cap.* 74, 2. Non sustinuit ei nocere. *Sic Val. Maximus lib.* 8. *cap.* 9. *exemp.* 2. Quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit. *Et Vell. Paterc.* 2. *cap.* 86. Nemo interemptus, nisi ij, qui deprecari pro se non sustinerent.

l) *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa corona*, ob cives servatos, *ait in fine libri* 1. *de clem. Seneca. Vocem illam Cornelii Scipionis*, Malle se unum civem Romanum in bello servare, quam mille hostes perdere, *ab Imp. Antonino Pio quoque frequentatam fuisse, Capitolinus in ejus vita, cap.* 9. *scribit. Eandem Lucullo tribuit in ipsius vita Plutarchus. Quorum forsan admirationem Imp. Carolus V. in bello Africano Algerensi, non ex animi sententia successurum prælium cernens*, malle se *dixit* unum Christianum servare, quam mille Mauros, Turcas, Pœnosve occidere: *quod memorat lib.* 3. *in ejus vita Guiliel. Zenoccarus. Sed hi tamen omnes de suarum partium hominibus. Quanto vero majoris animi dictum Cæsaris est: qui civibus etiam in adversa stantibus alie parci voluit, suosque jussit iram ensis stricti victorisque reprimere ac temperare? Vox belua, non hominis est, quam Noster A. Vitellio cap.* 10. *tribuit*: optime olere occisum hostem, & melius civem.

m) *Spectaculum venationis. Adde supra, cap.* 10. 3. *a.*

n) *Proprie & distincte. Nam* Magistratus *civilium munerum sunt*: imperia *militarium.*

o) *Eo de facto, Ciceronis apophthegma memorabile Plutarchus adfert in apophth. pag.* 205. *a. & in Cæs.* 734. *e.* ὅτι Καίσαρ τὰς Πομπηΐου εἰκόνας ἀνεστήλας, τὰς ἰδίας ἔστηεν: Cæsar, dum Pompeji statuas erigit, suas stabilit: *dum scilicet eas hoc exemplo tutiores ab inimicis post mortem suam præstat. Ita M. Bruti statuam æneam apud Mediolanenses ab Augusto Cæsare non excisam, laudat in Dionis ac Bruti comparatione* (pag. 1011. *c. d.*) *Plutarchus. Cæsar hoc amplius, quod nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellavit: qua in re gravitatem, & justitiam, & sapientiam ipsius admirari se se, Cicero scribit lib.* 6. *famil. epist.* 6. *Quomodo Plutarchus in lib. de cap. ex inimic. util.* (pag. 91. *a.*) *id ipsum Cæsaris factum commendans: ne laudationi quidem, inquit, inimici parcendum est, merito suo eam reportantis. Hoc enim laudanti majorem conciliat quam laudato laudem: & cum alio tempore vituperat, creditur non odio hominis id facere, sed quia factum ejus improbet.*

p) *Quamvis alias* cogitationis pœnam nemo patitur, *ut ait Ulpianus in l.* 18. *D. de pœnis*: & neminem, qui male facere voluit, plecti æquum est,

est, nisi quod factum voluit, etiam fecerit: *ut M. Catonem sensisse refert Agellius 7. cap. 3. tamen in læsæ majestatis crimine (qualia erant in Cæsarem, ut Imperatorem ac summum Principem, suscepta) eadem severitate, sceleris voluntatem, qua effectum, puniri jura voluerunt. l. 5. C. ad L. Iuliam Majest. Quæ de re videantur plura apud Iulium Clarum lib. 5. sentent. § final. quæst. 92. vers. scias autem. Iacobum Menoch. de arbitr. judic. quæst. cas 360. num. 24. & seqq. præcipue vero Iacobum Cujacium observationum & emendationum lib. 15. cap. 25. & Radulphum Fornerium rerum quotidianarum lib. 3 cap. 17. Sed laudanda Cæsaris, pœnam hanc remittentis, moderatio.* Nil gloriosius est Principe impune læso, *ait Seneca lib. 1. de clem. cap. 20. qui & ejusdem libri cap. 9. Liviæ minime muliebre hac de re consilium, Augusto datum, exponit. Verumtamen impunitas illa tum demum habet locum, quando* gravius adversus Principem cogitata, *(insidias & conjurationes ita Noster hic appellat) quod à Cæsare factum dicit autor,* inhiberi *possunt, ne deducantur in effectum. Alias locum habet illud Tyronis apud Agellium, 7. cap. 3.* Injurias imminentes præcavisse, justum est magis, quam expectavisse. Summa enim professio stultitiæ est, non ire obviam sceleribus cogitatis: sed manere oppeririique: ut, cum admissa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi, quæ facta, infecta fieri non possunt, puniantur. *Duriuscule, & prope dixerim inique, apud Bodinum lib. 2. de Repub. cap. 5 Senatus Parisiensis, virum quendam nobilem, cum Franciscano monacho religiose confessus esset, aliquando in animo sibi fuisse, ut Regem Franciscum I. occideret, pœnituisse autem se illius consilii: cumque data & imposita illi de more pœnitentia, à Confessario absolutus quidem, sed ad Regem delatus esset, ultimo supplicio jussit affici. Quomodo & Henricum Francisci Regis filium Capito furiosissimus homo, cum occidere* velle *videretur, & in eum ensem exeruisset, capitis pœnas dedit: tametsi furiosum hominem ubique leges à pœna excusant: cum ipso furore plus satis torqueatur. Ideoque Imp. Hadrianus talem cum gladio in se irruentem non modo non punivit: sed & curandum medicis dedit: teste Spartian. in ejus vita, c. 12. Iuste tamen Petrus Barierius ad supplicium tractus est, detectus indicio Monachi cujusdam Iacobini, cum propositum suum de nece Regia procuranda sacramentaliter confessus est; nec, ut mentem mutaret, à Monacho illo adduci potuit: ut testatur autor Torturæ Torti, exactissimæ doctrinæ ac diligentiæ scriptor, pag. 293. &c. ubi, Secretum etiam Confessionis in hoc casu detegi posse, rationibus & exemplis ostendit.*

q) *Prudentem hanc sive patientiam seu moderationem, tribuit Autor etiam Augusto, cap. 51. Tiberio cap. 28. Neroni cap. 39. Vespasiano cap. 13. Quibus in locis ea de virtute plura forte dicemus. Nos homulli nostram pusillanimi-*

tatem, ac nostræ sortis humilitatem, ea re prodimus, quod obtrectatorum sermunculis, aut judiciis offensi, cœlum terræ miscemus. Spernunt principes illi magnanimi, & sciunt, Nullum esse argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigentur, accidere. *Senec. &c. Lips. monit. 202. f.*

r) *Optima ratio cavendarum conjurationum, si Princeps, eas* esse sibi notas, *aut vere ostendat: aut etiam simulet. Nam ut primum emanasse consilia sua, conjurati vere falsove putant, ea abjiciunt,*

—— inque pedes cunctis mens decidit imos.

Quam in rem illustre est exemplum Harmodij & Aristogitonis, apud Thucydidem lib. 1. & 6. Dionysii Siciliæ tyranni, ap. Plutarch. in apophtheg.

s) *Hunc, propter librum scriptum adversus Cæsarem, exilio mulctatum fuisse, patet ex ipsius epistola, quæ est inter Ciceronis familiares lib. 6. epist. 7.*

t) *Criminationibus & maledictis in Cæsarem pleno.*

u) *M. Otacilii Pitholai meminit & Macrob. lib. Satur. 2. c. 2.*

x) *Æquo, remisso, moderato: non impatientius aut insolentius, tanquam superior civibus: sed iis par. Quæ de* civilitate *docte ad hunc locum Torrentius, & ad Aug. cap. 51. Casaubonus annotant, iis addantur hæc exempla. Sermo Tiberij in Senatu* percivilis. *Sueton. Tib. cap. 28.* Civilis animi *fidem non facit Tiberius. Tacit. 1. Annal. 72. Displicent regnantibus* civilia *filiorum ingenia. Idem. 2. Annal. 82. Imperator Hadrianus in colloquiis etiam humilimorum* civilissimus *fuit. Spartian. in ejus vita, cap. 20. Imp. Antonini Pii* civilitatis *præcipuum argumentum est, quod joca semper patienter accepit. Capitolin. in ejus vita, cap. 11. Cœnare* civiliter, *apud Iuvenalem satyr. 5. v. 112. est, eodem cum cæteris convivis pane, communibus epulis & indiscretis uti: non, tyrannico aut regio more, melioribus aliis: qualem civilitatem in Cæsare supra laudavit autor cap. 48. Observo similem vocis usum apud Græcos: ut Niceph. Gregoram lib. 5. cap. 6.* πολιτικῶς καὶ μετρίως ἐνεγκεῖν εὐτυχίαν: civiliter *& moderate ferre felicitatem. Sed & nostro idiomate,* Ein Bürgerlicher Mann / *est is, qui non intolerantius se jactat; nec æquabilitatem communis juris, præstantia dignitatis aut fortunæ suæ transit; ut loquitur in libb. de Orat. Cicero.*

CAPUT LXXVI.

[a] Prægravant tamen cætera facta dictaque ejus, ut & 1.
[b] abusus dominatione, & [c] jure cæsus existimetur. [d] Non e- 2.
nim honores modo nimios recepit, ut [e] continuum consulatum, [f] perpetuam dictaturam, [g] præfecturamque morum, insuper [h] prænomen imperatoris [i] cognomen patris patriæ,

statuam

k statuam inter reges, l suggestum in m orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia & pro tribunali, n thensam & o ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta Deos, p pulvinar, q flaminem, r Lupercos, appellationem s mensis è suo
3. nomine. Ac t nullos non honores ad u libidinem cepit, &
4. dedit. Tertium & quartum consulatum x titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum consulatibus simul: atquey utroq; anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses: ita ut z medio tempore comitia nulla habuerit, præter tribunorum & ædilium plebis: præfectosque pro prætoribus constituerit, qui aa præsente se res
5. urbanas administrarent. Pridie autem Kalend. Januarias repentina consulis morte bb cessantem honorem in paucas
6. horas cc petenti dedit. Eadem licentia, spreto patriæ more,
7. magistratus dd in plures annos ordinavit. Decem ee præto-
8. riis viris ff consularia ornamenta tribuit. Civitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum gg recepit in curiam.
9. Præterea monetæ, publicisque vectigalibus, hh peculiares ser-
10. vos præposuit. ii Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium kk Rufini liberti sui filio, exoleto suo, demandavit.

a) *Nota*, prægravare, *neutraliter & absolute positum, pro, præponderant, præpollent, graviora sunt*, wegen vor. *Magnæ virtutes in Cæsare, sed majora vitia fuerunt.* μεγάλαι φύσεις μεγάλας κακίας ἐκφέρουσιν, *ait alicubi Plato.*

b) *Adeo proprium Regni est, depravare. Vespasianus solus omnium ante se Principum in melius mutatus est, ait Tacitus* 1. *Hist.* 50. Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis convulsus & mutatus est. *Idem*, 6. *Annal.* 48. *Qui &* 13. *Annal.* 29. Vannium *scribit* prima imperii ætate popularibus acceptum clarumque, mox diuturnitate in superbiam fuisse mutarum. *Nec isti modo: sed* ὡς τὰ πολλὰ οἱ ἐγκρατεῖς γινόμενοι τῶν πραγμάτων, μεγαφρονοῦσιν: ut plurimum illi, qui rerum potiuntur, insolesunt: *ut inquit alicubi Demosthenes.*

 c) For-

c) *Formulam hanc,* Jure cæsum videri, *è XII. tabulis deducit, & exemplis illustrat Brissonius lib. 5. de form. pag. 538. & seq. Caterum juste nec ne, fuerit interfectus Cæsar, justis duabus contrariis orationibus disquirit Herm. Kirchnerus, volum. 1. orat. 21. & 122. è quibus, pedem nobiscum collaturi, tela petent, in hunc scopum dirigenda:* passionem justam, actionem injustam videri.

d) *De his nimiis & aliis honoribus admissis à Cæsare, operæ pretium est, adire Dionem lib. 44. & Appianum lib. 2. bell. civil.*

e) *Consulatus alioquin annuus erat: & eundem magistratum annali lege nemo capere poterat, nisi anni decem intersuissent: ut docent Cicero lib. 3. de legibus, & Livius 7. cap. 42. Quippe* nihil tam utile, quam brevem potestatem esse, quæ magna sit: *ut inquit Latro apud Senecam Rhetorem, 7. controv. ult. seu, verbis Livii, 4. cap. 24.* Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.

f) *Dictaturæ spatium per leges aliàs semestre tantum fuit: ultra vero prorogatum, non potuit non invidiosum esse Cæsari.* Erat enim ea vera tyrannis, quum ad potestatem absolutam accessisset perpetuitas. *Plutarch. in Cæs. pag. 734. c.*

g) *Censuram, seu potius Censuræ partem illam quæ fuit in corrigendis moribus occupata.* Præfectus moribus, magister veteris disciplinæ. *Cic. pro Cluent. cap. 46. f. Adde Plin. panegyr. cap. 45. & ibi Lipsi. not. 422.*

h) Imperatoris *vox vel in genere quemvis belli ducem significat: vel honoris causa, victori, legitimo hostium numero cæso, titulus hic est communicatus à militibus, aut Senatu, præsertim adhuc libera & stante Repub. Romana: quæ cum in Principatum mutaretur, Principes, ut reliquos honores, sic & hoc nomen, in se traxerunt paucisque & fere non nisi ex gente Augustæ, postea concesserunt. Ex Tacito, 3. Annal. 74. discimus, Tiberium Imperatoris nomine insigniisse Blæsum; eumque è privatis postremum, id est, ut postinde soli Principes eo titulo sint usi, nemini ultra concesso subditorum. Quanquam Casaubonus ex Appiano notavit, eum honorem sub Adriano adhuc, privatis exercituum ducibus non penitus ademptum: difficiliorem tamen ad eum aditum relictum fuisse.* Dignum autem est observatu, *quod accuratissimus Lipsius not. 173. ad Tacit. 3. Annal. scribit, in nummis & inscriptionibus animadvertisse se, titulum Imperatoris, cum Principi est, præponi; cum victoris, subjungi. hoc modo.* Imp. Cæsar Augustus &c: *Contra,* Junius Blæsus Imp. M. Tullius Cicero Imp. *Hoc scilicet est, quod autor noster hic ait, Imperatoris* prænomen *Cæsari tributum: à quo deinceps in omnes successores fuit propagatum. Nec nomen tantum Imperatoris, ut & perpetui Dictatoris: sed & rem ipsam iis nominibus significatam, absolutamq; potesta-*

potestatem obtinuit. Vt proinde nonnulli minus recte videantur Augusto, non Cæsari, primum inter Impp. Romanos locum assignare: eo quod (ut Zonaras tom. 1. pag. 4. & seq. scribit) Cæsar μὴ καθαρῶς, non pure & omnino summum imperium tenuerit: Augustus autem ἀκεραίαν μοναρχίαν, certam ac minime dubiam, appellatione cum re consentientem Monarchiam instituerit. Imo contra, Cæsar aperte Monarchiam statim exercuit: Augustus autem, ut ex initio lib. 1. Annal. Taciti constat, paulatim *insurrexit, & tanquam vetere Repub. suam consulibus, suam prætoribus speciem reliquit.*

i) *Hanc patris patriæ appellationem primus Cicero meruit. Quapropter Plinius 7. cap. 30. eum ita salutat:* salve primus omnium parens patriæ appellate. *Sed ille nimirum ob ereptam ex conjuratione Catilinæ Rempub. Cæsar ob eversam: quia τὰ αὐτὰ καὶ δεδιότες φοβίζονται, καὶ φιλοῦντες: eadem & timentes decernunt, & amantes: ut ait Plutarchus in Demetrio.*

k) *Eas Regum statuas in Capitolio fuisse patet ex Plin. 33. c. 1.*

l. m.) *Pulpitum quoddam eminentius, eo Theatri loco, in quo Senatus spectabat. De* suggestu, *videatur omnino Lipsii amphitheatrum cap. 11. & de* orchestra *cap. 14.*

Nam Patres cæteri sella curuli sunt usi.

n. o.) *Vt* thensa *sacrum vehiculum, sic* ferculum *istius vehiculi pulpitum erat, cui deorum semideorumq; (ut hæc Cæsaris) simulacrum imponebatur. Hæc & picta, & descripta exhibet Onuph. Panvinius de ludis Circens. lib. 2. c. 2.*

p) *Pulvinaria in templo erant lectuli diis dicati, in quibus illorum simulacra reclinari solebant.*

q) *Sacerdotem. Cicero Philippica 2. taxat Antonium, quod flamen Cæsaris fuerit.*

r) *Sacerdotes Panos, pastorum Dei, qui Lupercaliorum die (mense Februario) nudi per urbem cursitabant.*

s) *Iulii, qui antea Quintilis à numero vocabatur.*

t) Nullos non, *hoc est, omnes. Sed cur adeo aspernantur vulgatum illud, &, Grutero teste, in quibusdam è Palatinis codd. extans,* non nullos? *Certe non omnes honores cepit deditque Cæsar, sed quosdam. quinam autem? i sequentibus periodis explicat autor: quarum hæc, tanquam Propositio est.*

u) *Pro libitu & arbitratu suo.*

x) *Vt administratione abstineret.*

y) *In tertio scil. & quarto consulatu suo.*

z) Μεταξὺ, *interea, eo biennii spatio.*

 aa) *Sub-*

aa) *Substituenda, judicio etiam Casauboni, emendatio Torrentii,* absente se: *aut quod Lipsio 2. Elect. 76. placet,* pro se.

bb) *Vacantem consulatum.*

cc) *Caninio Rebilo: ut tradit autor in Ner. cap. 15. quo loco ea de re plura dicendi forsan erit occasio.*

dd) *In quinquennium, ut patet ex Appiani lib. 2. bell. civil, pag. 509. b. Id decretum imitari voluit Gallus apud Tacitum, 2. Annal. 36.*

ee) *Olim praetura functis,*

ff) *Insignia, quibus Consules aut Consulares ornari solent.*

gg) *Senatores fecit.*

hh) *Servos suos proprios, & non publicos, ut exponit Turneb. adverss. l. 2. cap. 27. Adde Popmam de operis servorum, pag. 27.*

ii) *De hisce vide Lips. not. 11. ad Tacit. 2. Hist.*

kk) *Turnebus 24. adverss. 14. ita maluit, quam* Rufioni *aut* Rufioni, *quod in vulgatis & Palatinis est.*

CAPVT LXXVII.

Nec minoris [a] impotentiæ voces propalam edebat, ut [b] T. Ampius scribit: [c] *Nihil amplius esse Rempub. appellationem modo, sine corpore, ac specie.* [d] *Sullam nescisse litteras, qui Dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac* [e] *pro legibus habere quæ dicat.* 1. Eoque arrogantiæ progressus est, ut haruspice tristia & [f] sine corde exta g sacro quodam nunciante *futura* diceret *latiora, cum vellet:* [h] *nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.* 2.

a) Impotentia *non est, quod hoc loco videtur Beroaldo & Sabellico, nimia & immodica potentia: sed effrænata immodestia, & protervia, quando quis fortunæ secundantis elatus aura, sui ipsius non bene potens, linguæ, manibus, affectibus suis moderari nescit.* ὕβεις *Græci proprie dicunt. Ita Livius 3. c. 38. superbos violentosq. Decemviros,* impotentes dominos *appellat. Ita Cicero, 4. Tusc.* animi impotentiam *& superbiloquentiam conjungit; ut affinia. Tacit. in Germ. cap. 36. Inter* impotentes *& validos falso quiescas: ubi manu agitur,* modestia (*oppositum impotentiæ vide*) *& probitas, nomina superioris sunt. Ita, Vellejo præcone, lib. 2. cap. 29. Pompejus* potentia *sua nunquam ad* impotentiam *usus est. Aliter quam illæ matres apud Senecam, quæ* potentiam *liberorum muliebri* impotentia *exercent, Consul. ad Helv. cap. 4.*

b) *Mire*

b) *Mire fluctuant ut plurimum in propriis nominibus codices autoris nostri.* *Reperias enim hic*, T. Amprius, T. Amplius, Lampirius *Visino placet* Tampius. *Sic enim esse tum in vett. codd. tum in antiquis inscriptionibus, itemque Tampia familia denariis. Qui denarii tamen, ipsaque familia Tampia, in ipsius de familiis Romanis opere, nusquam, quod sciam, comparent. Et inveniantur in inscriptionbus* Tampii: *quid tum? inveniuntur &* Ampii. *Certe nostrum* T. Ampius, & *Grutero placet, cujus autoritas mihi pro ratione est: & extat apud Ciceronem quoque, 1. fam. epist. 3. item 8. ad Attic. epist. 13. ipsumque Cæsarem lib. 3. de bell. civ. cap. 103.*

c) *Cicero lib. 5. de Repub.* (*citante D. Augustino lib. 2. cap. 21. Civit.*) nostra, *inquit*, ætas, cum Remp. sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit: sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus & extrema tanquam lineamenta servaret. *Possit id idem videri cum iis, quæ dicit hoc loco Cæsar.* *Verum in eo discrepat, quod Ciceroni de moribus institutisq; Cæsari vero de ipsa Resp. forma mutata, sermo est. Interim locus ille Ciceronianus facit ad infirmandam conjecturam Cæsauboni, qui hic pro* ac specie, *inclinat ut leget*, ac re. *Nam quæ Ciceroni* forma, *hæc autori* species *est. Adeo, inquit, evanuit Respub. ut non dico* corpus, *sed ne* corporis *quidem* species *aut umbra reliqua sit. Quomodo idem Cicero lib. 4. epist. 16. ad Attic.* Amisimus omnem non modo sanguinem ac succum: sed etiam colorem ac speciem pristinam civitatis. *Porro cum hic, tum alibi, speciatim & absolute* Respublica, *Democratia dicitur: eo quod in illa cuncta maxime publica, hoc est, populica seu communia sint: universique cives, æqua inter se ratione, jus publicum sint partiti. Quam juris communionem, unaq; libertatem, Cæsar, omni potestate in se unum translata sustulisse se, jam gloriatur.*

d) *Sallustius Iug. c. 95. L. Sullam litteris Græcis atque Latinis juxta, atq; doctissime eruditum fuisse, tradit: libroſque rerum ab se gestarum composuisse, patet ex Agellio 1. cap. 12. & Plutarcho in Sylla, pag. 475. a. Qua ergo ratione litteras eum ignoraſſe Cæsar ait? locus nimirum est, explicatus à Sabellico & post eum Turnebo lib. 3. adversar. cap. 22. Nam Cæsar alluſit ad litteratores & Grammaticos, qui* dictant, *quomodo sit scribendum, quomodo loquendum: &* dictata dare *dicuntur* (*Adde supra cap. 26, 8. e.*) *Ex quo litteratores,* Dictatores; *eorumque professionem,* Dictaturam *appellare quæsa. De Sulla sic res habet, ex Appiano, Plutarcho, aliis. Potitus rerum post debellatam Marianam factionem, Dictaturam, alioqui semestrem, ad annos centum atque viginti* (*quid*

hoc

hoc nisi perpetuam?) senatusconsulto sibi decretam suscepit. Et tamen post innumerabiles cives peremptos atque proscriptos, post exhaustam cædibus urbem, in publicum progressus, populo & patribus nihil tale expectantibus, media concione virgas & secures fregit: lictores & corporis custodes ab se dimisit: adeoque Dictaturam ultro deposuit: id eo consilio se facere professus, ut privatus, omnium quæ in Repub. egisset, rationem redderet. Satis constat, eum in ordinem redactum, domumque se recipientem, adolescentis convitio exceptum: nemine interea reperto, qui illius intemperiem castigaret. Tulit Sylla patienter ætatis impotentiam. Cæterum ubi domum ventum est; ad suos conversus, intempestivam illam insectationem in causa fore dixit, ut, quicunque post se summam illam dignitatem obtineret, nunquam nisi cum morte deponeret. quod haud multis inde post annis in Cæsare evenit. Athenienses apud Thucydidem, lib. 1. pag. 51. cur summum Græciæ imperium retineant, triplicem causam exponunt: utilitatem *primo: dein* honorem: *denique* metum, *ne remisso imperio, sese periculis exponerent: cum, ut ait Phalaris in quadam epistola, periculosius sit, deponere principatum, quam occupare. Iisdem rationibus usus Mecænas apud Dionem l. 52. pag. 544. a. b. Augusto suadet, ne se Imperio abdicet. Dionisii quoque Siculi vox celebatur, à Livio recitata, lib 24. cap. 22.* Pedibus tractatum, non insidentem equo, relinquere regnum oportere. *Sane præter Diocletianum, & Herculejum, & paucissimos alios, qui ultronei principatum deposuerint vix ullos numerabis. Quod si quis etiam hodie, consentientibus Ordinum suffragiis oblatum sibi regnum regnique titulum abiicere recuset, quid mirum? Iacet? surgere potest. Amisit omnia? reciperare potest. Modo spiret adhuc, animamq; trahat: tantum abest, ut victus sit: etiam potest vincere. Profecto vicissitudinis rerum humanarum non bene memores sunt, qui jacenti tam impotenter insultant: ac ne cognato quidem sanguini, nulla provocati injuria, parcunt.* Mars communis, sæpe spoliantem jam & exsultantem evertit & perculit ab abjecto: *quod testatur cum experientia Cicero pro Milone, c. 21. respiciens, opinor, ad illud Homeri, lib. 18. Iliad. vers. 309.*

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα.

e) *Principio rerum*, arbitria Principum pro legibus fuisse, *scribit Iustinus lib. 1. cap. 1. Verum id eo nimirum tempore, cum jus, bonumq; non legibus, sed natura valeret, ut ait de veteribus Romanis Sallustius Catil. cap. 9. Vbi vero flexu sæculorum, ad nimiam improbitatem, imperantjum parentiumque mores*

mores incubuere; legibus utrorumq; nimiam licentiam coërcere necesse fuit: in quibus salutem civitatis esse sitam, Aristoteles 1. Rhet. 4. affirmat: qui idem lib. 3. politic. cap. ult. Regem una cum Lege imperare debere, multis contendit. Eamq; gubernandi rationem præstantissimam judicari, colligitur ex eo, quod non facile regnum invenias, in quo arbitria Principum, ex æquo bonoq;, sine scriptis legibus judicantium, pro legibus admittantur. Etenim, verbis ac judicio Platonis in Politico (tom. 2. pag. 302. E.) ἄνομος μοναρχία, χαλεπὴ, καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι: illex Principatus molestus est. & cui haud facile subsis. *Quippe magnum periculum est, ne, cui licet facere, quod vult; velit, quod non debet. Plutarch. in comment. ad Princip. indoct. Nec nisi pessimis Imperatoribus, sine fine dominatio placet. Tacit. 4. Hist. 8. Equidem Vlpiani dictum illud, in l. Princeps. ff. de ll.* Principem legibus solutum, *& alterum istud, cum hoc Cæsaris pronunciato plane congruens, in l. 1. D. de constit. Princ.* quod Principi placuit, legis habere vigorem, *aliqui Gnathones aulici late nimis extendunt: nec tamen unquam Germanis persuadere potuerunt, ut arctum huncce* παμβασιλείας *ac dominatus absoluti calceum aptari sibi sinerent.* Nec regibus infinita aut libera potestas, *inquit de priscis illis majoribus nostris Tacitus Germ. cap. 7. Adde Cæsarem, 5. bell. Gall. cap. 27. De sequioris seculi Germanis, pretium operæ sit, videre masculam orationem, quam Statuum utriusque Saxoniæ & fœderatorum Principum Legati habuerunt ad Imp. Henricum IV. apud Lambertum Schafnaburgensem, in scriptoribus German. à I. Pistorio editis, pag. 193. Vnde mirari subit, quid in mentem nuper venerit Argenidis autori præclarissimo, quod Merganiæ (Germaniam transpositis litteris accipe) motuum præsentium causam præcipue confert in illam Ordinum Imperii nimis opinione sua liberam hæreditariamque potentiam. Satyræ suæ pristinæ memor, potius dixisset Gephyrios suos, & Poimenarchas, & Acignios, avaritia, ambitione, fælicis per tot sæculorum decursum fabulæ sacræ nunc proditæ dolore furibundos, ipsissimum hujus mali fontem: addidisset Melandrios, qui dum oculos adjiciunt Orbis terræ imperio,* neque ipsi quiescunt, neque alios quiescere sinunt: *quod olim de Atheniensibus Corinthii questi sunt apud Thucyd. lib. 1. pag. 47. p. Sed bene tamen speremus solemurq; nos illo cornicis, in Domitiano Suetonii, cantu, quæ*

Est bene, non potuit dicere: dixit, Erit:

Vel potius illo Poëtæ nescio cujus:

Israele sat edomito cœlestibus armis,
Atæ Edomæon agent ὅρκον ἐς ἀΐδιον.

f) *Plinius lib. 11. cap. 37. post med.* Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis cor defuit. Unde quæstio magna de divinatione argumentantibus, potueritne sine illo viscere hostia vivere: an ad tempus amiserit? *Ea de quæstione, eodemq; de Cæsaris ostento, Cicero lib. 1. de divin. c 52. hæc habet:* Hoc posito atque concesso, esse quandam vim divinam, hominum vitam continentem: non difficile est, quæ fieri certe videmus, ea qua ratione fiant, suspicari. Nam & ad hostiam deligendam potest dux esse vis quædam sentiens, quæ est toto confusa Mundo: & tum, ipsam cum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut supersit. Parvis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. quod ne dubitare possimus, maximo est argumento: quod paullo ante interitum Cæsaris contigit: qui cum immolaret, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes, ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? qua ille rei novitate perculsus, cum Spurinna diceret, timendum esse, ne & consilium, & vita deficeret: earum enim rerum utrumque à corde proficisci: postero die caput in jecore non fuit. quæ quidem illi portendebantur à diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Cum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequiret; intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint interisse. *Adde Valer. Max. lib. 1. cap. 6. exemp. 13. Capitolin. in vita Pertinacis, cap 14. De extorum inspectione, cum cura differit Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 5. cap. 25.*

g) *Hoc est, in* sacrificio quodam, *plane sensu. Nam Torrentii lectio,* exta sacra quondam &c: *minime probabilis.*

h) *Acumen dicti consistit in ambiguitate phrasews,* Cor deesse. *Cum enim veteres, ut in citato paullo ante loco Plinius, & alij, mentis sedem in corde collocaverint (quod tamen secus esse constat) factum est, ut* cor *pro* mente *sive* animo *quoque sumatur. Vnde dicti* cordati: *& his contrarij* væcordes, *&* excordes. *Corde ergo, seu mente, bruta destitui, non mirandum Cæsar ait. Ejusmodi elusione prodigii M. Cato fuit usus, ut Plutarchus in apoph. tradit. Cuidam enim mane caligas suas à muribus arrosas videnti, eumque sollicite, quid mali portenderetur, interroganti respondit: non esse hoc ostentum, quod mures arroserunt caligas: sed si caligæ mures ipsos arrosissent, id demum ostenti loco ducendum. Ibidemque de Leotychida, Aristonis F. tradit idem autor, quod cum propioris portæ pessulo, seu vecti se circumplicuisset anguis, idque ostentum*

esse

esse vates dicerent, responderit: non sane hoc mihi videtur: verum si pessulus anguem circumplicuisset, id demum ostentum esse putarem.

CAPUT LXXVIII.

1. Verum præcipuam & [a] inexpiabilem sibi [b] invidiam hinc maxime movit: Adeuntes se cum plurimis honorificentissimisque decretis [c] universos [d] patres conscriptos [e] se-
2. dens [f] pro æde [g] Veneris Genitricis excepit. Quidam putant retentum à [h] Cornelio Balbo, cum conaretur assurgere: alij ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem [i] C. Trebatium, ut assurgeret, [k] minus familiari vultu respe-
3. xisse. Idque factum ejus tanto intolerabilius est visum, quod ipse [l] triumphanti, & [m] subsellia tribunitia [n] prætervehenti sibi, unum è [o] collegio [p] Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus sit, ut proclamaverit, [q] *Repete ergo à me Aquila Rempub. tribunus*: & nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione polliceri, *si tamen per Pontium Aquilam licuerit.*

a) *Alii*, exitiabilem.

b) *Odium.*

c) *Quod* universitati *debetur*, singulis *non debetur, ut est in l. 7. §. 1. D. Quod cujusque universit. nom. l. 10. §. 4. D. de injus vocando, & l. 6. §. 1. D. de ver. divis. Ex quo, libertum, syndicum, advocatum, soli civitati, corpori & collegio honorem debere; & singulis jure resistere. eosq; impune offendere, docet Vlr. Zasius in d. l. 10. §. 4. n. 6. circa fin. D. de injus vocando. Par ergo fuerat, uti si singulos è Senatu non dignabatur honore cultuque Cæsar (quomodo tamen Imp. Tiberium Consulibus assurrexisse, & decessisse via, scribit autor in ipsius vita, cap. 31. Imo Imp. Augustus Patres salutavit sedentes, ac nominatim singulos: & discedens, sedentibus singulis valedicebat, eodem teste, cap. 53) saltem* universis *Senatoribus ad se venientibus assurgere ne gravaretur. Erat enim hoc officium, ex eorum genere, quæ non modo nullo pretio constant (*erout *Euripides in Hippol.* Affabilitatem lucrum minimo impendio quæsitum *appellat: & Magnus ille Rex Galliarum, Henricus IV. dicere solitus est:*

Courtoisie en bouche, & main au bonnet,
Ne couste rien, & bon est)

Verum etiam omnibus amabilem atque percharum efficere potuisset: ut contra superbe sese inhumaniterq; gerentes, non sine imperii persæpe vitæque discrimine, cunctis exosi fiunt ac detestabiles. Adeo falsum est Philonis illud Iudæi, contra Flaccum: Ἄρχοντι λυσιτελέστατον ὁ τύφος: utilissimus imperanti, fastus. *Inprimis vero novum auspicantes imperium humanitatis artibus ejusmodi grassari, nec titulorum, aliarumque rerum externarum insolentia subditos adempta libertatis admonere: sed, quemadmodum Magnus ille Dux Etruriæ Cosmus dictitabat, satis habere debere, quod possint facere, demonstrant Amiratus lib. 1. disc. 1. & lib. 17. disc. 4. Clapmarius de arcan. Imperij, lib. 6. cap. 9. & alibi sæpius.*

d) *Senatores Romani cur* Patres, *iidemque* Conscripti *fuerint appellati, docent, istud Sallustius in Catil. cap. 6. hoc Livius lib. 2. cap. 1. f.*

e) *Cum assurgere debuisset. quod honoris genus antiquissimum esse, vel Homeri locus arguit, Iliad. á. v. 533.*

Surrexere dei propriis de sedibus omnes,
Et summum solito regem venerantur honore:
Nec quisquam mansit Iove prætereunte quietus:
Sed contra illius surgentes numen adorant.

f) *Ante ædem.*

g) *De qua supra cap. 61, 1. f.*

h) *Dicente,* Non meministi, te esse Cæsarem? neque vis pro majestate tua coli? *referente Plutarcho in Cæs. Ejusmodi adulatorum vocibus (quales & sequenti capite refert autor) ad eam superbiam evectum Cæsarem, non est mirandum. Nam ut inquit Dio lib. 44. pag. 274. c.* immoderati honores laudesque levitatem animi etiam modestissimo cuique afferunt, ut se jam tales esse, quales prædicantur, existiment, *Qua ratione Constantinus, ut jam cœlo contiguus casibusq; imperaturus humanis, magniloquentia fastuq; sufflabatur adulatorum, ut scribit Amm. Marcellin. lib. 15. cap 15, Sed hæc tamen inter causas interitus Cæsaris præcipua.* Ruinam enim præcedit superbia, *inquit Rex sapentiss.* Nec quisquam, *ut est apud Menandrum,* arrogantiæ suæ pœnam evitat. *Ita nimirum* Adulatio (*Censente Curtio lib. 8. cap. 5.*) pestis Principum, perpetuumque malum Regum est: quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit.

i) *Iurisconsultum, Ciceroni familiarissimum, ut notum ex ejus epistolis famil.*

k) Vultu minus familiari respicere, *brevius Terentius,* limis aspectare: *brevissime, atque adeo uno verbo Græci,* ὑποβλέπειν.

l) *Trium-*

l) *Triumphos Cæsaris enumerat Autor cap. 37.*

m) *In quibus tribuni, triumphum spectaturi consederant.* Subsellium *ex eo dictum ait Varro lib. 4. de LL. quod non sit plane sella. Erant illa ut tribunorum, sic triumvirorum, quæstorum, & ejusmodi minora judicia exercentium: Patres vero sellas curules, occupabant.*

n) Prætervehere *neutraliter & absolute ponit autor, haud scio an obvio apud alios usu. Sic supra cap. 37. Cæsar Velabrum* prætervehens, *hoc est, prætervectus. Livius 22,49,7.* prætervehens equo.

o) *Subaudi, tribunorum.*

p) *Acerrimum Reip. propugnatorem, pro qua & vitam fudit, bello Mutinensi D. Bruti legatus, quod ex Dionis lib 46. monet hoc loco Casaubonus. Videri tamen alicui queat id factum (quod unus Cæsari non assurrexit) contumaciæ potius quam constantiæ nomine venire: cum nihil in summam profuerit. Quomodo Tacitus acute de Thraseæ Pæto, Neronis acta præfracte nimis improbante, lib. 14. Annal. cap. 12.* Exiit tum senatu: ac sibi causam periculi fecit: ceteris libertatis initium non præbuit. *Sapientius Agricola, qui, commendante eodem autore in ipsius vita, cap. 42.* Domitiani præcipitem naturam moderatione prudentiaque leniebat: non contumaciæ, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat: verum obsequium ac modestiam ambitioni abruptæ, sed in nullum rei post usum futuræ præferebat. Licet autem inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum, *eodem admonente Tacito lib. 4. Annal. cap. 20.*

q) *Abroga mihi sis imperium, pro potestate tua tribunitia.*

CAPUT LXXIX.

Adiecit ad tam insignem [a] despecti Senatus contume-
1. liam, multo arrogantius factum. Nam cum sacrificio [b] La-
2. tinarum [c] revertenti eo, inter [d] immodicas ac novas populi acclamationes, quidam e turba statuæ ejus coronam lauream, [e] candida fascia præligatam, imposuisset: & tribuni plebis, [f] Epidius Marullus Cæseiusque Flavus coronæ fasciam detrahi, hominemque [g] duci in vincula jussissent; dolens tenui rumori prospere motam regni mentionem, sive, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi; tribunos graviter increpitos, potestate privavit; neque ex eo infamiam affectati etiam re-

gii nominis discutere [h] valuit: quamquam & plebei regem se salutanti, [i] *Cæsarem se, non regem esse* responderit: & [k] Lupercalibus, pro Rostris à Consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in [l] Capitolium Jovi Opt. Max. miserit. Quin etiam [m] varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel [n] Ilium translatis simul opibus Imperii, exhaustaque Italia delectibus, & procuratione urbis amicis permissa: proximo autem Senatu L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum: ut quoniam libris [o] fatalibus contineretur, Parthos, nisi à Rege, non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur. 3.

a) *Non est mirum, ea sibi ratione Cæsarem inconciliasse, seu (ut Horatius ait 4. Od. 15.) inimicasse Senatum: quia, judice Demosthene contra Midiam:* Non est omnium rerum quicquam intolerabilius Contumelia: neque propter quam potius irasci consentaneum sit. *Adeo quidem, ut* gravius contumeliam ferant homines, quam detrimentum, *ut Plutarchus in Timoleonte (pag. 252. b.) inquit, hac addita ratione:* quia offensio manu facta, hostibus ut necessaria concessa videtur: contumelia vero ex nimio quodam odio vel malitia prodire creditur. *Hinc quispiam apud Pacuvium:*

Patior facile injuriam, si est vacua à contumelia:

Et alius apud Cæcilium:

Facile ærumnam ferre possum, si inde abest injuria;
Etiamque injuriam, nisi contra constat contumelia.

Quem eundem adfectum alicubi Demosthenes exprimens: Οὐδὲ γὰρ, *inquit,* τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις δεινὸν, καίτοι ὄν δεινὸν; ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει: Non enim verberari liberis hominibus tam grave, etsi grave; quam quod per contumeliam. *liberis autem? imo* servos quoque invenias, qui flagellis (*ut receptis in castigatione servorum*) quam colaphis (*utpote quibus ludibrium inest & irrisio*) cædi malunt: & qui mortem ac verbera tolerabiliora credant, quam contumeliosa verba, *ut scribit Seneca lib. de constant. sapientis, cap. 4. Quo loco, ut & c. 10. quamvis ingeniis natura infirmis, muliebribus, delicatis, humilibus, adfectum hunc tribuit, quib nec prudentia quicquam, nec fiduciæ insit: Cicero tamen aliter, & fortemelius sentiens, in Verrina 3.* Habet quendam, *inquit,* aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficilime possunt: *utpote qui vitam honoremq; pari passu censent ambulare.*

b) *Subaudi, feriarum.* De feriis Latinis, *quarum crebra in historia*

Rom.

Rom. mentio, videatur omnino Varro lib. 5. de L. Lat. Dionysius Halicarn. lib. 4. & 6. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16. è recentioribus autem Alex. ab Alexand. Genial. Dier. lib. 5. cap. 7.

c) *Scil. ex Albano monte, ubi solemne sacrum Iovi Latiali, ex more celebraverat. Fuit enim inter novissimos honores hic quoque Cæsari tributus, ut sacro illo peracto, curru in urbem ex Albano monte invveheretur, autore Dione, lib. 44. pag. 274. d.*

d) *Exprimit hunc vulgi morem non uno loco Tacitus. Vt lib. 1. Hist. c. 32.* Mos plebi, quemcunque Principem adulandi, licentia acclamationum, & studiis inanibus. *Et paulo post. cap. 35.* plebs imperita ruit in plausus, & immodica studia. *Item cap. 90.* clamor voceſque vulgi, ex more adulandi, nimiæ & falsæ. *Lib. 2. Hist. cap. 90.* Vulgus vacuum curis, & sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adstrepebat Vitellio. *Et alibi idem aliis.*

e) Fascia candida *idem est, quod mox dicitur ab autore* diadema. *Nam fuisse diadema, contra quam vulgo persuasum est, non nisi fasciam è panno lintreve, cum originatio nominis arguit, ἀπὸ τοῦ διαδεῖν, à nectendo, ligando sive obligando dicti: tum allatis pluribus autorum locis ostendunt Viri in literis maximi, Brissonius de regno Pers. lib. 1. pag. 33. Lipsius not. 99. ad Taciti 6. Annal. Paschalius Coron. lib. 9. cap. 3. Camerar. cent. 1. cap. 61. Cum autem hac fascia candida regii & nominis, & fastigii fuerit insigne, id ut libertati inimicum ferre noluerunt Romani: etsi lauream coronam, vetus triumphalium gestamen, atque adeo ipsi S. C. decretam: neque hanc modo: sed, quod magis mirandum, potestatem regiam ipsam, æquo animo ferebant. Erat enim utique Cæsar (quod & res loquitur, & Cicero lib. 11. fam. epist. 28. itemque 3. offic. diserte scribit) vere Rex, ac dominus gentium, absolutamque potestatem, verum sub veteris Reipub. titulis, Consulis, Dictatoris, Trib. potestatis &c. exercebat. Vt idem Romanis, quod charioris annonæ tempore accidit, usuvenisse videatur. Plebs enim, etsi diminuto panis pondere, dummodo precium panis non immutetur, non adeo penuriam animadvertere solet, ut si una pretium adaugeatur. Porro regii nominis ac fastus invidia quanta Romæ fuerit, aliquot Livii locis perspicitur: ut lib. II, 1. f. III, 37. f. XXVII, 21. p. &c:*

f) *Valerium Max. lib. 5. cap. 7. exemp. 2. vide.*

g) *Consulendæ formulæ Brissonii lib. 5. pag. 526. & seq.*

h) *Palatini Codices, & alii,* voluit *legunt: quod & Torrentius probat. Sed nostrum tamen* valuit, *præter codices alios, & mox sequentia firmant, & hæc verba Dionis lib. 44. p. 277. b. stabiliunt: ὃ μέντοι καὶ πρὸ ἐκείνου πολλοὶ ἂν ἄρξασθαι*

τοῦ

τῷ προσρήματι ὡς ἀληθῶς ἐπιστεύθη. Etsi, *inquit*, & obsistendo, & obloquendo, regnum nomen ab se rejicere visus est: non tamen hominibus persuadere valuit, id se bona fide facere, *ac non potius Accismo quodam uti, & specie* recusantis flagrantissime concupiscere, *ut loquitur de Augusto Tacitus lib. 1. Annal. cap. 3.*

i) *Libet hic per occasionem, annotare, Cæsaris appellationem non minus ac prænomen Imperatoris, ab hoc Nostro in omnes deinceps Impp. Romanos propagatum fuisse: quemadmodum Ægyptii Reges omnes vocati sunt Ptolemæi: Parthorum, Arsacidæ: Latinorum, Murani: Albanorum, Sylvii &c. Nam etsi post Iulium Cæsarem ij proprie Cæsares appellati sunt, qui designati erant Imperatoriæ majestatis hæredes atq; successores, & Imperatori, ut ejus apperitores (Ammian. Marcellinus 14. cap. 36 sic eos appellat) obtemperabant: qui quidem hodie in Imperio Rom. vocantur Reges Romanorum: sicut in Galli i Delphini: in Hispania Infantes: in Anglia Principes (sine adjectione: sunt autem Principes Walliæ) Augusti vero nominabantur, qui reapse imperabant: ut notat D. Gothofredus ad l. 7. C. de malef. & mathem. in qua nomini Cæsaris, nomen Augusti opponitur: quod nomen Cæsaris in Ælio Vero ita usurpari cæpisse, Spartianus autor est in ejus vita sub initium: tamen quando id nomen cum Imperatoris vel Augusti nomine conjungitur; tum non futurum successorem, sed ipsum Imperatorem rerum potientem denotat: ut patet ex inscriptione proœmii Instit. Iuris, & legis 2. & 4. C. d. t. de malef. & mathem. aliarumq; ll. complurium.*

k) *Ea de re Cicero in 2. Philipp. cap. 34.* Sedebat, *inquit*, ad Antonium, in Rostris collega tuus (*Cæsar*) amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: ascendis: accedis ad sellam: ita eras Lupercus, ut te esse Consulem meminisse deberes. Diadema ostendis: gemitus toto foro. tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plausu rejiciebat. *Rejiciebat, sed ita ut non offensus videretur teste Paterculo lib. 2. cap. 56. Vnde suspicio insinuavit, id ita ex composito actum esse: ac Cæsarem, Regis nomen expetentem, ut id susciperet, coactum videri velle: prout refert Dio lib. 44. pag. 278. cap. Cæterum de Lupercis & Lupercalibus ubertim Alexand. lib. 4. Genial. dier. cap. 12.*

l) *Ejus facti rationem hanc Cæsarem attulisse, Dio modo citato loco refert: Solum enim Iovem Romanorum Regem esse. De consuetudine coronas in Capitolio deponendi. vide I. Rycquium Capitol. cap. 31.*

m) *Validum haud dubie, quod è Viterbiensi Codice Casaubonus, & Palatino primo Gruterus eruit,* valida fama. *Nostrum idioma plane huic respondet:* ist ein starckes geschrey/ wird starck gesagt.

n) *Trojam,*

n) *Trojani, idque in honorem vel autoris Romanorum Æneæ Trojani: vel gentis Juliæ, quæ ab Æneâ, & à quâ Cæsar ducebat originem.*

o) *H. e. Sibyllinis, de quibus infr. Aug. cap. 31. plura dicendi locus erit. Huc pertinent illa Ciceronis in libris de divinatione, quos paulo post eidem Cæsari scripsit:* Sibyllæ versuum interpres (*h. e. Quindecim-vir. Nam his commissa fuit Sibyllinorum, aliorumque fatidicorum librorum custodia*) nuper falsa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur; eum quem revera Regem haberemus, (*Cæsarem puta*) appellandum quoque esse Regem, si salvi esse vellemus: *h. e. si Parthos vincere, ac proinde salvam Rempub. vellemus.*

CAPUT LXXX.

1. Quæ causa conjuratis [a] maturandi fuit destinata negotia, ne [b] assentiri necesse esset. Consilia igitur [c] dispersim antea habita, & quæ sæpe bini ternive ceperant, [d] in unum omnes contulerunt: ac populo quidem jam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque [e] asserto-
3. res flagitante. [f] Peregrinis in Senatum allectis [g] libellus propositus est: [h] *Bonum factum.* [i] *Ne quis Senatori novo curiam monstrare velit.* Et illa vulgo canebantur:
4. [k] *Gallos Cæsar in triumphum ducit:* [l] *idem in Curiam.*
Galli [m] *braccas deposuerunt* [n] *latum clavum sumpserunt.*

5. Q. Maximo, [o] suffecto trimestrique Consule, theatrum introëunte, cum lictor [p] animadverti ex more jussisset, ab uni-
6. versis conclamatum est; [q] *Non esse Consulem eum.* Post remotos Cæserium & Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, [r] consules eos declarantium Subscripsere quidam L. Bruti statuæ *Utinam viveres!* item ipsius
7. Cæsaris [s] statuæ:
[t] *Brutus quia Reges ejecit. Consul primus factus est:*
Hic quia Consules ejecit, Rex postremo factus est.

8. Conspiratum est in eum [x] à LX. amplius, [y] C. Cassio Marco-
9. que & Decimo Bruto principibus [z] conspirationis. Qui primum cunctati utrumne illum in [aa] campo, per [bb] comitia,

tribus ad [cc] suffragia vocantem, [dd] partibus divisis [ee] è ponte dejicerent, atq; exceptum trucidarent: an in [ff] Sacra via, vel aditu [gg] theatri adorirentur: postquam senatus Idibus. Martiis in Pompeii curiam edictus est, facile [hh] tempus & [ii] locum prætulerunt.

a) *Accelerandi. Quæ pendent ab hoc verbo voces,* destinata negotia; *Gruterus ambas, Casaubonus alteram, è glossa in textum irrepsisse putant.* ὑσύχως. *Non infrequens enim est bonis autoribus* maturare *simpliciter & absolute positum, pro, properare. Sic Sallust. Catil. c. 36.* Antonius Catilinam persequi maturet. *Et Liv. lib.* 10. Inde Romam profecturus maturavit. *Certe* τὸ negotia *abundare, patet ex eo, quod, ut apud Livium* conata *&* cæpta, *apud Ciceronem* cogitata, *sic alibi,* destinata *fere solet absolute poni. Occurrit nunc unus ille locus in Curt. lib. 3. cap. 8. f.* Sæpe destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discutit.

b) *Probare decretum de Cæsare Rege appellando.*

c. d.) Potentiam impotenter exercentes periclitantur, ubi eos, qui separatim gemunt, communis metus junxit. *Senec. lib. 3. de ira, cap. 16.*

e) *Vindices publicæ libertatis.*

f) *Extat in Macrobio lib. 2. Saturnal. cap. 3. & lib. 7. c. 3. scomma Ciceronis, Cæsarem notantis, quod in Senatum passim tam multos, eosque externos ex semibarbaris Gallorum, admitteret, ut eos quatuordecim gradus in ludis spectandis capere non possent. Prætreunti enim Laberio, & sedile quærenti:* Reciperem, *inquit,* te, nisi anguste sederem. *Est hujus loci nobile σκῶμμα politicum illud:* An committendus peregrino magistratus: *excussum in utramq; partem jam olim apud Tacitum lib. 11. Annal. cap. 23. & 24. itemque à recentioribus, Ioan. Bodino, lib. 6. de Repub. cap. 5. Mel. Iunio, quæstion. Politicar. part. 1. quæst. 15. Kekermanno, system. polit. lib. 1. cap. 2. aliisque: qui quidem autores, adjunctis ducibus suis, Aristotele lib. 5. Politic, c. 3. & Lipsio lib. 3. Polit. c. 4, nobiscum, in negantem, nec nego, pronioribus, pedem conferre volenti, tela subministrabunt.*

g) *Scriptum publice ad notitiam omnem affixum. Cicero pro Quintio:* De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite conceditur. *Tacitus lib. 4. Annal. cap. 27.* Curtisius positis propalam libellis, servitia ad libertatem vocabat.

h) *Veteres boni ominis causa suis edictis hæc duo verba,* BONUM FACTUM, *seu, quod monet Isidorus orig. 1. cap. 22. scribendi compendio, duas hasce*

literas

literas. B. F. præponere soliti sunt. Vnde Tertullianus in lib. de Pudicitia, Imp. Heliogabali memorans edictum, quo scortationis & adulterii licentia permittitur omnibus: ô edictum, *inquit*, cui adscribi non poterit, BONUM FACTUM! *Eadem formula Plautus utitur cum alibi sæpius, tum in illo lepido Histrionum Edicto, quod prologi vice, Pœnulo præponitur.*

BONUM FACTUM'ST! edicta ut servetis mea. &c:

Habet & noster auctor exemplum aliud in Vitell. cap. 14. Ea verba solemnia Iosephus antiq. Iudaic. lib. 14. cap. 17. & lib. 19. cap. 4. exprimit hisce: Καλῶς ἔχει. *Quamvis autem hic noster libellus, famosus fuerit, & incertis auctoribus propositus: ad imitationem tamen edictorum, irrisione quadam est confectus. Adeundi, Turnebus. lib. 3. adversar. cap. 22. Brissonius de formul. lib. 3. à princ. Iacobus Nicol. miscellan. epiphyll. lib. 4. cap. 23.*

i) *Quippe peregrinis ipsis Curiam sine duce non reperturis.*

k) *Versus hi duo trochaici sunt, quod pridem Turnebus, 3. adversar. 22. annotavit: in quorum posteriore* sumpserunt *penultimam brevem habet: ut* steterunt *apud Virgil. 2. Æn. &* emerunt *apud Terentium in prologo Eunuchi. Sic Lucretius lib. 6. v. 2.*

Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ.

Virg. eclog.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses,

l) *Hanc enim lectionem, Grutero, Torrentio, bonisque Codicibus probatam, retinere malui, quam à Casaubono vulgatam:* iidem in Curia Galli &c *tanquam unum esset Epigramma: cum duo esse possint. Nec displiceat tamen, quod è Pithæi codice Casaubonus, & ex aliis Vrsinus eruit:* inde in Curiam. *Allusum enim videtur ad illum ritum, quo triumphans, quum in forum Romanum veniisset aliquot captivorum duces in carcerem duci occidique jubebat: at Cæsarem triumphatos illos è Gallorum semibarbaris (de quibus supra c. 76. f.) non in carcerem misisse: sed* inde (*hoc est, ex triumpho*) *in Curiam introduxisse.*

m. n.) *Hoc dicitur: Galli vestimenta Gallicana ac barbarica exuerunt: ac Senatoria induerunt. Ald. Manutius in quæstis per epistolam, dec. 2. quæst. 2. in fin. ex hoc autoris loco demonstrare nititur,* braccas *tunicam Gallicam fuisse, eo quod* latus clavus, *quem Galli, braccis depositis, sumpserunt, tunica quoq; Senatorum Romæ fuerit. Errat haud dubie. Fuit enim utique latus clavus, tunica purpurea prætexta, Senatorum insigne: Braccas tamen constat fuisse, quas vulgus hodie Latine loquentium* caligas *vocat, etsi minime proprio vocabulo: quum è Tacito ac Suetonio notum sit, caligas pedum fuisse tegmen. Nec melius alii* feminalia eas & femoralia *vocant: ut quæ non nisi fasciæ fuerunt, quibus*

antiqui femora sive femina involvebant: quomodo etiam tibialia (*nam & hac voce nunc abutimur*) *quibus tibias. Quas autem imperite nunc appellamus caligas ac tibialia* (Hosen vnd Strumpff) *eorum usum veteres non Romanos modo, sed & Græcos ac Hebræos, penitus ignorasse, Casaubonus ad Suet. Aug. c. 82. confirmat. Fuisse vero braccas non modo Gallorum, ut hoc autoris loco, gestamen, ex quo Gallia Narbonensis* braccata *fuit appellata: sed & Germanorum, Sarmatarum, Getarum, Scytharum, Parthorum &c. luculentis autorum testimoniis ostenditur a Ph. Cluverio, lib. 1. Germ. ant. cap. 16. Quo loco, ut & Cælio Rhodig. lib. 18. ant. lect. cap. 21. de hoc vestimenti genere plura, nec hic reperienda, differuntur. Hoc monendum est, è Græca lingua male petivocis hujus etymon. quomodo Isidorus braccas dici ait, quasi βραχῶν ἐδῆτας, quod sint* breves, *& verenda corporis iis velentur: & Casaubonus d. l. βρᾶκυ vel βράκια, quasi ῥᾶκυ vel ῥάκια ut litera b. per dialectum Æolicam accesserit. Fuit enim, ut res ipsa, sic nomen quoque Græcus exoticum, itemque Romanus. Vnde etiam Tacitus lib. 2. Histor. c. 20. braccas* tegmen barbarum *appellat. Flexu temporis tamen utrique braccis etiam assuescere cœperunt.*

o) *Surrogato, substituto.*

p) Animadversio *proprium rei lictoriæ verbum est. Consulem lictores duodecim antecedebant non gregatim aut confuse: non item bini termino, ut quus suspiceretur, sed singuli, ac (anserum ritu) in lineam. Antecedebant autem cum strepitu & imperio quodam, ut manu, virga, voce, locum facerent sequenti magistratui; idque dicebatur* Submotio: *ut item juberent honorem eidem exhibere, caput aperiendo, assurgendo, descendendo de equo aut curru, ferrum ponendo, similibusque officiis, quæ conjunctim tangit Seneca epist. 64. & hoc vocabatur* Animadversio. *Exemplum habet insigne Livius lib. 24. cap. 43.* Fabius pater filio legatus ad Suessulam in Castra venit. cum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majestatis ejus, taciti anteirent: præter undecim fasces equo provectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem jussit, & is ut descenderet ex equo, inclamavit: tum demum desiliens, Experiri inquit, volui fili, satin' scires, Consulem te esse. *Quo de facto frustra disputant aliqui, num probandum sit: probavit ipse pater, ac instituta publica privata pietate potiora judicanda statuit, ut est apud Val. Maxim. lib. 2. cap. 2. exemp. 4.*

q) *Stante Repub. Consulatum ex legibus annuus semper fuit. primus Cæsar cum multa contra leges patrias fecisset, Consulatum ex anno bimestrem, vel trimestrem & ore arbitrio fecit: eumque magistratum, quibus, quoties, & quo anni tempore illi placuisset, præter S. C. populique suffragia, dare cepit: scilicet ut*

tet ut plures, quibus ministris in bellis civilibus usus fuerat, eo supremo magistratu insigniret. Ac quarto quidem Consulatu suo cum seipsum abdicasset, sibi suffecit & Q. Fabium Maximum, quo de hic autori sermo, & C. Trebonium. Hinc indignabunda vox illa populi: Non esse Consulem eum: *quippe non suffragiis popularibus in annum integrum legitime creatum: sed novo more trimestrem. Et tamen hunc morem excogitatum a Cæsare, sequentes etiam Imperatores Romani sunt secuti: quod pluribus ostendit ἱστορικώτατος ille καὶ μνημονικώτατος Onuph. Panvinius, comment. in lib. 1. Eastor. pag. 60.*

r) *Vtopte dignos eo honore, quod detracto coronæ Cæsaris diademate, se libertatis assertores ostendissent: ut est in capite præcedente.*

s) *Ad pleniorem expositionem hujus loci pertinent illa Dionis lib. 44. pag. 278. c.* Odiis adversum Cæsarem jam multorum flagrantibus, magnanimus quisque Brutum & privatim hortabantur, & publice incitabant. Quia enim idem cum nobili illo Bruto, qui Tarquinios quondam dejecerat, nomen gerebat (quamquam ille quidem Brutus nullam quidem progeniem reliquerat: sed quos solos habebat duos filios adolescentulos ipse interfecerat) ea nominis communitate abusi, M. Brutum ab illo Bruto ortum ferebant, ut ad simile facinus, quasi id generi suo conveniens, hominem excitarent: subjectis ejus rei causa crebris literis, subindeque acclammantes, ô Brute, Brute, dictitantesque, Bruto aliquo sibi opus esse. Ipsiusque adeo prisci illius Bruti statuæ (quæ in Capitolio, media inter statuas Regum, ensem strictum exserens, collocabatur) subscripserunt: Utinam viveres! Tribunali etiam M. Bruti (præturam enim gerebat) inscripserunt: dormis Brute, ac non es Brutus. *Hæc ille. Similia Plutarchus in Bruto ac Cæsare.*

t) *Dictio statuæ abest in aliquibus mss. nec male: cum paulo ante posita commodius hic subaudiatur.*

u) *Trochaici sunt. Faërnus legit:* Brutus qui *&c.* Hic qui *&c.*

x) *Complurium ex his nomina recenset & Appianus lib. 2. bell. civil. & ad hunc locum Casaubonus.*

y) *Dignum est observatu, majestatis crimen esse quodammodo hereditarium. Ejus rei exempla ex historiis hæc notantur: primo quinque Cassiorum, è quibus Spurius Cassius perduellionis accusatus damnatusque populi judicio fuit, ut est apud Livium 2. cap. 41. Lucius Cassius, in principibus conjurationis Catilinariæ fuit, ut ex Salustio notum. Cajum Cassium autor hoc loco conspirationis in Cæsarem, principem quoq; facit. Cassius Chærea princeps item consilio & manu in necem Caligulæ fuit, autore in ejus vita, c. 56. Dione lib. 59. testantibus. Denique*

nique Avidius Cassius damnatur conjurationis in Imp. Marcum Antoninum, ut proditum est à Dionis abbreviatore Xiphilino. De tribu deinde Corneliis, Sulla, Cinna, Lentulo, notum est ex Sallustio. Tum Bruti Regum exactoris progenies post quingentos annos in necem Cæsaris novi Regem conjuravit. Ac etsi de M. Bruto scrupulum injiciat adductus paulo ante Dionis locus: eum tamen eximit ab initio vitæ Bruti Plutarchus. Atq; hæc una est ex rationibus legis quintæ C. ad l. Iul. Majest. (cujus sanctio alias iniqua videri possit) quia nimirum juste veretur princeps proditionem & scelus eorum, quorum parentes majoresve sibi vel antecessoribus hostes fuere.

z) *Vox* conspirationis *exactissimo talium judici Grutero glossema sapit: certe redundat otiose repetita; cum præcesserit,* Conspiratum est.

aa) *Martium campum accipe. Tarquiniorum is initio fuit, Tyberim inter & antiquam urbem situs: quibus in exilium actis, Marti consecratus, & ex eo ipsi nomen inditum est. Liv. 2. c. 5.*

bb) *Nic. Gruchius de Comitiis Rom. lib. 2. pag. 230. hunc locum de Tributis comitiis accipiendum docet, & pluribus explicat.*

cc) *Per tabellas danda. Porro præstet ne suffragia voce nuncupari, an tabella occultari, disputat elegantissime Cicero lib. 3. de Legibus, longius à fine, nobis etiam ea de quæstione conferendi materiam præbiturus.*

dd) *Cospirantium alii super ponte collocatis, qui dejicerent Cæsarem: alii sub ponte, qui dejectum exciperent trucidarentq;.*

ee) *In campo Martio pons tabulatus fuit extructus, in quem ascendebant singulæ per vicem tribus aut centuriæ, datisque suffragiis in aliam campi partem transibant, qui locus mons citatorum vocabatur. Hinc parœmia;* sexagenarios de ponte dejiciendos esse, *hoc est, ob illius ætatis imbecillitatem, à suffragiis & omni tractatione civilium negotiorum in otium rejiciendos. Et* Depontani *dicuntur senes, qui rude donati, solitorum munerum vacationem acceperunt. Plato tamen lib. 6. de legibus, ad annum usque septuagesimum Senatoriam prudentiam extendit.*

ff) *Nam ibi Cæsarem habitasse in domo publica, dictum ante, c. 46, 1.*

gg) *Pompejanum theatrum id fuit, ubi ludi tunc agitabantur, & in propinquo curia Pompeij, Appiano teste.*

hh) *Idus Martias.*

ii) *Pompeij curiam.*

CAP.

CAPUT LXXXI.

1. Sed Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis [a] denun-
2. ciata est. Paucos ante menses cum [b] in colonia Capua de-
ducti [c] lege Julia coloni, ad extruendas villas, [d] sepulcra ve-
tustissima disjicerent, idque eo studiosius facerent, quod ali-
quantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant:
tabula ænea in monumento, in quo dicebatur [e] Capys, con-
ditor Capuæ, sepultus, inventa est, [f] conscripta literis verbisq;
Græcis, hac sententia, [g] *Quandoque ossa Capyis detecta essent,*
fore ut [h] *Julo prognatus manu* [i] *consanguineorum necaretur, ma-*
3. *gnisque mox Italiæ cladibus* [k] *vindicaretur.* Cujus rei, ne quis
fabulosam aut [l] commenticiam putet, auctor est Cornelius
4. Balbus, familiarissimus Cęsaris. [m] Proximis diebus, [n] equorum
greges quos in traiiciendo Rubicone flumine consecrarat,
ac vagos & sine custode dimiserat, [o] comperit pertinacissime
5. pabulo abstinere, ubertimque flere. [p] Et immolantem ha-
ruspex Spurinna monuit, caveret periculum quod non ultra
6. Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus, avem
[q] regaliolum: cum laurco ramulo Pompejanæ curiæ se infe-
rentem, volucres varii generis ex proximo nemore persequu-
7. tæ, ibidem discerpserunt. Ea vero nocte [r] cui illuxit dies cæ-
dis, & ipse sibi visus est [s] per quietem interdum supra nubes
8. volitare: alias cum Jove dextram jungere. Et Calpurnia uxor
[t] imaginata est, collabi [u] fastigium domus, maritumque in
gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patue-
9. runt. Ob hæc simul & ob infirmam valitudinem diu cun-
ctatus, an se contineret, & quæ apud senatum proposuerat, a-
gere differret: tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac
jam dudum opperientes destitueret, quinta fere hora progres-
sus est: [x] libellumq; insidiarum indicem, [y] ab obvio quodam
porrectum, libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, qua-
10. si mox lecturus, commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis,

cum

cum [z] litare non posset, introiit curiam, spreta religione: Spurinnamque irridens, & ut falsum arguens, quod sine ulla [aa] noxa sua Idus Martiæ adessent: quamquam is *venisse quidem eas* diceret, *sed non præteriisse.*

a) *Dictum signanter ac proprie,* denunciata. *Non enim ut caveret, sed ut occumbendum sibi plane sciret, illis prodigiis est admonitus.* Quæ fato manent, *ait Tacit. 1 Hist. 18.* quamvis significata, non vitantur. *Ita Tib. Gracchi tristis exitus, & prodigio* denunciatus, *nec evitatus consilio fuit. Item Octavius consul dirum omen exitii sui quemadmodum timuit, ita* vitare non potuit. *Quod utrumque exemplum est in Valer. Maxim. lib. 1. cap. 6. Cæterum illustres quasdam & nobiles familias prodigiosa mortis indicia fatalesque notas habere, Phil. Camerarius, oper. subcis. centur. 1, cap. 73. itemque cent. 3. cap. 15. & ex eo aliisque G. Richterus axiom. 2. œcon. luculenta demonstrant exemplorum congerie, quam licet hoc autoris integro capite locupletare.*

b) *Nobilissima Campaniæ urbe. Quæ hodie* Capua *est, ab illa veteri distare duobus millibus passuum: in veteribus autem ruinis hodie tantum exstare templum* D. Mariæ Gratiarum, *tradit in Italiæ descriptione Leander. pag. 248.*

c) *Quam Iulius Cæsar ipse primo Consulatu suo tulerat: quaque Campanum agrum viginti millibus civium in eam coloniam deductis, extra sortem diviserat. Hujusmodi de legibus, deducendæ coloniæ causa ferri solitis, accurate Marcus Welserus, rerum Aug. Vind. lib. 4. à princ. & Car. Sigonius lib. 2. de antiquo jure Ital. cap. 2.*

d) *Idque contra ea, quæ divisionum autores omnes in coloniis deducendis sanxisse scribit Hygenus* uti quæcumq. loca sacra, sepulchra, delubra, aquæ publicæ, aquæ vicinales, fontes fossæq. publicæ vicinalesq. essent, item si qua compascua, quamvis agri dividerentur, in omnibus ejusdem conditionis essent, cujus ante fuissent. *Locus extat in auctoribus finium regundor à Rigaltio V. C. publicatis, p. 217. m. Sunt & in jure noti de sepulchro violato tituli: nec protrita eam in rem proponit Cœl. Rhodig. lib. 17. A. L. c. 19. Ob violata sepulcra divinitus punitorum exempla congessit Th. Zvvingerus Theatri volum. 17. lib. 9. sub initium. Ætate quoque nostra, cum non incelebri quadam urbe Germaniæ, turris in medio recens exstructa foro corruens, ejus quæ post in eo Principatu fuit secutæ mutationis omen fecisset, illius improvisæ ruinæ causam inter alias & hanc hominum sermone celebratam fuisse novimus, quod ad illam exædificandam conditoriis abstracta saxa complura sive, ut cum autore nostro loquamur, sepulchra vetustissima disjecta essent. Quanquam hoc autoris loco, pro* disjicerent,

rent, *non displiceat, quod suggessit è Ms. Torrentius*, discinderent: *ut discindere sepulchra, sit quod dicimus*, auffbrechen. *Quam ad formam Statius* 1. *Sylv. à princ.*

Hunc neque discissis cepissent Pergama muris.

e) *Discrepat ab autore Dionysius Halicarn. antiq. Rom. lib.* 1. *ubi Capuam non à Capye, sed à Romulo Æneæ filio conditam, atq; à nomine proavi sui Capyis, qui fuit Anchisæ pater, appellatam ab eo fuisse scribit.*

f) Conscribere *non tantum refertur ad rem, quæ scribitur: sed etiam interdum ad subjectum, in quo scribitur. Vt Ovid.* 2. *Eleg.* 5. Conscriptaque vino Mensa. *Vt hoc loco: tabula* conscripta *literis verbisque Græcis. Idiomate nostro*, vberschrieben.

g) *Vulg.* quando. *sed rectum est*, quandoque. *Nam id verbi, pro* quandocunque *usurpatum, non Iureconsultis modo, quod ostendit in de V. S. Brissonius, sed & autoribus aliis non infrequens est. Horat. in arte*: Indignor, Quandoque bonus dormitat Homerus.

h) *Turnebus lib.* 24. *adverss. cap.* 14. *legit*, illo: *sed* Julo *non damnat. Nec est sane damnandum. Cæsar enim Iulum Æneæ filium auctorem generis sui faciebat.*

i) *Romanorum, qui ejusdem erant sanguinis. Vel hoc dicitur, ob Marcum Brutum, qui ipsius filius existimabatur. Certe* Consanguinei *vox hoc loco latius accipitur. Nam Iurisconsultis* consanguinitas *proprie fraternitas est, à communi patre descendens: sed nimirum Iurisconsultis, proprietatis verborum religiosissimis observatoribus. Aliis autoribus licet, quod non licet ipsis. Nam in jure, si quid tantillum mutes, deterius facias, ut inquit alicubi magnus ille Cujacius. Ita Tacitus lib.* 3. *Annal. cap.* 68. in insulam Gyarum relegandum dixit, *pro*, deportandum. *Et Plinius* 4. *epist.* Relegatum ob incestum, *pro* deportatum. *Sic alij autores tutorem pro curatore, tutelam pro curatione accipiunt.*

k) *Vt factum cladibus in Philippis & ad Mutinam acceptis, illaq; sævissima triumvirorum Antonij, Lepidi, Augusti, proscriptione.*

l) *Fictitiam. Quod genus figmentum Hermici Cajadi Lusitani commemorat Varrerius in censura Berosi. Nam ille Latinis carminibus commentus est Sibyllinam vaticinationem, columnis marmoreis tribus incisam, quæ per ambages significabat, Indos sub imperium & ditionem Lusitanorum esse venturos: eosque lapides data opera detruncatos, ut aliqua vestigia inessent antiquitatis, obrui, & aliquanto post, quam ex humore terreno vitium fecerant, iterum erui jussit. Id commentum, opera mercatorum Vlyssiponensium, etiam cum præ-*

fatione, Valentini Moravi cujusdam evulgatum undique, simulatione antiquitatis, universo orbi imposuit. Aut omnia me fallunt, aut eadem arte suppositum quoque fuit illud numisma, quod Augusti Cæsaris nomine ac imagine signatum, in Orbis novi regione quadam, ab hominibus, qui auri quærendi gratia terras effodiebant, inventum, Lucius Marineus Siculus, rerum Hispan. c. 19. scribit: indeque contra fidem totius antiquitatis, Indiam veteribus quoque Romanis calcatam fuisse demonstrare nititur.

m) *Necem Cæsaris proxime antecedentibus.*

n) *Rubiconem amnem (de quo supra cap. 31. & 32.) trajecturus Cæsar, equos superiore loco constituit, ad excipiendum impetum aquarum, ut ita pedites, fractis undarum viribus infra tuto transirent. Qua de re Lucanus lib. 1. v. 220.*

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas, molli tunc cætera rumpit
Turba vado faciles jam fracti fluminis undas.

Hos igitur equos, ut sua fortunæ ac felicitatis autores, hoc loco dicitur consecrasse. *Sic autem erat veterum religio, ut quæ animalia diis sacrarent, ea è manu dimitterent, mancipioq; suo abjudicarent, ac ea suo juri libertatiq; redderent: quæ & ζῶα ἄφετα Græci, hoc est, ut exponit hoc loco Noster,* Vaga & sine custode dimissa *vocant. Ita fuit ἄφετος ille Tyrrhidæ pueri cervus, qui*

Errabat sylvis: rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat, &c.

Cujusque cædes belli sævissimi fuit origo. Virgil. Æn. 7. Sed & trans Euphratem coli religiosissime Dianam Persicam, cui sacræ pascantur boves ἄφετοι custodeque nullo, dea charagmate insignes, quæ lampas est, memorat Cælius, antiquar. lectionum libro 7. extremo.

o) *Superlationis poëtica, & extra veritatem longo tractuspatioque excurrentis esse videtur, jumentis lacrymas tribuere: quod & Homerus facit: & æmulus ejus Virgilius, lib. XI. Æn. post princ. ubi Pallantis in funere ploranteṁ equum facit.*

Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Qui idem Eclog. 5. similem huic nostro locum de brutorum in luctu abstinentia producit,

—— nulla nec amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Ida-

Id tamen & autoris hic nostri historica, & Plinii philosophica fides confirmat, quorum uterque mendacis opinionem æque formidat, ac impostoris & plani. Sic autem Plinius lib. 8. cap. 42. Equi amissos lugent dominos: lacrymasque interdum desiderio fundunt. *Quo ipso loco Plinius, ut & Solinus polyhist. cap. 57. itemque Ph. Camerarius. centur. 1. meditat. histor. c. 23 de equis multa memorant insignia, quæ rationem ac judicium ipsis inesse quodammodo, videantur evincere posse.*

p) *Adde Valer. Max. lib. 1. cap. 6. exemp. 13. præcipueque lib. 8. c. 11.*

q) Ορθογραφικώτερον *putat Casaubonus*, Regaviolum, *quasi regem avium. Plinius lib. 8. cap. 25. & lib. 10. cap. 74.* trochilum *vocat, eique, quoniam rex appelletur avium. aquilam (si credimus) æmulam ac inimicam facit. Vulgo* Regulus *est. In diversis linguis à rege deducta aviculæ nomina, passerem troglodyten potius significant, quem cum regulo multi confundunt, ut ait in ornithologia Gesnerus.*

r) *Quæ proxime antecessit diem cædis.*

s) *In somno. Somniavit.*

t) *Plinius 20. cap 13. expressius,* per somnium imaginari *dixit, signanter ac proprie. Nam è sententia philosophorum, insomnium nil aliud quam sensus communis cum phantasia, sive* imaginatione *conjuncti affectio quædam est.*

u) *Non tam hoc erat* fastigium *domus Cæsareanæ, quam fastigii ornamentum, & quodammodo fastigij fastigium. Quemadmodum enim fastigiis templorum quædam addebantur ornamenta, quibus privatorum ædificiorum culmina carebant, ut statuæ, victoriæ, & alia deorum simulacra: sic cum multa Cæsari decreta essent, ut deo; ejus quoque ædium fastigium eodem modo ornaverunt, quo solebant ornari deorum templa. Suggessit hanc expositionem ille consummatissimæ doctrinæ Criticus, Cl. Salmasius in Notis ad Spartiani Pescennium Nigrum, sub finem: ubi de fastigiis hisce multa ex erudita antiquitate deprompta notat. Nam Beroaldus & Sabellicus ad hunc autoris locum toto cœlo, quod ajunt, aberrant, versione Plutarchi vitiosa decepti. Adde Cœlium lib. 21. lect. ant. cap. 23. & P. Victorium lib. 17. var. lect. cap. 18.*

x) *Simile quid in vita Pælopidæ Plutarchus pag. 283. b. de Archia Thebanorum tyranno refert, cui cum fuisset inter convivium allata de conjuratis index epistola, & is, qui pertulit, admonuisset, ut statim legeret: de seriis enim scriptam esse rebus: arrisit, ac dixit:* in crastinum ergo seria: *simulque acceptam epistolam pulvillo supposuit, institutosque sermones continuavit. At ea nocte à*

Pelopida cæsus est, ac Thebæ à Spartanorum jugo liberatæ. Eodemq; modo Nicephorus Phocas Imp. uxoris ac Tzimiscæ conjuratione periit, quod libellum sibi traditum, in quo conjuratorum nomina scripta erant, & ut sequentem noctem caveret, non legisset, autoribus Zonara atque Cedreno. Geminum istius exemplum Henrici Magni, Galliarum Regis, ætas nostra vidit. Voluntasne Dei hoc sit, an vero socordia non caveatur, haud facile dixerim. Verumq; enim esse potest, ut quod imminet periculum, non liceat vitare. Quippe ita se res habet, ut plerumque fortunam mutaturus Deus, consilia (cavendi) corrumpat, efficiatq; quod miserrimum est, ut, quod accidit, id etiam merito (& per nostram socordiam) accidisse videatur, atque casus in culpam transeat. Quam alta sapientiæ gnomen habet Vell. Paterculus, lib. 2. Hist. cap. 118.

y) *Ab Artemidoro Gnidio, Græcæ eloquentiæ Professore, si credendum Plutarcho in Cæs. Torrentii liber habebat* Ovio, *quod ille mutat in* Ovinio. *Sed hoc nimis longe petitum.*

z) Litare, *quod καλλιερεῖν Græci, Macrobius 3. Saturnal. 5. explicat, sacrificio facto placare numen. Docet & Turnebus, 18. adverss. 20. usos eo verbo veteres, cum grata acceptaque diis sacra fuisse intelligerent. Nonius etiam Marcellus inter litare & sacrificare, hoc interesse tradit: quod* sacrificare *est offerre sacrum, & veniam poscere:* litare *est propitiare, & votum impetrare. Quod discrimen clare perspicitur ex illo loco Plauti, Pœnul. Act. 2 Sc. 1.*

Nam ego hodie infelix dis meis ingratissimis
Sex immolavi agnos: nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abii illinc illico.

Et clarius ex iis quæ mox sequuntur:

Si hercle istuc unquam factum est, tum me Juppiter,
Faciat, ut semper sacrificem, nec unquam litem.

Tum autem votum impetratum, atque adeo litatum *putabatur, si exta inspecta se bene haberent. σφάγια χρηστὰ vocat Herodotus: alii καλὰ ἱερά. quo sensu* felicem hostiam *dixit Vergilius. Et quidem si primis hostiis* litatum *non esset, alia cædebantur, quoad* perlitaretur: *ut patet ex Livio lib. 41. cap. 15. pr.* Consul se, quod caput jecinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit. *Quæ autem post primas, quibus litatum non erat, quasi piaculi luendi gratia ducta cædebantur hostiæ, & in priorum locum substituebantur, eas* succidaneas *appellatas, Agellius 4. c. 6. scribit. Cujusmodi succidaneis hostiis etiam Cæsar, cum primis non litasset, at frustra, fuit usus. Unde L. Florus lib. 4. c. 2. in fin.* nec perlitare centum

centum victimis potuerat. *Id autem verbi non ex sententia Festi, à precibus, quas Graci λιτὰς vocant: verum si Varroni credimus, à solvendo (ἀπὸ τῦ λύειν) deducitur, ut litare sit quasi lutare, id est luere seu solvere. Tum enim deniq; dius solutum videtur, cum acceptum fecere. Varronis verba sunt apud Nonium in Lutavi*: Habes qui & cujus rei causa fecerim hecatomben, in quo ego (ut puto) quoniam luere est solvere, lutavi. *Itaque ut maximus & maximus: ita lutavi & litavi dici, Varro videtur existimasse.*

aa) Noxa *dicendum, an, quod in editione Gruteriana video,* noxia, *deq; significatu vocis, consulendus Iacob. Nicolaus miscell. epiphyll. lib. 6. cap.* 11.

CAPUT LXXXII.

1. Assidentem conspirati, [a] specie officii circumstiterunt: illicoque [b] Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius accessit: renuentique, & gestu in aliud tempus differenti, [c] ab utroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, [d] *Ista quidem vis est*, [d] alter Cas-
2. sius adversum vulnerat, paullum infra jugulum. Cæsar Cassii brachium [f] arreptum [g] graphio trajecit: conatusque pro-
3. silire, alio vulnere tardatus est. Vtque animadvertit undiq; se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit: simul [h] sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, [i] quo honestius cade-
4. ret, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus & viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum
5. [k] gemitu sine voce edito. Etsi tradiderunt quidam, M. Bru-
6. to irruenti dixisse, [l] Καὶ σὺ τέκνον; καὶ σὺ τέκνον; Exanimis [m] diffugientibus cunctis aliquamdiu jacuit, donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres servuli domum retulerunt.
7. Nec in tot vulneribus, ut [n] Antistius medicus existimabat, [o] lethale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pe-
8. ctore acceperat. Fuerat animus [p] conjuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, [q] bona publicare [r] acta rescindere: sed metu M. Antonii consulis, & magistri equitum Lepidi, destiterunt.

a) *Per speciem honoris.* Als ob sie jhm auffwarteten. *Solens hoc significatu bonis autoribus* officii *vox est, de iis quæ cultus, honoris & studii causa superioribus aut amicis exhibemus. Ita Nostro in Claud. cap. 26.* officium nuptiarum celebrare: *& in Calig. cap. 25.* ad officium venire, *est, quod nos dicimus,* Einem zur Hochzeit dienen. *Id quod ipsum Iuvenalis satyr. 2. v. 132. vocat* officium peragere, *Et satyr. 6. v. 202.* Labente officio, *hoc est, discedentibus convivis, qui ad nuptias convenerant. Ita Tacit. Agr. c. 40.* Ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in urbem venit. *Ita Sidonius Apollinar. lib. 5. epist. 15.* Officii sermone præfato, *hoc est, salute prius dicta. Sed & Officii plura alia genera Tertullianus in lib. de idololatria, simul enumerans:* circa officia, *inquit,* privatarum & communium solemnitatum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nominalium, nullum putem periculum. *Qui idem autor, ejusdem libri cap. 10. inter officia refert deductionem magistratuum, candidatorum, funeris: salutationes item, recitationes, & alia. Ex his Plinio lib. 3. epist. 12.* officia antelucana *sunt, quæ noctu celebrantur, de quibus noster autor est accipiendus in Aug. c. 78.* Matutina vigilia offendebatur: ac si vel officii, vel sacri causa maturius evigilandum esset, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuscunque domesticorum cœnaculo manebat. *Vt & Tacitus lib. 16. Annal. cap. 18.* ubi Petronium scribit diem per somnum, noctem officiis transegisse. ἡμερόκοιτον *Hesiodii verbo, & antipoda, seu Latina voce adversipedem non male dixeris. Hinc* officiperda, *verbum Catonis, lib. 4. distich, 43. de eo quo nullam officii in alicujus honorem suscepti gratiam reportat, ut loquitur Tacitus lib. 2. Histor. cap. 1. Nolim enim id verbi cum Erasmo* παθητικῶς *accipere, ut officiperda sit is, in quem collocatum officium perditur: sed is potius* der seine dienst vbel anlegt.

b) *Hic Ciceroni Philipp. 2. cap. 11.* L. Tillius Cimber *est: quem inter Cæsaris percussores fuisse, se miratum scribit ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriæ fuisset. Quomodo beneficiorum? Explicatius aliquanto Seneca, lib. 3. de ira, cap. 30.* Divum Julium plures amici confecerunt, quam inimici, quorum non expleverat spes inexplebiles. Voluit quidem ille: neque enim quisquam liberalius victoria usus est, ex qua sibi nihil vindicavit, nisi dispensandi potestatem. Sed quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset, cum tantum omnes concupiscerent, quantum poterat unus? Vidit itaque strictis circa sellam suam (*in curia*) gladiis commilitones suos, Cimbrum Tillium, acerrimum paullo ante

ante suarum partium defensorem, aliosq; post Pompejum demum Pompejanos. *Idem autor, epist. 83. m. inter exempla ebriosorum, quibus tamen secreta tuto commissa sunt, hunc quoq; referens*: de illa C. Cæsaris cæde, *inquit*, tam creditum est Tillio Cimbro, quam C. Cassio. Cassius tota vita aquam bibit: Tillius Cimber & nimius erat in vino, & scordalus. In hanc rem jocatus est ipse: Ego, inquit, quemquam feram, (*supra me dominum, nempe Cæsarem*) qui vinum ferre non possum? *Quibus omnibus in locis ecce* Tillius *est, non, quod expressimus ex editione ac mente Casauboni,* Tullius. *Liceat ergo, bona cum venia Casauboni, lectionem hanc præferre.*

c) *Togam à collo detractam, idque fuisse signum adoriendi, scribit in Cæs. Plutarchus, pag. 739. b.*

d) *Quod pridem Turnebus adverss. lib. 14. cap. 7. f. monuit, veteres cum vehementius & violentius vel arctius tenebantur, pellebantur, trudebantur, exclamare solebant.* hæc vis est. *Quomodo Plautus Captiv. Act. 3, 5, 92.*

Vis hæc quidem hercle est, & trahi & trudi simul.

e) Alter è Cassiis, *scriptum in antiquis membranis testatur Turnebus adverss. 24. cap. 14. in fin. Erant autem hi duo inter conjuratos Cassii, Cajus, quem principem conjurationis modo dixit autor, & Lucius. Excusi libri vett. hic & seq. periodo, pro* Cassio, Cascam *habent: quod substitutum arbitratur à Beroaldo Casaubonus: rejicit etiam ex fide Palatinorum Codd. Gruterus.*

f) *Manuscripti variant*, abreptum, abrepto, arrepto, accepto, *sensu diverso, nec tamen adverso.*

g) Graphium (*voce Græcanica*) *stilus est ferreus & acutus, quo veteres in cereis pugillaribus scribere solebant: ut in charta calamo. Cumq; telisant pugionibus vulgo tunc (aperte quidem ac licite) non essent accincti, itaq; in subita ira ad hæc quæ prompta erant, confugiebant, graphia dico, quæ cum pugillaribus se cum ferebant. Quomodo Caligula Senatorem quendam* graphiis confossum, *lacerandum cæteris tradidit, ut scribit autor in ejus vita, cap. 28. Et Erixonem equitem Romanum, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro* graphiis confodit, *teste Seneca, lib. 1. de clem. cap. 14.*

h) Utraque manu *demisisse togam, ut inferiori corporis parte tecta collaberetur, ait Val. Max. lib. 4. cap. 5. exemp. 6.*

i) *Simili studio pudoris, Olympias Alexandri Magni mater, cum Cassandri jussu interficeretur, expirans, capillis ac veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore ejus indecorum videri. Iustinus in fine libri 14. Quod genus aliis compluribus exemplis, Hieronymus Magius lib. 2. miscellan. cap. 21. demonstrat,*

& mu-

& mulieres, & viros insignes, cum moriendum esset, studuisse cumprimis, ut honeste caderent.

k) *Vt in obvolvendo capite parem Cæsari Pompejum, sic in omittendo gemitu, eo fortiorem etiam facit Lucanus, lib. 8. v. 613. & sequentibus, dignis quos adscribam.*

—— ut vidit cominus enses,
Involvit vultus, atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, & æternam fletu corrumpere famam.
Sed postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum,
Respexitque nefas, servatque immobile corpus, *&c.*

Omittit hoc loco Noster insignem ac dignam consideratu circumstantiam, ab aliis expressam autoribus, quod Cæsar in colluctatione hujus cædis ad statuam Pompeij fuerit impulsus, eamque cruore large resperserit: ut appareret, hanc rem Numinis ductu perfectam, ac ultioni de hoste sumendæ præsidem quasi factum Pompejum, ad pedes suos abjecto, atque ob vulnerum multitudinem animam agente: prout imprimis inculcatur à Plutarcho. Quæ loci circumstantia notata quoq; fuit in Equite Aumalio, contra Henricum IV. Regem Galliæ militante, & in oppido Regio S. Dionysii, quod occupaverat, prope hospitium, cujus insigne gladius Regius interfecto. Quam in rem isti versus jactati fuerunt:

Ut Generi ad statuam non uno Julius ictu
Et victor victi corruit ante pedes:
Sic hostis Regum, Regum ad monimenta suorum
Procumbens, merita cæde cruentat humum.

l) *Hoc est,* Et tu inter istos es? & tu, fili? *Magis exprimunt affectum hæc omnia. Sed in plerisque exemplaribus, ut & in Dione, tantum est,* καὶ σὺ τέκνον; *Ideo vero Brutum Græce filium appellavit, quia Cæsar adhuc adolescens Serviliam Bruti matrem efflictim amasse fertur: & quia Brutus est genitus eo potissimum tempore, quo hic amor effervescebat, creditus quodammodo Brutus est è Cæsare genitus. Hæc Plutarchus in vita Bruti, & Appianus lib. 2. bell civil.*

n) *Appianus lib. 2. bell civil. pag. 502. & seq. tumultuosam hanc fugam uberius exsequitur.*

n) *Vel ex codice Torrentii,* Antius.

o) θανατοφόρον, καίριον, *mortiferum.*

p) *Appia-*

p) *Appianus lib. 2. bell. civil. pag. 499. b. diserte:* συνόσθο μὲν ἀλλήλοις ἄνευ τε ὅρκων καὶ ἄνευ σφαγίων: conspiraverunt absque jurejurando & victimis. *Ergo minus proprie,* conjuratos: *rectius supra,* conspiratos & conspirationem *dixit autor.*

q) Seine Güter einziehen. *Vulgo vocant* confiscare. Publicum enim *fit, quod in fiscum & ærarium cogitur.*

r) *Irrita facere, quæcunque à Cæsare rerum potito constituta fuissent. Hujus loci quæstio est, an occiso tyranno, cuncta ejus acta, decreta, leges rescindendæ sint, ubertim excussa cum ab aliis, tum à Ioanne Bodino, lib. 2. de Repub. capitis 5. parte posteriore.*

CAPVT LXXXIII.

1. Postulante ergo [a] L. Pisone socero, testamentum ejus aperitur: recitaturque in [b] Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in [c] Lavicano suo fecerat, [d] demanda-
2. veratque virgini Vestali [e] maximæ. Q. Tubero tradit, heredem ab eo scribi [f] solitum ex consulatu ipsius primo, usque ad initium civilis belli, Cn. Pompejum: idque militibus pro
3. concione recitatum. Sed [g] novissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, Cajum Octavium [h] ex dodrante, & Lucium Pinarium, & Quintũ Pedium [i] ex quadrante reliquo: [k] in ima cera [l] Cajum Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit: pluresque percussorum in tutoribus filii, si quis sibi nasceretur, nominavit: Decimum Bru-
4. tum etiam [m] in secundis heredibus. Populo [n] hortos circa Tiberim [o] publice, & [p] viritim [q] trecenos sestertios legavit.

a) *Cujus filia Calpurnia, Cæsaris uxor.*

b) *Consulis.*

c) Lavicanum, *quod &* Labicanum, *ad eam formam dicitur, qua Tusculanum, Formianum, Nomentanum, & talia. Villa Cæsaris erat, aut prætorium, in agro Labicano.*

d) *More Romano, uti fœderum pactionumque tabulæ, sic testamenta quoque, fidelioris custodiæ causa deponebantur in templis: ac sapissime in isto Vestæ, quod religione primum. Ita D. Augusti testamentum apud virgines Vesta-*

les depositum fuisse. Noster cap. 101. cum Tacito 1. Annal. 8. tradit. Quod idem de M. Antonii testamento scribit in ejus vita Plutarchus. Et generatim de templis Ulpianus: Sacrosanctam testamenti adituus suscepit, &c. l. 3. §. 3. D. de tabulis exhib. Adde Radul. Forner. lib. 6. rer. quotid. cap. 4.

c) *Quæ nostro & aliis* Maxima, *ea Tacito. lib. 11. Annal. cap. 32.* Vestalium vetustissima, *Dioni lib. 54. ἡ πρεσβυτάτη. Atque ita Ovidius 4. Fastor.*

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo est.

Quibus ex locis apparet Maximæ *vocem ad ætatem esse referendam: non, quod Beroaldo videtur, ad dignitatem; qui Vestales Maximas ait eas esse, quales vulgo nunc* Abbatissas *appellitemus. Non enim nisi ministerii & ætatis inter Vestales ordo fuit. In antiquis Inscriptionibus sæpe: V.V. MAXIMÆ. hoc est, Virgini Vestali Max.*

f) *Ait* solitum: *quia soliti olim prudentes patres familias supremis suis mature prospicere, ac sæpe pro oblata occasione testamenti tabulas reficere. Quo spectat etiam autor in Galba cap. 17. cum ait,* à Galba Pisonem testamento semper in bona & nomen ascitum. Semper, *hoc est, quotiescunque testamentum reficeret. Ita hoc loco Cæsar à primo suo consulatu, (in quo collegam Bibulum habuit, & cum Pompejo, nuptum ei tradita filia, contraxit affinitatem) usque ad susceptas cum Pompejo, quæ in bellum civile eruperunt, inimicitias, hoc est, per novennium circiter, quotiescunque confectionem testamenti repeteret, semper eum inter hæredes scribere solitus fuit. Ea de rei testamentariæ cura Romanorum, est notandum cum illud apophthegma Catonis Majoris (apud Plutarch. in ipsius vita, p. 241. d.) trium se per omnem vitam pœnituisse: 1. quod mulieri arcanum credidisset: 2. quod navigasset, quo ire poterat pedibus: 3.* quod vel unum diem mansisset intestatus: *tum etiam iste Senecæ locus lib. 4. de Benef. cap. 11. longior tamen quam ut adscribi debeat. Quanquam non modo Romanis hæc cura: nec abs re Theophilus, Græcus Institutionum paraphrastes, ob gentium pæne omnium in Testamentorum factionem consensum, è Iuris gentium fontibus Testamenta manasse credit. Quid ergo de majorum nostrorum instituto sentiendum, apud quos hæredes successoresque sui cuique liberi, &* nullum testamentum: *si liberi non erant, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi: ut in Germ. cap. 20. Tacitus ait? Id, nisi fallor, aut excusari meretur, eo quod & litera tum incognita, & bonorum non tanta copia fuit: aut etiam ad optimæ gentis laudem referri meretur, quia nullum præsumpserant adeo ingratum futurum, ut opus esset, eum ab hereditate per testamentum excludere. Voluerunt ergo bona concedere iis, quibus Deus & natura. Quo videtur facere lex illa hereditaria Israelitici populi, Numer. c. 27. ut si quis sine filio moreretur,*

reretur, filia in hereditate succederet: si etiam sine filia, fratres: si neq; fratres haberet, patris fratres hereditatem adirent: si neque hi quidem essent, daretur hereditas ei, qui de eius familia propinquitate proxime accederet. Item alia, Numer. cap. vlt. qua non licuit ulla ratione, bona in alias familias transferre aut alienare. Vnde hac ab intestato successio κατ' ἐξοχήν justa *vocatur: & à Bodino in præfat. theatri Naturæ, ut & lib. 5. de Repub. post med. capitis 2. valde commendatur. Sane legem illam Solonis, qua libertatem testatoribus dat, extra familiam quoque relinquendi bona, non absque ratione Plato lib. XI. de Legib. improbat, ut iniquam, ac dolis obnoxiam. Et quum Cæsarem, ipsos percussores suos partim tutores, partim heredes nominantem, sefellerit judicium suum, vel hoc caput abunde docuerit. Vide tamen quæ pro defensione vel explicatione legis illius Solonis adducit Liber. Gentilis comment. in titul. D. de Verb. signif. ad l. 120.*

g) Novissimo, *hoc est, ultimo, Latine, atq; etiam Ciceroniane dictum: contra quam sentit Agellius lib. 10. cap. 21. Vide Cujac. 3. observ. 36.*

h. 1) *Vt omne quodlibet solidum ac integrum, ita patrimonium etiam ac hereditas,* Assis *appellatione venit. Hinc exasse* heres, ἐξ ὅλης λήρου, *qui totam sine socio hereditatem adit. Et quia numeri duodenarii ea dignitas est, ut inter omnes primus habeat partem dimidiatam, tertiam, quartam, sextam, ac duodecimam; ob hanc partitionis commoditatem,* As *in 12. partes æquales, quas* uncias *appellant, dividitur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem: uti sunt, Sextans, continens uncias 2. Triens 3. Quadrans 4. Quincunx 5. Semissis 6. Septunx 7. Bes 8. Dodrans 9. Dextans seu Decunx 10. Deunx 11. Id ergo Noster hoc loco dicit: ex duodecim unciis, in quas Cæsaris hereditas tota divisa fuit, Cajo Octavio assignatum dodrantem, seu novem uncias, hoc est, tres quartas: L. Pinario & Q. Pedio quadrantem reliquum, id est, tres uncias ex integro asse seu quartam partem totius hereditatis. In explicatione loci hujus jam olim multa verba perdidit Alexander Genial. dier. lib. 1. cap. 1. deceptus editione vulgata male distincta:* ex quadrante: reliquos in ima cera &c. *Primus Lipsius ingeniose, ut omnia, animadvertit 1. Elect. 20. vitium subesse, legendumque, ut hic expressimus,* ex quadrante reliquo: in ima cera &c. *Quod ipsius judicium valde confirmat ipse Suetonius, eadem loquendi formula usus in Aug. cap. 101.* Heredes (*inquit*) instituit primos &c. secundos Drusum ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum &c. *Brissonius lib. 7. de formul. pag. 666. m. producit etiam ex Iure aliquot ejusdem formulæ exempla, ubi post partes quibusdam adscriptas, adjiciebant, se* ex parte

reliqua *alios instituere. Vir summus tamen existimat, etiam ita legi posse*: ex quadrante reliquo: alioſque in ima cera &c. *ut illis verbis*, alioſque in ima cera, *substitutiones intelligantur. Det veniam aliter sentiendi. Nam substitutos mox exprimit autor nomine secundorum heredum.*

k) *Hoc est, in extrema parte testamenti. Testamenta namque scribebantur olim in tabulis ceratis, de quibus omnino vide Franc. Hotomani observat. lib. 4. cap. 1.*

l) *Qui postea in familiam nomenq; Cæsaris ascitus, C. Iulius Cæsar Octavianus Augustus dicebatur.*

m) *Boëtius lib. 2. comment. in Topica Ciceronis*: ſecundus, *inquit*, heres dicitur, qui heredi ſubſtituitur: veluti ſi quis filium inſtituat heredem, ſcribatque, ſi is filius intra pubertatem deceſſerit, nepotem, vel quemlibet alium, heredem eſſe oportere. Subſtituti *vero heredes ideo dicti ſecundi, quoniam in secunda cera scribebantur: nec olim licebat ante heredis institutionem vel substituere, vel legare. Hotom. d. l.*

n) *Addit Cicero Philipp. 5. Cæsarem signa & tabulas una cum hortis Populo legasse. De his hortis accipiendus Tacitus 6. Annal. 1. ubi Lipſ. not. 2.*

o) *Vt usus universo populo Rom. communis esset, proprietas nullius.*

p) *Singulis de populo, per singula capita.*

q) *Plutarchus in Bruto & in Antonio 75. drachmas vertit, hoc est, totidem denarios. Quæ summa congruit cum nostro. Nam quatuor sestertii denarium faciunt. Quod si ergo decem drachmæ, sive quadraginta sestertii, Talero Philippico æquivalent, ut volunt; singulis è Populo Philippicos septem cum dimidio à Cæsare legatos oportet.*

CAPUT LXXXIV.

Funere [a] indicto, rogus exſtructus eſt in Martio campo, juxta [b] Juliæ tumulum; & pro Roſtris aurata ædes ad ſimulacrum templi Veneris Genitricis collocata; intraque lectus eburneus, auro ac purpura ſtratus; & ad caput [c] tropæum, cum veſte in qua fuerat occiſus. Præferentibus [d] munera (quia ſuffecturus dies non videbatur) præceptum eſt, ut omiſſo ordine, quibus quiſque vellet itineribus urbis, portaret in campum. Inter [e] ludos cantata ſunt quædam ad miſerationem & invidiam cædis ejus accommodata, ex Paccuvii [f] Armorum judicio: 1. 2. 3.

g Men' servasse, ut essent qui me perderent?

4. Et ex Electra [h] Attii alia ad similem sententiam. Laudationis loco consul Antonius per præconem pronunciavit [i] Senatus consultum, quo omnia ei simul divina atque humana decreverat: item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant: quibus perpauca [k] à se verba addidit.
5. [l] Lectum pro Rostris in Forū magistratus & honoribus fun-
6. cti detulerunt. Quem cū pars in [m] Capitolini Jovis cella [n] cremare, pars in curia Pompeii, destinaret, repente duo quidam gladiis succincti, ac bina jacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt: confestimque circumstantium turba virgulta arida, & [o] cum subselliis tribunalia, quidquid præterea [p] ad donum aderat, congessit: deinde [q] tibicines & scenici artifices vestem, quam ex [r] instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi, atque discissam, injecere flammæ: & [s] veteranorum militum legionarii, arma [t] sua, quibus exculti funus celebrabant: matronæ etiam pleræque ornamenta sua quæ gerebant; & liberorum bullas atque præ-
7. textas. In summo publico luctu [u] exterarum gentium multitudo x circulatim suo quæque more lamentata est: præcipueque [y] Judæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.

a) *Romanis duum generum funera fuere*: Indictivum, *de quo autori hic sermo*: & Tacitum, *alio nomine plebejum, commune, tralatitium, quod fiebat sine pompa, designatore, ludis, præcone, indictione: contra quam Indictivum, ab indicendo sic dictum, quia populus per præconem ad id evocabatur. Solemnia autem hujus Indictionis verba fuerunt ejusmodi*: Ollus Quiris letho datus est. L. Titio exequias ire, cui commodum est, jam tempus est. Ollus ex ædibus efertur: *ut jam olim observavit illustris Scaliger ex Terentio & Varrone.*

b) *Filiæ suæ, Pompeii conjugis.*

c) *Non illud hostilibus onustum spoliis, ne erres: sed unam Cæsaris occisi vestem gerens. Cur hoc? Ad excitandam conspiratis invidiæ flammam. Docet Quintilianus, cum,* Non solum dicendo, *inquit*, sed etiam faciendo quæ-

dam, lachrymas movemus. Unde & producere ipsos qui periclitentur, squallidos atque deformes, & liberos eorum ac parentes, institutum: & ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, & lecta è vulneribus ossa, & vestes sanguine perfusas videmus, & vulnera resolvi, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerumque vis est, velut in rem præsentem animos hominum ducentium. Et populum Rom. egit in furorem prætexta C. Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat: vestis tamen illa sanguine madens, ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi videretur. *Hæc ille lib. 6. Orat. Instit. cap. 1. m.*

d) *Quicquid pretiosum habebant veteres, aut quæ cara fuisse vivis non ignorabant, ea omnia soliti erant conjicere in rogum ejus, quem honore ibant affectum: atque hæc scilicet peculiari nomine* Munera *fuerunt appellata: eodemque modo Græcis* Δῶρα. *De quibus enucleate Ioh. Kirchmannus lib. 3. fun. Roman. cap. 5.*

e) *De ludis funebribus, qui potissimum in Indictivis funeribus usitati, vide quem modo laudavi Kirchmannum lib. 4. cap. 8.*

f) *Fabulæ nomen est à Paccuvio tragœdo scriptæ.*

g) *Pompejani notantur, qui à Cæsare victore servati, & ad honores evecti, paullo post ipsum interemerunt.*

h) *Librarii suo more variant*: Acilii, Accii, Accilii, Attilii: *ex quibus ultimum asserit* Egnatius. *Torrentius vult*, Atii, *erasa* Electra.

i) *Divinos & humanos hos honores à Senatu Cæsari decretos, enumerat autor supra cap. 76. Dio lib. 44. & Appian. lib. 2. bell. civ.*

k) *De suo. Quid ergo sibi vult illa luculenta & elegans Antonii oratio, quam Dio lib. 44. refert? A Dione conficta est.*

l) *Quomodo &* Augusti corpus ad rogum humeris senatorum ferendum *conclamasse patres, autor est Tacitus, 1. Annal. 8. Qui honor Sulla habitus primo Romanorum. Appian. lib. 1. civil.*

m) *Sacri atiore parte templi Capitolini Iovis. Adeundus I. Rycquius de Capitol. Rom. cap. 13.*

n) *Habent hoc loco collegæ conferendi mecum occasionem de illa quæstione, an mortui vectius terræ mandentur, quam crementur: qua de multa reperient in utramque partem in Hieron. Magii miscellan. lib. 3. cap. 11. Iunii quæst. polit. part. 3. quæst. 111. Gerard. dec. 8. quæst. 10. Camerar. centur. 1. cap. 14.*

Nos

Nos sepulturam, utpote cum sacræ scripturæ, tum saniori gentium judicio convenientiorem, asseremus.

o) *Patet ex hoc loco, subsellia, tribunalia, & tale fori instrumentum, velut ruta cæsa, opusve quoddam intestinum fuisse, quod loco moveri transferrique poterat. Addit Plutarchus, & mensas numulariorum in rogum Cæsaris injectas. Nostro hoc sæculo redeant velim, qui ipsos cum mensis numularios: & melius haberemus.*

p) Donum *hic vocat eas inferias, quas paullo ante* Munera *dixerat. Pro* ad donum *temere Beroaldus, & contra fidem codicum, substituit,* ad manum: *quem secuti Egnatius, Sabellicus, alii.*

q) *De tibicinibus istis ac scenicis artificibus ad funus adhibitis, vide cum cura differentem Io. Kirchmannum lib. 2. fun. Rom. cap. 5. & 7.*

r) *Ex apparatu triumphali, quo usi fuerant in actione ludorum triumphalium Cæsaris.* Instrumenta triumphorum *ad eam formam à Suetonio dicuntur, qua in Aug. cap. 71. dixerat* instrumentum regium: *& Senec. lib. 3. de ira cap. 20.* instrumenta epularum *& in Consol. ad Marciam,* instrumenta scenarum: *Aur. Victor in M. Antonino,* instrumenta itineris: *Symmachus lib. 2. epist. 17.* aulæ instrumenta. *Adde Brisson. de V. S.*

s) *Hoc est, legiones compositæ è veteranis militibus, quæ Romæ tum erant, expectantes deductionem in agros promissos. Casaub.*

t) *Subaudi, Rogo injecerunt. Ad testandum ingentem luctum, arma quibus accincti erant milites in rogum arsuri ducis jecisse, Kirchm. lib. 3. fun. Rom. cap. 5. pluribus autorum locis confirmat: quibus adde, quod apud Lucanum lib. 8. Cordus, cum Pompejum ussisset, dicit, eum non optare funus, quale tantæ virtuti debeatur, nec*

——totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

u) *Ob hanc multitudinem, ex toto orbe Romam confluentium, Aristides Romam dicit esse* commune totius terræ oppidum: *eandemque Polemon Sophista apud Galenum,* Orbis compendium & epitomen *appellat: Senecæ Consol. ad Helv. cap. 6.* communem Patriam: *quo loco exilii sui solatium petens ex hoc argumento:* Aspice, *inquit,* hanc frequentiam, cui vix urbis immensæ tecta sufficiunt. maxima pars illius turbæ patria caret: ex municipiis & coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt, *&c.* Nullum non hominum genus concurrit in urbem, & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem. Jube omnes istos ad nomen citari, &, Unde domo quisque sit, quære: videbis majorem partem esse, quæ relictis sedibus

sedibus suis, venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamem suam.

x) *Non vult autor noster, exteros per vices, vel per gyrum honoraſſe funus Iulii:* (*quomodo Torr. locum exponit*) *ſed unamquamque gentem peculiari loco congregatam, ſuo more teſtatam triſtitias ſuas.* Circulos *enim* facere *dicuntur, qui in unum congregantur.* *Hæc Gruterus ὁ πάνυ, in Notis ad Suet.*

y) *Hujus loci, πολυθρυλλήτοι quæſtiones illæ ſunt; an Peregrini, an item Iudæi, atque adeo diverſarum religionum homines, in Repub. ferendi? Nos Affirmantem ſuo modo propugnabimus.*

CAPUT LXXXV.

Plebs ſtatim [a] à funere ad domum [b] Bruti & Caſſii 1.
cum facibus tetendit: atque ægre repulſa, obvium ſibi [c] Helvium Cinnam, per errorem nominis, quaſi [d] Cornelius is eſſet, quem graviter pridie concionatum, de Cæſare, requirebat, occidit: caputque ejus præfixum haſtæ circumtulit. Poſt- 2.
ea ſolidam columnam prope XX. pedum [e] lapidis Numidici in foro ſtatuit: ſcripſitque, [f] PARENTI PATRIÆ. Apud 3.
eandem, longo tempore, ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam [g] interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere, perſeveravit.

a) *Poſt celebratas exequias. Nam ea præpoſitionis à vis eſt. Sic Noſter in Tiberio:* à commeatu *caſtra repetentes, hoc eſt, poſt commeatum. Ex hoc loco diſcamus licet inconſtantiam πολυκεφάλου beſtiæ, vulgi. Idem ille populus, qui paulo ante clam palamque dominationem Cæſaris detrectans, libertatis aſſertores flagitabat, hos ipſos nunc ad necem depoſcit. Bene Livius, 31. cap. 34.* Nihil tam incertum, nec tam inæſtimabile eſt, quam animi multitudinis. *Demoſth. de falſa Legat.* ὁ μὲν δῆμός ἐστι ὄχλος, ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων, καὶ ἀσωματότατον· ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκλάστως, ὡς ἂν τύχῃ κινούμενον: Populus eſt turba, res omniũ inconſtantiſſima & ſtolidiſſima: ut in mari unda fluctuans, quæ fortuito agitatur. *Tacit. 1. Hiſt. 69.* Vulgus mutabile ſubitis, tam pronum in miſericordiam, quam immodicum ſævitia fuerat. *Adnotandum hoc autoris exemplum ad Camerar. operar. ſubciſ. centur. 1. cap. 40. ubi de mulitudinis irritatæ furore, ſævitia & crudelitate.*

b) *Vt principum conſpirationis, qui paucis poſt diebus urbe exceſſerunt. Plut. in Caſ.*

c.d.) *Vide*

c.d.) *Vide Valer. Maximum lib. 9. c. 9. exemplo 1. Xiphilinus in rebus Cæsaris ex Dione refert, quod Cajus Casca trib. pleb. cum resciviſſet, Cinnam ex ſimilitudine nominis occiſum eſſe, timuerit, ne ipſe quoque tali errore necaretur, eo quod P. Servilius Caſca, & ipſe tribunus plebis, è numero conſpirantium eſſet. Itaque promulgato ſcripto, ſimul nominis communionem & conſilii differentiam ſignificavit. Eadem ratione, cum riſu tamen hominum, ſecuritati ſuæ cavit M. Terentius Varro, quod uni ex proſcriptis ab Auguſto, idem nomen eſſet: ut idem Xiphilinus in Aug. ſcribit. Quo utroque in loco Latinus interpres, pro eo quod modo diximus,* promulgato ſcripto, *ſeu Noſtri verbo,* (*ſupra cap. 80.*) propoſito libello, *habet,* immutatis literis, *&*, litera de ſuo nomine detracta, *putans eum ſenſum eſſe verborum Xiphilini,* γράμματι ἰδίῳ. *Vide quantum interſit, è fonte hauriat, an è rivo.*

e.) *Marmor Numidicum (in Numidia Africæ regione repertum) cæteraque marmorum genera, videantur apud Plinium lib. 36. c. 6. & 7. Iſidorum lib. 16. orig. cap. 5.*

f) *Titulos baſi ſtatuarum incidi conſeueviſſe, patet ex autore in Domitiano, cap. 15. Eiuſmodi titulorum formulas aliquammultas eruit ex antiquitate Barn. Briſſonius. lib. 8. de form. pag. 828. & ſeqq. Cicero lib. 12. famil. epiſt. 3. hanc ſtatuæ Cæſaris inſcriptionem ita conceptam habet,* Parenti optime merito: *ac eam hoc ſpectare dicit, vt percuſſores Cæſaris non modo ſicarij, ſed etiam* parricidæ *iudicentur. Sane Val. Maximus lib. 1. c. 6. & 8 lib. 3. c. 1. lib. 6. c. 4. & 8. ex illa* Parentis Patriæ *appellatione, qui Cæſarem interemerunt,* parricidas, *illamque Patris Patriæ necem,* parricidium, *& alias* publicum parricidium *appellat.*

g) *Pertinebat hoc, ut & cætera, ad divinitatem Cæſari tribuendam. Et quid mirum, id accidiſſe Cæſari mortuo; cum Imp. Auguſto etiam vivo? Sic enim de ipſo Horatius lib. 2. epiſt. 1.*

Præſenti tibi maturos largimur honores:
Iurandaſque tuum per numen ponimus aras.

Quod item in mortuo perſeveravit. Claudius quidem Imperator jusjurandum neque ſanctius ſibi neque crebrius inſtituit, quam per Auguſtum, *ait iterum noſter cap. 11. Sane iusiurandum per nomen numenque Cæſareum, habitum fuiſſe ſanctiſſimum, ex his quoque perſpicere eſt. Tertullianus in Apologet. cap. 28.* Majore formidine, & callidiore timiditate Cæſarem obſervatis, quam ipſum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum Genium Cæſaris pejeratur. *Ita Minutius Felix in*

Octavio: Et est eis tutius, per Jovis Genium pejerare, quam Regis. *Est huius loci l. 13. in fi. D. de jurejur. quæ* per Genium Principis *pejerantes, fustigationem pœnam statuit. Sed & apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. 73. Rubrio* violatum perjurio nomen Augusti, *tanquam atrox crimen objicitur. Quamquam ibi Tiberius id non vindicandum censuerit, addita ratione*: deorum injurias dis curæ esse. *Quomodo Imper. Alexander etiam l. 2. C. de reb. cred.* Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet. *Dei vero quia non usque adeo multi verentes, ideoque nec Iurejurandi sacrosancta omnibus religio est. Apposite Labeius apud Agellium 16. cap. 7.*

Quid est jusiurandum? Emplastrum æris alieni:
atque omnis adeo mala causa. Sic Plautus Rudente 5, 3, 18.

Iusjurandum rei seruandæ, non perdendæ, conditum est. *Definitore Pacuvio:* Iusjurandum est mantile, quo quotidianæ noxæ exterguntur.

CAPUT LXXXVI.

Suspicionem Cæsar quibusdam suorum reliquit, neque 1.
voluisse se diutius vivere: neque curasse, quod valetudine minus prospera uteretur: ideoque & quæ [a] religiones monerent: & quæ renunciarent amici, neglexisse. Sunt qui putent, 2.
confisum cum novissimo illo [b] Senatusconsulto ac [c] jurejurando, etiam custodias [d] Hispanorum cum gladiis sectantium se, [e] removisse. Alii è diverso opinantur, insidias undique im- 3.
minentes subire semel confestum [f] satius esse, quam cavere semper. Alii ferunt dicere solitum, non tam sua quam Rei- 4.
pub. interesse, uti salvus esset: [g] se jam pridem potentiæ gloriæque abunde adeptum: Rempublicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione civilia bella subituram.

a) *Hoc est, Haruspicum responsa, prodigia, insomnia, & talia prognostica casûs imminentis. Autor hoc vocis significatu supra quoque c. 59. usus*: Cæsar, *inquit*, ne religione quidem ulla à quoquam incepto absterritus est. *Et cap.* 18. cum litare non posset, spreta religione introiit curiam. *Et in Galba cap.* 8. Expeditionem præpropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura. *Et postea subjicit, quæ fuerint istæ religiones:*

scil.

scil. adversissima auspicia: mota nec dum condita ancilia: sacra Cybeles. Hinc rejicere à se religionem, *hoc est, omen ad alium transferre: sicut contra,* objicere religionem, *est, ex observatione ominis alicui δεισιδαιμονίαν incutere: quod Tacitus (1. Hist. 89.) dixit* afferre religionem, *ut monet in Conjectaneis ad Varronem divinus ille Scalig. Cicero Phil. 1.* cum innumerabiles religiones in Remp. inducerentur: *Hoc est, anxietates & formidines adventantis iræ divinæ.* Exsolvere religione, *Livio lib. 29. est hujusmodi scrupulum adimere.*

b) *Quo divina simul ac humana omnia Cæsari decreta fuere.*

c) *Quo se cuncti ad tutandam totis viribus Cæsaris salutem obstrinxerant.*

d) *Hoc exemplo Imp. Augustus (Nostrum in ejus vita cap. 49. vide) manum Calagurritanorum (qui & ipsi Hispaniæ populi sunt, ad montes Pyrenæos, Vascones dicti) custodiæ causa, inter armigeros circa se habuit. Ergo non usq; quaq; recte Politici nonnulli, satellites & custodes corporis extraneos asciscere, numerant inter tyranni notas. Quomodo etiam Buchananus l. 18. Hist. Scoticæ inquit: Mariam Scotiæ reginam, repudiatis Scotis, custodiam sui corporis Italis commisisse: hancque certam viam esse ad tyrannidem, si peregrino satellitio se muniat. Nam ut in parte de Cæsare deque Maria concedamus; Augustus certe, & qui idem factitarunt alii nonnulli, laudatissimi Principes fuere. Pertinet autem ad commendationem nostræ gentis, quod præcipue Germanorum opera, Magnatum in custodiis, prout etiamnum hodie nonnullibi fit, expetita fuit. Nam & Augustus, Calagurritanis illis quos diximus, dimissis, in eorum locum Germanos allegit, ut scribit allegato modo loco noster. Eosdem satellites habuisse Tiberium, tradit Tacitus 1. Annal. 24. Caligulam, Noster in ejus Vita, cap. 43. 45. 48. Claudium, idem in Claud. cap. 10. Neronem, Tacitus 15. Annal. 58. Vitellium, Dio lib. 65. Caracallam, Herodianus lib. 4. cap. 4. Constantinopolitanos Imperatores, Saxo Gammaticus lib. 12. hist. Quorum (Orientalium inquam Impp.) etiam Anglos (quid autem nisi origine Germanos?) satellites fuisse, quos ille Barangos dixerunt, ex Niceta Choniate & Curopalata notum est. Sed & externi Reges in suo satellitio Germanos habere gavisi sunt: quemadmodum de Herode Iudæorum Rege id testatur Iosephus lib. 17. antiquit. Iudaic. c. 7. Causam rei vix aliam dixero, quam quod veteri elogio, atque utinam non prope nunc exolescente,* Nulli mortalium ARMIS aut FIDE *ante* Germanos *esse censerentur, ut ait Tacitus lib. 13. Annal. cap. 54.*

e) *Inconsulte. Qua de re Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 57.* Laudandum,

dum, *inquit*, experient a consilium est Pansæ atque Hirtii, qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitum, armis teneret. At ille dictitans, mori se, quam timeri malle, dum clementiam quam præstiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus est. *Cautius Tarquinius Superbus*, cum nihil quicquam ad jus regni præter vim haberet, armatis corpus circumsepsit, *ut est apud Livium lib. 1. cap. 49. Quid, quod etiam juste imperio potitus. necessaria tamen custodia vel ad tutelam est*, cum parum tuta majestas sine viribus sit, *ut inquit Livius 2. cap. 55. & judice Livia apud Dionem lib. 55. fieri non possit, ut Princeps omnibus placeat, & non vel justissime imperans, in multorum odia incurrat: vel certe ad ornamentum. quo intuitu Mamertinus in laudatione Iuliani, arma & juvenes, cum gladiis atque pilis, non tam custodias corporis aut esse, quam imperatoriæ majestatis quendam solemnem ornatum. Sed hac de quæstione (num præsidio Princeps armatus esse debeat) operæ pretium est consulere Aristotelem lib. 3. Polit. c. 11. & ibi Casum ac alios interpretes, Lipsium 4. Polit. 7. Bodinum 4. de Repub. 1. Clapmar. lib. 3 de arcan. imperii, cap. 14. Kekermannum disput. pract. 34. quæst. 5. Gerardum decad. 3. quæst. 9. aliosque nobiscum conferre volentibus ansam præbituros.*

f) Nemo tam timidus est, ut malit semper pendere, quam semel cadere, *inquit Seneca epist. 22. Similia de metu non anticipando, idem ille autor, in epistolis 13. 24. 74. &c:*

g) *Hinc Cicero pro M. Marcello, Cæsarem alloquens:* Itaque, *inquit*, illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem invitus audivi: Satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse: addo etiam, si placet, gloriæ; at, quod maximum est, patriæ certe parum.

CAPUT LXXXVII.

Illud plane inter omnes fere constitit, talem ei mortem 1.
[a] pæne ex sententia obtigisse. Nam & quondam cum apud 2.
[b] Xenophontem legisset, Cyrum ultima valitudine mandasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, [c] subitam sibi celeremque optaverat: & pridie quam occideretur, in sermone nato super cœnam, apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumque prætulerat.

a) *Recte,*

a) *Recte*, pæne. *Subitam enim quidem, sed non violentam.*

b) *Locus extat lib. 8. Cyripæd. sub finem, ubi Cyrus morti proximus, vocatis filiis, prætereaque amicis & Persarum magistratibus, cum alia plura locutus, tum imprimis filios adhortatus est, ut se vicissim, & honorarent, & amarent: mandavitque, ut corpus suum, neque in auro, neque in argento conderent: sed illud terræ quam primum redderent, &c: Ex ea Cyri oratione multa convertit Cicero in Catone majore. De mandatis, quæ morientes heredibus dare soliti fuerint, aliquammulta classicis ex autoribus collegit Barn. Brissonius lib. 7. formul. pag. 749. & seq.*

c) *Hujus loci sunt in Antig. Sophoclis (vers. 1330.) illa verba Chori ad Creontem, in vario luctu domus cupientem è medio sine mora tolli:*

Βράχιστα γὰρ κράτιστα τὰν ποσὶν κακὰ.

Urgentibus malis, celeritas optima est.

Senec. 2. de benef. 5. Nihil æque amarum, quam diu pendere. Acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: & misericordiæ genus est, cito occidere: quia tormentum ultimum, finem sui secum affert; quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars est. *Vnde & Lucanus nefandæ sævitiæ dirum morem vocat,* pereuntis parcere morti: *quod fecisse Tiberium & Caligulam, scribit in eorum vitis Autor c. 61. & c. 30. Imp. Iulianus apud Ammianum Marcellinum lib. 25. cap. 10. ex vulnere moriens, sempiterno Numini gratias agit, quod* non longa morborum asperitate *sibi decedendum esset. Quin & Plinius lib. 7. c. 53. mortem repentinam ad summam vitæ fælicitatem refert. Vt sit ea felix: fortis certe non est: aut fallitur Lucanus, cui lib. 7. v. 105.*

—— fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest. ——

Majore animo tolerantur adversa, quam reliquuntur, *inquit Tacitus lib. 2. Hist. cap. 46. Et est insigne fortiter expectatæ mortis exemplum Iulii Cani apud Senecam de tranquillit. an. cap. 14. qui non modo decem medios usque ad decretum sibi supplicium dies, sine ulla solicitudine exegit: sed &, cum centurio agmen periturorum trahens, illum quoque citari juberet, lusit latrunculis: vocatus, numeravit calculos, & sodali suo,* vide, *inquit,* ne post mortem meam mentiaris, te vicisse. *Tum annuens centurioni:* testis, *inquit,* eris, uno calculo me antecedere. *Quomodo & Ioan. Fridericus, Elector Saxoniæ laudatissimus, audito mortis decreto, nihil vultu motus, imo additis verbis qui-*

busdam heroicu, Ducem Brunsvicensem Ernestum exhortatus est, ut pergeret secum scacchis ludere: quod refert Amiratus differt. politicar. lib. 12. c. 2.

CAPUT LXXXVIII.

Periit [a] sexto & quinquagesimo ætatis anno: atque [b] in deorum numerum relatus est, non [c] ore modo decernentiu, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, [d] stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti: & hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit: Iduſque Martias [e] parricidium nominari: ac ne umquam eo die senatus ageretur. 1. 2. 3.

a) *Proinde climacterico hebdomatico octavo, nec eo tamen exacto, deficiente quadrimestri circiter. Idem annus sustulit è viris principibus, Romulum, P. Scipionem Africanum, Pompejum Magnum, M. Antonium III. Virum, Iulium Agricolam socerum Taciti, Constantium Constantini M. patrem: Impp. Valentinianum Majorem, Constantinum Copronymum, & Nicephorum: Dionem item Syracusanum, Attilam, Ludovicum XII. Regem Galliæ, Casimirum I. & Ladislaum II. Poloniæ, Ludovicum & Matthiam Corvinum Vngariæ, Henricum VIII. Angliæ, Petrum Arragoniæ ac Siciliæ, Fridericum I. & Christianum III. Daniæ Reges: Ottonem Henricum Electorem Palatinum, Ioannem Galeacium Vice comitem, &c: è viris doctis Virgilium, Horatium, Plinium 2. Ioannem Gersonem, Dantem Aligerium, Angelum Politianum, Andream Alciatum, Iacobum Micyllum, Georg. Fabricium, Petrum Ramum, alios q;, quos H. Ranzovius in tractatu de Climactericis annis & periodo Imperiorum, longa serie recenset: ita tamen, ut cũ in hoc, tum aliis, climactericis, tam hebdomaticis, quam enneaticis, ἐν πλάτει proxime præcedentem & proxime sequentem annum, climactericum quoque faciat: caute id quidem, ut quo plures sunt climacterici, tanto minus illa doctrina videatur a vero deflectere, fere semper humanæ vitæ termino in aliquem illorum incidente. Quanquam, si quis id operæ sumere sustineat, forte non pauciores annis non-climactericis obisse deprehendet. Equidem eam de vi climacterum sententiam, licet antiquissimam, & magnis assertam autoribus, ex vano multum trahere vix dubito. Quæ de re mecum amice disceptaturi collegæ, cum è Ranzovii, quem dixi, tractatu, tum*

Agellio

Agellio 3. c. 10. & 15. c. 7. Censorino cap. 14. Firmico Materno 4. cap. 14. & 8. cap. 26. Hermol. Barbaro ad Plin. 7. c. 49. Cælio Rhodig. lib. 22. A. L. cap. 12. Fr. Vallesii sacra Philosophia. cap. 7. & 21. Bodini methodo historica, c. 6. argumentorum suorum tela depromere possunt. Tam enim causæ non desidimus, ut adversarios ipsi armare nihil vereamur.

b) *Hanc Græci θεοποίαν & ἀποθέωσιν, Latini consecrationem ac deificationem, barbari Canonizationem appellant. Quæ quo ritu solita fuerit olim apud Romanos peragi, nemo veterum accuratius Herodiano tradidit lib. 4. ubi consecrationem Imp. Severi, quam superstites filii Antoninus & Geta patri fecerunt, describit. E recentioribus de ea Blondus videatur lib. 2. Romæ triumph. Panvinius lib. 2. Fastor. Kirchmannus lib. 4. de fun. Rom. capp. 13. & 14. Habita ratione ἀρχηλῶν collegarumque nostrorum, moralia quam philologica malentium excutere, id hoc loco consideremus, an istiusmodi consecrationes laudari, vel saltem excusari mereantur. Etsi vero non desunt hodie, qui nihil arbitrantur absurdi vel impii commissum a Romanis, eo quod nomen Dei non pro divina essentia, sed μιλαζονικῶς, pro politica dignitate quadam acceperint, quomodo Virgilius ecl. 1. Deus nobis hæc otia fecit & ecl. 5. Deus Deus ille: atque in Sacris etiam (Psalm. 82. 6. & Iohan. 10. 34.) Magistratus Dii appellantur: non video tamen, quomodo possint a manifesta impietatis eximi culpa. Non enim improprie ac methaphorice, sed ut vero Numini, hunc eos honorem habuisse, in modo citato Herodiani loco evincunt illa verba: Καὶ ἐξ ἐκείνου μετὰ τῶν λοιπῶν θεῶν θρησκεύεται: ac jam ex illo (post apotheosin scilicet) una cum cæteris Numinibus Imperator colitur. Hinc primo templa illis ac fana, tanquam veris Numinibus, statuta. Deinde, cum vana fuissent sine sacris templa, ideo etiam Flamines, Sacerdotes ac Sodales instituti. Tum eorum imagines factæ ad formam deorum, usque signa apposita, quæ deorum status solent, puta Radius, Astra, Fulmen. Hujusmodi imagines inter Deos penates collocabant, quas vel conflare, vel vendere, piaculum erat, ut ex Tacit. 1. Annal. 73. apparet, simulque per numen consecratorum jurari solitum, idque juramentum sanctissimum habitum fuisse. Hi similesque honores alii deastris illis tributi, non possunt idololatriæ crimen effugere: cujus eos etiam accusat Tertullianus de coron. mil. cap. 10. & in libro de spectaculis cap. 13. itemque lib. 1. de falsa relig. c. 15. in carmine Sibyllino Lactantius.*

c) *Id ideo monet autor, cum alias Romani fere per adulationem, minime meritos id honoris, in numerum deorum cooptare sint soliti: prout ostendit etiam D. Augustinus lib. 2. de civit. Dei, c. 15. Quam ad perstringendam Ro-*

manorum

manorum consuetudinem, Tacitus in libello de morib. Germ. cap. 8. ex antithesi docet, Germanos faminas quasdam ut numina veneratos, non adulatione, nec tanquam facerent deas. *Sic Seneca lib. 1. de clem. cap. 10.* Cæsarem Deum esse, non tanquam jussi, credimus.

d) *Eo de cometa Plinius lib 2. cap. 25. productis ipsius Augusti verbis, hæc refert: Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso &c. Namque his verbis id gaudium prodidit:* Iis ipsis ludorum meorum diebus sydus crinitum per septem dies in regione cœli, quæ sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Eo sydere significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. *Hæc ille in publicum: interiore gaudio, sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est: &, si verum fatemur,* SALUTARE *id terris fuit. Salutare? Quid ergo sibi notus ille vult senarius:*

Οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει?

Nugæ, nugæ. Recto sanoque judicio Scaliger exercitat. 79. sect. 2. credere, à cometis interfici Principes, aliaque produci mala, ridiculæ *inquit* esse dementiæ. *Et ut mittam, Platonem & Aristotelem, Philosophorum Principes, nihil, quod sciam, de cometarum pernicie disputasse; patrum quoque memoria Thomas Erastus & Marcellus Squarcialupus, viri doctissimi, omnem cometis infamiam detraxerunt, eosq; nullius vel privatæ vel publicæ calamitatis, ac ne felicitatis quidem signa, nedum causas esse, contra cometarios, seu cometomantes, seu mavis κομητομανεῖς, solidissime demonstrarunt: me quidem antehac aliter sentientem, in sua castra pene reluctantem abduxerunt, dcoueruntque fortiter Philosophari, hoc est, vulgaribus & sine ratione persuasiunculis meticulosorum hominum, non nimium commoveri. Eorum dissertationes de cometis, excusæ sunt Basileæ, anno 1580. Vide sis.*

e) *Causam nominis paullo ante retulimus, cap. 85, 2. b.*

CAP.

CAPUT LXXXIX.

1. [a] Percussorum autem fere, neque triennio quisquam
2. amplius supervixit, neque [b] sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio: [c] nonnulli semet eodem illo pugione quo Cæsarem violaverant, interemerunt.

a) *Hoc idem de cædis Gordiani junioris autoribus observat Amm. Marcellinus lib. 23. c. 14.* Nec erravere diu manes inulti, quod velut clarente justitia, omnes qui in eum conspiravere, cruciabilibus interiere supplicis. *Id genus exempla quædam ἐξωμνμόνευλα (cædis Principum divinitus punitæ) congessit Chr. Forstnerus, hypomnem. Polit. 94.*

b) Sua morte *defungi, est ex naturæ communi lege obire: cui opposita* mors violenta, *quam* biothanatam, *ut illam* propriam, *appellat Iul. Firmicus lib. 8. Astron. cap. 19. Sic Tacitus lib. 2. Annal. cap. 71.* fato concedere, *&* intercipi, *inter sese opponit. Ammian. Marcellinus lib. 20. cap. 6.* justa morte oppetere *dicit eum, qui ad jussum & arbitrium alterius, animam ponit, id est, morte biothanata. Faciunt alii mortem triplicem: vel* αὐτόματον, *hoc est,* naturalem, *fatalem, suam, propriam, simplicem (his enim nominibus designatur) vel* ἑκούσιον, spontaneam, *quam ipsi manu facimus, non uno loco commendatam à Seneca Stoicisq;: vel* βίαιον, violentam, *quæ vi aut necessitate aliqua extrinsecus admota venit. Apud Homerum (quod liceat obiter adspergere) Odyss. 22.* Καθαρὸς θάνατος, Mors pura, *interprete Eustathio, eorum est, qui ense occiduntur: ut contra* μιαρὸς θάνατος, Mors fœda *& execrabilis eorum, qui strangulantur: ob hanc, credo, rationem, quia, ut olim, aquis suffocatorum animæ penitus interire credebantur (id quod Synesius epist. 4. Homeri testimonio ex Odyss. 4. v. 511. confirmat. Adde Lipsi. Physiol. Stoic. l. 3. cap. 11.) ita quoque Strangulatorum: quod in utriusque anima non videatur exitum habere. Quo respicit 3. de ir. 19. Seneca, ubi sævitiam Caii exagitans, qui morituris os pannis concisis farciebat.* Quæ ista sævitia, *inquit*, est? liceat ultimum spiritum tradere: da exituræ animæ locum. *Et ea quam modo dixi epistola Synesius de sociis Alexandriam navigantibus tradit, eos tempestate suborta, sicas manibus exeruisse, ut animæ, alioqui morituræ, gladio viam aperirent. Alio tamen, quam noster Autor, sensu Livius lib. 9. cap. 18. f.* suo fato mori, *de eo dixit, qui quidem in prælio, proindeque violenta morte, sed sine Reip. discrimine occumbit.*

c) *Cassius erat, autore Plutarcho: atque etiam Brutus, ut habet in princ. lib. 48. Dio. Capitolinus in Gordian. cap. 33. hoc ipsum producens exemplum*, Quod de Cæsare, *inquit*, memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus evenisse scribit. Nam omnes quicunque illum gladio appetiverunt (qui novem fuisse dicuntur) postea interempti Philippis, sua manu, suisq; gladiis, & iisdem quibus illum percusserant, interiisse dicuntur, *Ergo docuit eventus, hoc factum Deo gratum non fuisse. Quamvis enim id cum voluntate Dei, justas à Cæsare tanti sanguinis ob meram ambitionem effusi, violataque patriæ pœnas exigentis, quodammodo congruere videatur: certum tamen est, illos invidia, impatientia & vindictæ, gloriæ, commodi proprii cupiditate stimulatos potius, quam spectata Reipub. salute, facinus hoc perpetrasse: tyrannidem Cæsaris interim suis cupiditatibus prætexuisse, ut innuit D. Augustinus lib. 3. de civit. Dei, cap. 30. Quemadmodum nec illo percussores excusantur, quod Cæsar non legitime ad principatum perveneris, ut quidem sentire videtur Bodinus lib. 2. de Rep. c. 5. & Iunius Brutus, quæst. 3. vindiciar. contra tyrannos. Qua causa Cicero Philipp. 2.* percussores ipsius eam gloriam consecutos *dicit*, quæ vix cœlo capi posse videretur: *& lib. 10. famil. epist. 28. eadem Cæsaris* divinum *nomine* in Rempub. beneficium, seque ad illam, tamquam ad epulas pulcherrimas invitatum fuisse *optat. Nec enim Cæsaris dominatio tam tyrannica fuit & injusta, ut non melius atque tranquillius sub ipso, quam antea, viveretur. Certe Plutarchus in Bruto, pag. 1010. b. Sic judicat, quod rebus ipsis unum Principem poscentibus Cæsarem tanquam lenissimum medicum, Deus ipse Reipub. Romanæ concesserit. Præterea si fuit tyrannus Cæsar, non insidiosis pugionibus ipsum confodere, sed coacto Senatu, de maturo justoque tollendi medio consultare debuerunt: imo potius ejus Dominationem, quam jam habebat acquisitam, patienter ferre. Sic enim absque distinctione mandat D. Paulus ad Rom. 13. & D. Petrus epist. 1. cap. 2, 18. Quin ipsi sibi debuerunt imputare, quod præter alios summos honores, ipsum Imperatorem* ἱερὸν καὶ ἄσυλον *sanctum & inviolabilem, itemq; Dictatorem perpetuum creassent. Cæterum hac de quæstione, tollendine sint an tolerandi tyranni, Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 5. Lipsius lib. 6. pol. c. 5. aliiq; tractant.*

C. SVETONII TRANQVILLI

D. OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS.

CAPVT I.

1 GENTEM *(a)* Octauiam *(b)* Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam & *(c)* vicus celeberrima parte oppidi iam pridem *Octauius* vocabatur: & ostendebatur *(d)* ara Octauio
2 consecrata; ‖ qui *(e)* bello dux finitimo, cùm forte Marti rem diuinam faceret, nuntiata repentè hostis incursione, *(f)* semicruda exta rapta foco *(g)* prosecuit: atque ita prœ-
3 lium ingressus, victor rediit. ‖ Decretum etiam publicum exstabat, quo cauebatur *(h)* *vt in posterum quoque (i) simili modo (k) exta Marti redderentur, (l) reliquiaque ad Octanios referrentur.*

ANNOTATIONES AD AVGVSTVM SVETONII.

Num. 1. (a) Gentem] *Hoc est, familiam. Quanquam gens aliquanto latius patet, & familias, seu stirpes, seu domos, sub se complectitur. Ita Noster in Nerone* 1, 1. Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Caluinorum & Ænobarborum. *Sic mox* 2, 2. *de duplici gentis Octauiæ familia: & in Cæs.* 6, 3. à Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra.

Ibid. (b) Velitris] Velitræ, *Dioni* Οὐελίτραι, *Stephano* Βέλιτρα, *vulgo* Belitre; *vel, vt alij scribunt,* Belletri, *vetustissimam Volscorum oppidum. Incola Liuio & Plinio* Veliterni: *Nostro infra* 94, 2. Velitrini: *Dionysio Halic.* Οὐελιτρανοὶ, *qui de rebus ab ipsis vel contra ipsos gestis scribit lib.* 3. 6. &

7. Veliterna vina *laudata Plinio* 14, 6. *nunc degenerarunt, propter cruditatem austeritatemque coqui aheno solita, teste Merula Cosmogr.* 2, 4.

Ibid. (c) Vicus Octauius vocab.] *An hic fuit conditor Vrbis? an exhaustam casu aliquo, frequentauit? Magnum certe quoddam videtur istius extitisse in Rempub. beneficium, cuius gratia heroicos honores sit consecutus. Ait autem Diodorus* 20, 103. heroicos honores *esse istos: de nomine alicuius nomen loco imponere: ei aras, festa, ludos decernere, &c. Hæc Casaubonus. Videri tamen queat ille vicus non tam honoris heroici causa, quàm more passim recepto, à primario eius incola denominatus.*

Ibid. (d) Ara Octauio consecrata] *id est*, ab Octauio: *nec crede cum interpretibus, rudi illo & ignaro adulandi æuo, Octauio ipsi sacratam aram. Hæc Lipsius ad Tacit.* 2, 50, 5. *vbi similis locutio:* vt propinquis remoueretur, *id est*, à prop. *Et* 6, 41, 3. Vrbes Macedonibus sitæ, *h. e.* à Mac: *Casaubonus tamen atque Gruterus, aram hanc ipsi Octauio, non ab Octauio, consecratam volunt. Neq; enim nouum, vt aræ ponerentur quoque priuatis.*

2. (e) Bello finitimo] *Quod vel* cum finitimis *quacunque causa geritur: vel quod* pro finibus: *qualia fere bella illo seculo. istud autem non finitimum tantùm, sed vere* antarium, *vt veteres appellabant,* [*h. e. quod ante vrbem geritur, vt scribit Festus*] *Causaub. Ceterum finitimos Veliternis Tusculanos & Vlubrenses facit Plinius* 3, 5.

Ibid. (f) Semicruda exta rapta foco prosecuit] *Hoc est, nondum de more percoctas victimæ carnes, è foco rapide accepit, earumque* prosicias *Marti obtulit, & in aram iniecit adolendas, quod videret, in illa subita hostium incursione moram cum periculo coniunctam, & satius esse vel semicruda exta prosecare, quàm sacrificium relinquere. Mars factum probauit, vt quidem cæci homines sibi persuadebant, & victoriam dedit: Octauius & pietatis, & inuenti subitò consilii laudem tulit.*

Ibid. (g) Prosecuit] *Sacrificale verbum. Liuius* 5, 21, 6. Qui eius hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari. *Paullus ex Festo:* Exta dicta, quod ea diis prosecentur, quæ maxime extant eminentque. *Leno Plautinus in Pœnulo* 2, 1, 7. *quum se litare non posse videret,* exta prosicari *vetat, quippe deæ, quam exorare & propitiam sibi reddere non poterat, iratus. Lucianus de sacrif. hoc vocat,* ἔγκατα ἀνατέμνειν. *Inde particulas istas extorum siue frusta prosecta,* prosicias *appellat Arnobius lib.* 7. *pag.* 290. *Martianus Capella lib.* 1. *pag.* 5. *pr. & Macrobius* 7, 12. *quas vetus Glossarium,* ἀπαρχὰς τῶν θυμάτων *interpretatur. Adde Nonium in verbo* Prosecta: *Turnebum Aduersar.* 15, 7.

3. (h) Vt

3. (h) Vt in posterum quoque simili modo] *Aldinam lectionem expressimus, Palatinis etiam & Casauboni manuscriptis codd. munitam. Vulgati sunt*: vt quoque anno in posterum simili modo.

Ibid. (i) Simili modo] *Scilicet semicruda. Quod & Romanis postea (an Veliternorum imitatione?) factitatum. Arnobius lib. 2. pag. 115.* Quum Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida cremarentur diis exta, nonne rege sub Tullo semicruda cœpistis & leuiter exanimata porricere, prisca obseruatione contemptâ? *Vnde sugillandi superstitionem gentilium, ansam arripit idem lib. 7. pag. 290.* Auersionibus stomachorum numina laborant? vt ad expellenda fastidia saporum varietas quæratur? vt modò his assa, modò cruda ponantur: semicocta modò & semicruda?

Ibid. (k) Exta Marti redderentur] *Seruius ad illud Virgilii Georg. 2, 149.*

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta,

Proprio, *ait*, sacerdotum verbo vsus est. Reddi enim exta dicebantur, cum probata, & elixa, aræ superponebantur. *Ita Tacitus Hist. 4, 53, 6. & Statius Thebaid. 4, 466. In idem ergo recidunt, Exta reddere & prosecare. Simili ratione* reddere tura *dixit Tibullus 1, 3, 34.* reddere liba *Ouidius Fastor. 6, 476.* reddere vina, *Idem Fastor. 4, 896.*

Ibid. (l) Reliquiæ] *Scil. extorum, quibus vescebantur post immolatas victimas. At cùm hostia tota in ignem conijcitur, id* holocaustum *seu* holocaustoma *vocant. Vide Iosephum antiq. 3, 10. Porro ritus omnis exta inspiciendi, probandi, aræ imponendi, & quæ edulio sunt, comedendi, vno verbo σπλαγχνεύειν contineri, docet ex Arriano Salmasius in Solin. 129. E. 1.*

CAPVT II.

1 EA gens à Tarquinio Prisco rege, (*a*) inter Romanas gentes allecta (*b*) in senatum, mox à Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore (*c*) ad plebem se contulit; ac rursus (*d*) magno interuallo (*e*) per D. Iulium in
2 patriciatum rediit. ¶ Primus ex hac magistratum populi suffragio cepit C. Rufus. Is (*f*) quæstorius Cneum & Caium procreauit: à quibus duplex Octauiorum familia de-

fluxit, conditione diuersa. ‖ Siquidem Cneus, & deinceps ab 3
eo reliqui omnes, functi sunt honoribus summis. At Caius
eiusque posteri, seu (*g*) fortuna, seu voluntate, (*h*) in eque-
stri ordine constitere, vsque ad Augusti patrem. ‖ Pro- 4
auus Augusti secundo Punico bello, stipendia in Si-
cilia tribunus militum fecit, (*i*) Æmilio Pappo imperato-
re. ‖ Auus (*k*) municipalibus magisteriis contentus, abun- 5
dante patrimonio, tranquillissimè senuit. ‖ Sed hæc alii. 6
Ipse Augustus nihil amplius, quàm *equestri familia ortum se* (*l*) scribit, *vetere ac locuplete, & in qua primus senator pater suus fuerit.* ‖ (*m*) M. Antonius (*n*) *libertinum* ei *proauum* 7
exprobrat (*o*) *restionem*, (*p*) *è pago Thurino*; *auum* (*q*) *argentarium*. Nec quidquam vltra de paternis Augusti maioribus reperi.

Num. 1. (a) Inter Romanas gentes] *Quidam Mſs.* interminos gentes: *alij*, interminis gentis. *Vnde credibile est in mentem venisse Beroaldo & Sabellico rescribere*, inter minores gentes: *quod rectum esse, Turnebus Aduersar. 24, 15. & Pithœus Subseciu. 2, 7. contendunt, & explicant ex Liuio 1, 35, 7. & Tacito 11, 25. vbi de patribus maiorum minorumque gentium. Hos sequitur editio Pulmanni. Nobis* Romanas *placuit, cum ob aliorum Mſs. consentientem autoritatem, tum rationem allatam à Lau. Torrentio. Nam patritios quidem sic inter se distingui solere, vt pro generis sui antiquitate, alij maiorum, alij minorum gentium dicerentur, nemo ignorat: sed gentes ipsas, siue familias, alias maiores, alias minores absolute dictas fuisse non est existimandum. Huius ergo loci sententia est: Gentem Octauiam, cum Veliterna esset, primò à Tarquinio traductam esse Romam, ac proinde Romanam factam: à Ser. Tullio autem etiam patriciam: cumque postea ad plebem transiisset, à Diuo Iulio redactam iterum inter patricias. Accedit, quod si gens Octauia à Tarquinio inter minores gentes (vt isti volunt) allecta fuit, sequitur eam iam ante Tullii tempora patriciam fuisse: siquidem discrimen illud maiorum minorumque gentium, de patriciis tantùm traditur. atqui Suetonius eam à Tullio patriciam factam ait.*

Ibid. (b) In Senatum] *Hæc verba Torrentius adiecta suspicatur ab eo,*

qui

qui primus minores, pro Romanas, substituit. Et sane Car. Sigonius de iure ciuium Rom. 1, 7. fin. locum hunc citans, ea omisit: eademque Ioan. Sarius Zamoscius de Senatu Rom. pag. 24. (cuius libri autor & ipse Sigonius à Thuano proditur) adulterina esse pronunciauit, credo quod contineri putaret sub mox sequenti dignitate patricia, quam cum officio senatorio confundere videtur etiam Plutarchus in Romulo cap. 18. Verùm Sabellicus recte monet, aliud fuisse, senatorem esse, aliud patricium: & hoc ordinis, illud officii nomen extitisse. Quomodo Cato, Cicero, alii, senatores fuerunt, at non patricii. Adde Tacit. 11, 25, 3. Quare voces illas, præsertim codicum Mss. cum aliorum, tum Palatinorum, teste Grutero, omnium, autoritate nixas expungere non sustinui.

Ibid. (c) Ad plebem se contulit] Hoc factum est vel patriciorum iura repudiando, vel se in diuersam gentem adoptando: quo pacto effectum est, vt P. Clodius in M. Fonteii, P. Dolabella in Liuia familiam transmigrarent. qua vnaratione patricii ad tribunatum plebis (magnum ad potentiam in Rep. momentum) aspirarunt, id est, si patriciorum se ante iure abdicassent, ac plebis iura sumpsissent. Sigonius de antiq. iure ciuium Rom. 1, 7. Panuinius de antiq. Rom. nominib. pag. 48.

Ibid. (d) Magno interuallo] Dubium, hoc melius, an quod in pluribus codd. magna vi. Sic autor infra cap. 52, 4. Dictaturam magna vi offerente populo, h. e, magna contentione, magno studio. Sed prior lectio præferenda videtur.

Ibid. (e) Per D. Iul. in patric. red.] Iulius Cæsar Dictator lege Cassia (de qua Tacit. 11, 25. 3.) patriciorum numerum augens, asciuit in eum & Augustum, mox ab induta liberata toga. Dio lib. 45. pag. 307. c. Casaub.

2. (f) Quæstorius] Hoc est, quæstura functus.

3. (g) Fortuna] Scil. tenuiore, qua non sinebat ad altiora contendere.

Ibid. (h) In equestri ordine constitere] Et proinde magistratu nullos cepere. Nam qui capiebant, Equites esse aut vocari desinebant, vt pluribus ostendit Sigonius de ant. iure ciu. Rom. 2, 3.

4. (i) Æmilio Pappo imp.] In nonnullis Mss. Papo: in reliqnis Paullo, male. Nam Æmilium Pappum Siciliam sortitum scribit & Liuius 28, 38, 8. vbi tamen Sicilia, prætoria prouincia dicitur. Vnde Steph. Vinandus Pighius Annal. Rom. part. 2. pag. 213. pr. videndum monet, anne legi debeat in hoc loco Suetonii, sub Æm. Pappo Prætore potius quàm Imperato-

re. *Confundunt enim mirum in modum talia nomina librarii indocti. Pigbio tamen responderi posit, Praetores etiam Imperatores dici potuisse, cum exercitum duxerint, & triumphandi ius habuerint. Sufficiat vnicum exemplum Anicii apud Liuium, 45, 43.*

5. (k) Municipalibus magisteriis] *Viterbiens. cod. & Pal. tertius* ministeriis *habent, quod Gruterus natum suspicatur à librario, qui politicum agere volebat, atq; indicare, muneribus publicis occupatos seruire magis quàm imperare, iuxta illud Publii Syri:* Populi est mancipium quisquis patriæ est vtilis. *Sed* magisteriis *rectum est, & significat administrationes illas ac officia publica municipii Veliterarum, quæ magistratûs nomine non dignatur autor, humilitati muneris, vocabuli depressionem accommodans. Erant enim isti non tam honores veri, quàm quædam honorum vmbræ, & qualiacunque magistratuum Romanorum imitamenta. Vide Sigonium de antiquo iure Italiæ, 2, 8.*

6. (l) Scribit] *Haud dubie in libris de vita sua, quos memorat autor infr. 85, 3.*

7. (m) M. Antonius] *Ætate Suetonii extabant adhuc Antonii epistolæ, vnde hæc sunt ab eo desumpta. Cremutius Cordus apud Tacit. Annal. 4, 34,* 11. Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. *Meminit & Seruius ad Æn. 5, 368 Contra has epistolas scripserat librum Messala: cuius mentionem facit Sosipater Carisius lib. 1. Casaub.*

Ibid. (n) Libertinum] *Mss. quidam* libertum. *quod generis sordes magis auget.*

Ibid. (o) Restionem] *Beroaldus hoc nomen Proprium censet, sicut etiam à Macrobio Saturnal. 1, 11. & 2, 13. cuiusdam* Antii Restionis *fit mentio. Sed cum in cognomentis familiarum nihil sit opprobrii, rectius hæc vox accipitur appellatiuè. Casaubonus existimat, ea ratione* restionem *audiuisse proauum Octauii, qua pater Ciceronis dictus* fullo, *Demosthenis* μαχαιροποιὸς, *gladiorum siue cultrorum artifex, quod familias (seruorum) haberent eorum artificiorum peritas, ex eaque re ipsi, vt moris erat, quæstum facerent. Videntur autem restiones olim inter vilissimos artifices habiti: sicut apud Græcos οἱ ἰμαντοτρόφοι. Vnde prouerbium apud Aristophanem in Ranis,* ἰμαντοτρόφου μέλη, restionis cantilenæ, *h. e. hominis vilis.*

Ibid. (p) E pago Thurino] *Qui mox 3, 3.* Thurinus ager: *& 7, 1.* regio Thurina.

Thurina. *Pagus enim hic, vt apud Cæsarem, pro districtu regioneque videtur accipiendus.* Thurium, *aliis* Thurii, *Italiæ in Magna Græcia vrbs erat, vbi Herodotus Historiam suam condidit, teste Plinio* 12, 4. *Eo loco Regio nunc est, quæ vulgo* Torrana, *procul dubio sic ab antiquo oppido nuncupata.*

Ibid. (q) Argentarium] *Hoc ipsum obiicitur Augusto in declamatoria alicuius ad eum epistola, quæ Ciceroni vulgo tribuitur, sub finem*: An esse quendam annos XVII. natum, cuius auus fuerit argentarius, adstipulator pater, vterque verò precarium quæstum fecerit? &c. *Argentarii, nummularii, mensarii, trapezitæ, collybistæ, qui vulgo campsores, idem fere significant: nisi quòd argentarii, maiores negotiatores erant, qui non in permutando tantùm, vt ceteri, tabernam exercebant: sed qui etiam nummos suos aliorumue fœnori collocabant. vt non mirum sit, argentariam artem parum honestam Romanis habitam.* Improbantur *enim* ij quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, vt fœneratorum. *Cicero Offic.* 1, 42. *Ad de Carolum Sigonium de antiq. iure ciu. Rom.* 2, 11.

CAPVT III.

1 CAius *(a)* Octauius pater à principio ætatis, *(b)* & re & existimatione magna fuit: vt equidem mirer, hunc quoque *(c)* à nonnullis *argentarium*, atque *etiam inter (d)* 2 *diuisores, (e) operasque campestres*, proditum. ‖ Amplis enim innutritus opibus, honores & adeptus est facile, & egregie 3 administrauit. ‖ Ex *(f)* prætura Macedoniam *(g)* sortitus, fugitiuos, *(h)* residuam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit, *(i)* negotio sibi in senatu extra ordinem dato. ‖ Prouinciæ *(k)* præ- 4 fuit, non minore iustitia quàm fortitudine. Namque *(l)* Bessis ac Thracibus magno prœlio fusis, ita socios tractauit, vt *(m)* epistolæ M. Tullii Ciceronis exstent, quibus Q. fratrem, eodem tempore parum secunda fama *(n)* proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur & monet, *imitetur in (o) promerendis sociis (p) vicinum suum Octauium.*

Num. 1. (a) Caius Octauius &c. & existim.] *Librorum Torrentii & Palatinorũ lectionem in textum admisi. Vulgati.* Octauius &c. & æstim.

Ibid.

Ibid. (b) Re] *Hoc est diuitiis, opulentia. Horatius* 1. *epistol.* 1,65.

Is ne tibi melius suadet, qui vt rem facias, rem,
Si possis rectè: si non, quocunque modo rem.

Tacitus explicatius 6, 17, 7. rem familiarem *dicit.*

Ibid. (b) Et re, & existimatione magna] *Nam hæc fere se consequuntur, iuxta illud poetæ apud Senecam epist.* 115.

Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

Quomodo Hisp. Tanto vales, quanto tienes. *Octauium tamen hoc fortunæ beneficium, animi donis antecessit. Sic enim de eo Vellems* 2, 59, 2. Fuit Caius Octauius, vt non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia: grauis, sanctus, innocens, diues.

Ibid. (c) A nonnullis] *Qui patrem Octauii argentarium fuisse dixerit neminem è veteribus reperias, præter auctorem versiculi, qui infr.* 70, 6. *habetur*: Pater argentarius, ego Corinthiarius. *Casaub.*

Ibid. (d) Diuisores] *Hi erant antiquitus, qui pecuniam inter tribus, nomine Candidatorum seu magistratus petitorum, viritim diuidebant: quos Plautus* magistros curiarum *in Aululania* 1, 2, 29. *&* 2, 2, 3. *vocat. Diuisorius autem nomen criminosum fuisse, quippe tribulium in ferendo suffragio corruptoris, apparet etiam ex Ciceronis his verbis pro Plancio cap.* 19. *m.* Quam tibi commodum est vnam tribum delige tu: doce id quod debes, per quem sequestrum, quo diuisore corrupta sit. *Idem ibid. cap.* 13. *pr.* Qui si erat diuisor, præsertim eius quem tu habebas reum, cur abs te reus non est factus? *Verrina* 2. *cap.* 69. *pr. Verres* in furis ac diuisoris disciplina *dicitur* educatus. *Marcellus Donatus ad Suet. Claud. c.* 18 *diuisiones eiusmodi in* diribitorio *peractas, & diribitores ac diuisores, eosdem esse putat: quod cum historia Romana valde pugnat,*

Ibid. (e) Operasque Campestres] *Erant hi, qui in* Campo Martio *seruilem operam Candidatis impertiebantur, & pro iis laborabant, vt suffragantibus cuibus magistratum consequerentur.* Operæ *hic pro operantibus aut operam præstantibus ipsis: sicut* custodiæ *pro custodibus, sumuntur, & ad sordidos, abiectos, viliique conditionis homines pertinet.*

3. (f) Ex prætura Macedoniam sortitus] *Successit Octauius prætorius C. Antonio viro consulari. Is ex consulatu quem gessit cum Cicerone in Macedoniam abiit, estque inde reuersus, Coss. Q. Cæcilio Metello Celere, L. Afranio. Ita incidit annus quo præfuit Macedoniæ Octauius, in consulatum C.*

Cæsaris

Cæsaris: quo etiam tempore Q. Cicero Asiam administrabat. Etsi autem consularis non erat Octauius: prouinciam tamen rexit pro consule. Ideo scriptum in lapide de eo PR. PRO. COS. *Casaub.*

Ibid. (g) Sortitus] *Sorte consecutus, vt solemne Romanis honores dare: ne scilicet* ambitioni vel inimicitiis locus foret, *inquit Tacitus Hist. 4, 8.*

Ibid. (h) Residuam Spartaci & Catil. manum] *Spartacus gladiator ex Lentuli lanistæ ludo fugitiuus, collecta ingenti seruorum manu, sæpius in Romanos prospere pugnauit: nouissime in Lucania, à M. Crasso, ingenti prælio victus occubuit. Aliquot annis post, in agro Pistoriensi oppressus à Cn. Antonio Catilina. Res nota ex Liuio, Sallustio, Floro, Plutarcho, Appiano, & aliis. Horum* residua manus *erant reliquiæ facinorosorum hominum, qui post vtriusque mortem per Italiam grassati fuerunt.*

Ibid. (i) Negotio sibi extra ordinem d.] *Ordinaria Octauii prouincia erat Macedonia, quam sortitus fuerat: in quam dum proficiscitur, ob occasionem iniunctum ei est hoc velut extraordinarium negotium, vt fugitiuos inter eundum in prouinciam extirparet. Beroald.*

4. (k) Prouinciæ præf. non min. iust. quàm fort.] *Duæ viri Principis maximæ virtutes, ob quas Æneam suum ad cælum fert Virgilius Æneid. 11, 125. & Homerus Iliad. 16, 542. Sarpedonem,*

Iustitia Lyciam qui tutabatur, & armis. *Torrent.*

Ibid. (l) Bessis ac Thracibus] Bessis Thracibus *legit Torrentius, omissa Coniunctione. Sanè Plinius quoque 4, 11. pr. & Herodotus ipse 7, 111, Bessos Thraciæ finibus complectuntur. Hos Ouidius Trist. 3, 10, 5. & 4, 1, 67. Danubio & Getis propinquos facit, vbi* Bosnia *forte hodie. nomen quidem alludit. De Bessis M. Lucullum triumphasse scribit Eusebius in Chronico. Latronum eximios facit Strabo Geogr. lib. 7. pag. 220, 30.*

Ibid. (m) Epistolæ M. T. Ciceronis] *Lib. 1. ad Q. Frat. epist. 1. cap. 7.* Adiungenda est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octauius, iucundissimus fuit: apud quem primus lictor quieuit; tacuit accensus: quoties quisque voluit, dixit, & quàm voluit diu. *Idem rursus lib. 1. ad Q. Frat. epist. 2. cap. 2. Multis reprehensâ fratris in prouinciales iracundiâ,* Et mediocri, *inquit,* me dolore putas affici, cùm audiam, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octauius?

Nam si te interioribus vicinis tuis, Cilicienſi, & Syriaco anteponis, valde magnum facis.

Ibid. (n) Proconſulatum Aſiæ] *Atqui non proconſulari, ſed prætorio imperio Quintus Aſiam obtinuit: nec enim conſul fuerat. Quare memoria lapſum hic Autorem monet Turnebus Aduerſar. 24, 15. Verumtamen oſtendit Cl. Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam pag. 56. f. & ſeq. ſub libera Repub. ſæpius hoc vſurpatum, vt Prætorii cum poteſtate Conſulari & duodecim faſcibus à Senatu mitterentur in prouincias: ſed & ſub Imperatoribus, Conſulares prouinciarum & Proconſules paſſim obſeruari, qui poſt adminiſtratas illas prouincias demum Conſules fierent, cum antea non fuiſſent. Adde Torrentium h. l.*

Ibid. (o) In promerendis ſociis] *In prouincialium acquirenda gratia, ipſiſque beneficio & humanitate deuinciendis, ac in fide Populi Rom. retinendis.* Id eſt firmiſſimum imperium, quo obedientes GAVDENT. *Liuius* 8, 13. Remiſſius imperanti melius paretur, *Senec. de Clem.* 1, 24. Malo terrore veneratio acquiritur: longeque valentior Amor ad obtinendum quod velis, quàm Timor. *Plin. lib. 8. epiſt. vlt. Huius ignoratione præcepti, maxima ac miſerrima in Repub. naufragia committuntur: nec noſtris temporibus exempla requiras.*

Ibid. (p) Vicinum] *Nam Macedonia Octauii prouincia, parum diſtat ab Aſia Ciceronis.* Licentiam modeſtum è proximo exemplum onerat. *Tacit. Hiſtor. 2, 64.*

CAPVT IV.

DEcedens Macedonia, priùs quàm (*a*) profiteri ſe candidatum conſulatus poſſet, (*b*) morte obiit repentina, ſuperſtitibus liberis, (*c*) Octauia maiore, quam ex Ancharia; & Octauia minore, item Auguſto, quos ex Atia (*d*) tulerat. ‖ (*e*) Atia M. Atio Balbo, & Iulia ſorore C. Cæſaris, genita eſt. ‖ Balbus paterna ſtirpe (*f*) Aricinus, multis in familia (*g*) ſenatoriis imaginibus, (*h*) à matre Magnum Pompeium (*i*) arctiſſimo contingebat gradu: functusque honore præturæ, (*k*) inter XX viros agrum Campanum

1

2

3

4 panum plebi *(l)* Iulia lege diuisit. ‖ Verùm *(m)* M. Antonius despiciens etiam maternam Augusti originem, *proauum eius (n) Afri generis fuisse, & modò (o) vngentariam tabernam, modò (p) pistrinum Ariciæ exercuisse*, obiicit. ‖ *(q)*
5 Cassius quidem Parmensis quadam epistola, non tantùm vt pistoris, sed etiam vt *(r)* numularii nepotem, sic *(s)* taxat Augustum: *(t) Materna tibi farina: siquidem ex (v) crudissimo Ariciæ pistrino hanc (x) finxit manibus (y) collybo decoloratis (z) Nerulonensis mensarius.*

Num. 1. (a) Profiteri se Candidatum] *Sic Vrsini, & Casauboni codices, cum editione Rob. Stephani. Palatini tamen, & editiones aliæ,* confiteri *habent, minus bene. De* Candidatis *diximus ad Cæs.* 24, 1. *Spectat huc locus Ciceronis Phipp.* 3, 6. Antonius ignobilitatem obiicit C. Cæsaris filio, (*Augusto*) cuius etiam naturalis pater, (C. *Octauius*) si vita suppeditasset, Consul factus fuisset.

Ibid. (b) Morte repentina] *Qualem summæ fælicitati tribuit Plinius* 7, 53. *qualemque sibi Cæsar optauit, vt in eo scribit autor* 87, 2. *vbi hac de re plura.*

Ibid. (c) Octauia maiore &c. & Oct. minore] *Accuratissimus auctor Onuphrius Panuinius de Antiq. nominib. sub finem, ostendit, hanc apud Romanos muliebrium nominum rationem vsitatam fuisse, vt, si vna filia tantùm esset, ea familiæ nomine appellaretur, nullo prænomine aut cognomine addito: vt* Tullia *Ciceronis,* Iulia *Cæsaris filia. Porro autem si duæ essent, nomen familiæ quo vocabantur,* maioris & minoris *cognomine distinguebatur. Sic apud Liuium,* Tullia maior & minor: *apud nostrum Ner.* 5, 1. Antonia maior & minor *Triumuiri filiæ. Si tres plures sue filiæ essent, ex ordine nascendi,* Prima, Secunda, Tertia, *& ita deinceps appellabantur, &* ὑπεκοριστικῶς, Secundilla, Tertilla *seu* Tertulla, Quartilla &c.

Ibid. (d) Tulerat] *Susceperat. Seneca Clem.* 1, 13. Tollere filios cupiunt, & publicis malis indicta sterilitas recluditur. *Plin. panegyr.* c. 26. Locupletes ad tollendos liberos præmia & pœnæ cohortantur. *Noster in Ner.* 5, 7. Sublato filio ex Agrippina.

Ibid. (e) Atia, M. Atio Balbo] *Virgilius Æneid. 5, 568. ad maternum Augusti genus alludens:*

Alter Atis, genus vnde Atii duxere Latini.

Atios dicit Latinos, *vt Aricia deductam gentem doceat, non Romanam. Ab Atio deducitur* Atilius, *nomen item Romanæ gentis, sicut ab Acio,* Acilius. *Quidam* T *geminant,* Attius, Attia, *& corrupte magis* Actius, Actia. *Sed in libris & inscriptionibus antiquis vnicâ* T *scribi, confirmat in Orthogr. Manutius.*

3. (f) Aricinus] *Ortus Aricia, Latii oppido, XV. M. P. ab Vrbe. Nunc* Rizza *vel* la Riccia *vocatur, appellationis antiquæ, capite truncata nonnullo vestigio. Cicero Philipp. 3, 6. vituperans Antonium, quod Cæsari Augusto matrem Aricinam obiiceret;* Quis contemnat, *inquit,* Aricinum municipium, vetustate antiquissimum, iure fœderatum, splendore municipum honestissimum? Inde Voconiæ, hinc Scatiniæ leges: hinc multæ sellæ curules, & patrum memoria, & nostra: hinc Equites Romani lautissimi plurimi & honestissimi. *Postea de Augusti matre auoque subiicit:* Huius sanctissimæ fœminæ atque optimæ patet M. Atius Balbus, inprimis honestus, prætorius fuit.

Ibid. (g) Senatoriis imaginib.] *Plinius 35, 2.* In atriis *(domorum nobilium)* expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere licerer, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quoti die imbellem dominum intrare in alienum triumphum. *Seneca de Benef. 3, 28.* Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ, longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant; noti magis, quàm nobiles sunt. *Idem epist. 44.* Non facit Nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. *Iuuenalis satyr. 8, 19.*

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, Nobilitas sola est atque vnica Virtus.

Adde Polybium 6, 51. m. præcipue Lipsium in Electis 1, 29.

Ibid.

Ibid. (h) A matre] *A latere, vt dicitur, graduque materno.* Beroald.

Ibid. (i) Magnum Pompeium] *Pompeium vel à Sylla primò, vel ab exercitu, comprobante deinde Sylla,* Magni *cognomentum tulisse, scribit in eius vita Plutarchus cap. 21. & commendat hoc nomine priscos Romanos, quod eiuscemodi appellationibus & vocabulis non militares modò remunerauerint palmas: verùm etiam actiones & artes vrbanas. Quomodo duos item Populus ob merita publica* Maximos *dixit, Valerium, & Fabium Rutilianum. Ars nec hodie vel inusitata, vel illaudata, si virtutis præmia, si salus patriæ spectetur. In aliis, honoris vmbrâ & suamet vanitate monstratis, Arminius aliquis apud Tacitum Annal. 1, 9. haud immerito* vilia seruitii pretia inriserit.

Ibid. (k) Inter XX viros] *Cùm ager siue de hostibus modò captus, siue publicus populi Rom. diuidendus erat, id factum est per curatores agrarios, vel Triumuiros, vel Quinqueuiros, vel Septemuiros, vel Decemuiros, vel Vigintiuiros: qui quidem,* Triumuiri vel Xviri &c. agris dandis assignandis, vel coloniæ deducendæ, *dicti sunt. Creabantur autem Comitiis tributis, omnibus XXXV. tribubus in suffragium missis, vt apparet ex Ciceronis oratione de Lege agrar. contra Rullum cap. 7.*

Ibid. (l) Iulia lege] *Sic dicta, quod eam C. Iulius Cæsar primo consulatu suo tulisset. Videndi, Velleius 2, 44, 6. & Noster in Cæs. 20, 6. & 81, 2. Hanc legem Dio principio libri 38. commendat vt optimam, quippe qua ciuium Rom. turba, quæ prope in immensum creuerat, ac sæpius iam seditionibus materiam præbuerat, ad laborem & ad agriculturam traducebatur: solitudines autem, quæ tum erant per Italiam plurimæ, frequentabantur.*

4. (m) M. Antonius] *Apud Ciceronem Philipp. 3, 6.*

Ibid. (n) Afri generis] *Ergo ne Italici quidem, vt Aricini, sed prorsus externi, & barbari.*

Ibid. (o) Vnguentariam taber.] *Myropolium est Plauto Epid. 2, 2, 15.*

Ibid. (p) Pistrinum exercuisse] *Plin. 18, 11. Alexander Neapol. Genial. dier. 3, 11.*

5. (q) Cassius Parmensis] *Scriptor tragœdiarum, qui in partibus Cassii & Bruti, tribunus militauit: quibus victis, Athenas se contulit, vbi occisus est Augusti iussu, teste Val. Max. 1, 7, 7. Meminit eius etiam Horatius lib. 1. epist. 4, 3. & Plinius 30, 2. m. & Appianus bell. Ciuil. lib. 5. princ.*

Ibid. (r) Numularii] *Mensarii, qui ex pecuniæ permutatione quæstum facit. Vide supra* 2, 7. q.

Ibid. (s) Taxat] *Perstringit, oblique notat. Est Frequentativum à* tangere. *Agell.* 2, 6. *qua notione Græci quoque* καθάπτεσθαι *dicunt. Metaphoricos eiusmodi morsus,* figuras *appellat Auctor in Domit.* 10, 3.

Ibid. (t) Materna tibi farina &c.] *Obiicit Augusto Cassius & avum maternum, pistorem Aricinum: & avum paternum numularium. Est autem sermo allegoricus.* Tuus, *inquit,* paternus avus farinam sumpsit è pistrino crudissimo Aricino: *hoc est, vxorem duxit filiam pistoris Aricini, cuiusdam hominis vilissimi.* hanc ille farinam finxit manibus collybo decoloratis. *Vult dicere, avum Augusti, qui esset numularius abiectissimus, ex ea farina quam sumpserat de pistore Aricino, finxisse & formasse tanquam aliquod dulciarium opus (hoc est, genuisse) patrem Octavium. Hæc fere Casaubonus ad hunc locum. Nec possim melius. nec enim placet expositio Marcelli Donati (thes. crit. Grut. tom. 6. part. 2. pag. 287.) existimantis, non sordes modò generis, sed & illegitimam stirpem Augusto his verbis obiectari. Quod secus esse, tota series orationis euincit. nisi tamen mox pro* finxit *retineamus* pinsit, *in quo verbo nonnihil obscœnitatis latet, sicut apud Theocritum in τῷ μύλλᾳ. Sed hoc per Mss. non licet. Quidam porrò libri* τὸ siquidem *non habent, nec abest incommode: quidam tantùm,* Si.

Ibid. (v) Crudissimo] *Hoc ad crudelitatem pistoris in seruos pistrinenses referendum videtur. Nisi malit quis audire Marcellum Donatum d. l. interpretantem in eum sensum, quo medici* crudum vulnus, *h. e. recens, vocant. Ita Tacit.* 1, 8, 11. crudum seruitium. *vt significetur, illud quod Cassius obiiciebat Augusto, minime vetustate oblitteratum, sed recenti memoria cognitum esse.*

Ibid. (x) Finxit] *Sic & Palatini omnes, teste Grutero, itemque Casauboni ac Torrentii codices, cum editione prisca Romana & Rob. Stephani: non autem, vt editiones aliæ,* pinsit. *Id verbum huic loco, Casaubono iudice, bene conuenit. Nam ex farina* finguntur *opera dulciaria, quorum figuræ erant infinitæ: vt placentæ, scriblitæ, crustula, lucunculi, hami, laserculi, spicæ, globuli, enchyta, circuli, libæ, aliaque plurima. Martialis* 14, 222. *de pistore dulciario:*

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruet.

Varro

Varro de lingua Lat. lib. 6. Fictores dicti à fingendis libis. *Sic apud Scribonium,* fingere pilulas & pastillos: *& apud Petronium,* oua ex farina pingui figurata. *Nostri ad hanc formam, insulsum & incondituin hominem, petita item ex pistrino voce,* vngepachen *appellant.*

Ibid. (y) Manibus collybo decoloratis] *Numorum assidua tractatione fœdatis & liuentibus.* Collybus, & Collybum (*quod per iota quoque scriptum inuenitur*) *est id quod pro pecuniæ permutatione argentario soluitur. Vox vsurpata quoque Ciceroni ad Attic. 12, 16. pr. & Verr. 3, 78. pr. Vnde* collybistes, *qui pecunia permutanda quæstum facit, qualis hic Augusti auus. Vulgò* cambium *dicitur.* Tesseræ collybisticæ, Wexelbrief. *Apud Zonaram tom. 3 pag. 162, 52.* ἀλλάγιον *significat commutatæ pecuniæ auctarium* (aufwexel) *ab* ἀλλάττειν *permutare. Hinc Italicum* laggio, & allaggio, *quod mercatores Germani corruptius* laſi *vocant.*

Ibid. (z) Nerulonensis] *In antiquissima editione Lugdunensi reperitur* Nemorensis, *quod idem esset atque Aricinus.* Nemoralis *enim* Aricia *cognominatur ab* nemore *ingenti, Vrbi vicino, in quo Vitellium libentissime versari solitum notat Tacitus Hist. 3, 36. In Viterb. codice erat* Verulonensis: *vnde Casaubonus facit* Vetulonienſis, *quos in Italia populus memorat Plinius 3, 5. m.* Nerulum *duplex apud scriptores obseruatur: alterum in Lucanis, quod à Romanis vi captum scribit Liuius 9, 20. alterum verò in Latio, non multum distans ab Vrbe, quod & hodie* Nerulo *vocatur, prope Monasterium Farfaræ situm, vt scribit in Dilucidationibus Marcellus Donatus. Nec obstat* (*quod Torrentius obiicit*) *proauum Augusti,* Afri generis *fuisse, vt supra dixit Antonius. Nam homo Italus vel maiores Afros habere potuit, vel Afer ipse in Italiâ domicilium constituere.*

CAPVT V.

1 NAtus est Augustus, (*a*) M. Tullio Ciceronе, & Antonio Coſs. (*b*) IX. Kal. Octobris, paullo (*c*) ante solis exortum, (*d*) regione Palatii, (*e*) ad Capita bubula: vbi nunc (*f*) sacrarium habet, ali quanto pòst quàm (*g*) excessit, con-
2 stitutum. ‖ Nam vt (*h*) senatus Actis continetur, cùm (*i*) C. Lectorius adolescens patricii generis, in deprecanda gra-
(*k*) uiore adulterii pœna, (*l*) præter ætatem atque (*m*) na-

tales,

tales, hoc quoque Patribus conſcriptis (*n*) allegaret, *ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut* (*o*) *aedituum* (*p*) *ſoli, quod primum D. Auguſtus* (*q*) *naſcens attigiſſet*; peteretque donari, quaſi proprio ſuo, ac (*r*) peculiari Deo: decretum eſt, (*ſ*) *vt ea pars domus conſecraretur.*

Num. 1. (a) M. Tull. Cicerone] *Liber vnus*, Cicerone & Antonio Coſs. *haud dubie melius. niſi vtrumque prænomen mauis*, M. T. Cicer. & C. Anton. *Torrent. Velleius Paterc.* 2, 36, 1. Conſulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno D. Auguſtus, abhinc annos LXXXII. (*h. e. ab V. C. DCXC. ante C. N. LXI.*) omnibus omnium gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem.

Ibid. (b) IX. Kal. Octobris,) *Die* 22. *Septembris antiqui, qui ad Calendarium Iulianum reductus incidit circa initium menſis Iulii, quando Sol fuit circa* 10. *gradum Cancri.*

Ibid. (c) Ante Solis exortum] *Imo verò poſt Solem occaſum. Hallucinatum enim eſſe hoc loco Suetonium, neque defendi hac parte illum poſſe, ſi vere eidem auctori aliisque dictum, Auguſti Horoſcopum eſſe Capricornum, certiſſima demonſtratione probatum eſt diuini ingenii viro Ioſepho Scaligero, cum in quinto de Emendatione temporum pag.* 241. *tum etiam in vberrimis notis ad Manilii Aſtronomicum primum, pag.* 162. *Caſaub.*

Ibid. (d) Regione Palatii) *Quatuor antiquitus vrbis Romæ regiones fuerunt*, Suburrana, Exquilina, Collina, Palatina.

Ibid. (e) Ad Capita bubula] *Locus ſic appellatus, quòd ea capita iſthic ſeu picta, ſeu ſuſpenſa, pro inſigni, Quomodo Plutarchus quæſt. Rom.* 4. *ſcribit, in ede Dianæ Auentinæ, cornua boum ſuſpendi ſolita, vt in reliquis Dianæ fanis, ceruorum. Ad hanc formam Noſter iterum Claud.* 16, 11. Eſſedum vænale ad Sigillaria. *Et in Galba* 1, 3. (*item Plin. lib.* 15. *fin.*) villa quæ vocatur ad Gallinas. *Rurſus in Domit.* 1, 1. *Domitianum natum ait* ad Malum Punicum. *Liuius* 22, 1, 12. Signum Martis, Appiâ viâ, ad ſimulacrum luporum, ſudaſſe. *Plautus Stich.* 4, 1, 67. Ibo lauatum in Pilum. *Vbi* Pilum *eſſe videtur inſigne balnearium. Et Martialis* 2, 17. *tonſtrinam deſcribit.*

Cruenta

Cruenta pendent quà flagella tortorum:

Hoc est, cuius insigne sunt flagella sort. Nam abeunt à vero & mente Poëta, qui versiculum aliter, & de publico supplicii loco interpretantur.

Obseruat h. l. Casaubonus ex Seruio ad Virgil. Æn. 8, 361. partem Vrbis, vbi natus Augustus, Lautas Carinas *fuisse nominatam, vel in honorem Augusti isthic nati: vel propter elegantiam ædificiorum. Erant autem* Carinæ *ædificia facta in carinarum modum, circa templum Telluris.*

Ibid. (f) Sacrarium] *Fuit pars domûs, Augusto in ea nato sacrata.* Sacrarium *enim etiam in ædificio priuato esse posse, patet ex l. 9. ff. de diuis. rer.*

Ibid. (g) Excessit] *Mortuus est.* Excessus, *mors. Frequens hoc bonis autoribus.*

2. (h) Senatus Actis] Commentarii Senatus *Tacito dicuntur 15, 74, 4. de quibus, vt solet, exacte Lipsius ad lib. 5. Annal. Taciti, Excursu A.*

Ibid. (i) C. Lectorius] *Liber Vaticanus, & vnus è nostris,* Lætorius. *Estque Lætoria gens Consularis. Cognomen* Plaucianus, (*numi veteres*) & Mergus, *apud Val. Max. 6, 1, 11. Torrent.*

Ibid. (k) Grauiori adulterii pœna] *Quæ qualis tum fuerit, non satis constat: id verò constat, secundum legem Iuliam, ab Augusto ipso latam, capitalem non fuisse. Gradus tamen suos habuisse, pro delicti circumstantiis, aut Principalis clementiæ modo, cum ex hoc loco colligitur, tum etiam illo Taciti 2, 50, 5. de Apuleia: Tiberius* Adulterii grauiorem pœnam deprecatus, vt exemplo maiorum propinquis suis vltra ducentesimum lapidem remoueretur, suasit. *Vide omnino Cuiacium Obseruation. 6, 11. & 25. & Lips. Excursu A. ad Tacit. Annal. 4.*

Ibid. (l) Præter ætatem] *Iuuenilem, cui peccanti plusculum indulgere solemus. Inde Cicero in orat. pro Cælio cap. 18. pr.* Detur aliquid ætati: sit adolescentia liberior. &c. *Liuius 2, 18. 12.* Sabinis orantibus Romanos, vt veniam erroris hominibus adolescentibus darent, responsum: ignosci adolescentibus posse: senibus non posse, qui bella ex bellis serererent. *Idem 8, 35, 2.* Tribuni dictatorem orant, vt veniam errori humano, veniam adolescentiæ Q. Fabii daret. *Segestes apud Tacitum Annal. 1, 58.* Pro iuuenta & errore filii veniam precatur. *Cæsar quoque apud Lucanum 9, 1087.*

—— sed parcimus annis,
Bonamusque nefas. ——

Quin etiam ICtus l. 14. in fin. ff. de re milit. tyroni alienanti arma, facilius quam veterano militi parcendum esse censet. Sed hanc excusationem lege Iulia non admitti, Casaubonus ostendit ex hisce Papiani l. 36. ad l. Iul. de adult. Si minor annis adulterium commiserit, lege Iulia tenetur: quoniam tale crimen post pubertatem incipit.

Ibid. (m) Natales] *Nobilitatem familiæ. Tacit Hist. 2, 86, 8.* vigens ætate, claris natalibus. *Allegatio autem natalium, & maiorum nobilitatis, solet in causa esse fauorabilis. Hinc Ouidius Heroid. epist. 4, 161.*

Et mihi si non vis parcere, parce meis.

Apud Liuium 3, 58. Familia Claudia rogat populum, vt Appius Claudius Decemuir, qui reus erat, condonetur nobilitati Claudiorum. Beroald. Senec. de Benef. 4, 30. f. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscunque est, sub vmbra suorum lateat. Vt loca sordida repercussu Solis illustrantur: ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.

Ibid. (n) Allegaret] *Tacit. Hist. 4, 84, 1.* Munera, preces, mandata regis sui allegant. *Sic in iure occurrunt,* allegare excusationes, mandatum, priuilegia sua, valetudinem &c. *Quod* causificari *Plauto,* causari *Ciceroni, nobis* verwenden. *Vnde dubium, an recte vulgo de* citandis *autoribus hoc verbum vsurpetur.*

Ibid. (o) Æditum] *An* æditimum *scribendum sit, nondum satis liquet. Varronis hæc sunt de Re rustica 1, 2.* Rogatus ab Æditimo, vt dicere didicimus à patribus nostris; vt corrigimur à recentioribus vrbanis, Ædituo. *Idem tradit Agellius 12, 10.* Æditimus verbum Latinum est, & vetus, ea forma dictum, qua Finitimus, & Legitimus. Sed pro eo à plerisque nunc Ædituus dicitur, noua & commentitia vsurpatione, quasi à tuendis ædibus appellatus. *Ald. Manutius de Orthogr. testatur, se in antiquis lapidibus* Ædituus, *non,* Æditimus, *scriptum reperisse.*

Ibid. (p) Soli] *Terra, loci, cui inædificata natalitia Augusti domus.*

Ibid. (q) Nascens attigisset] *Tangit morem priscorum, apud quos, infantes partu editi, nõ prius vocem edere credebantur, quàm attigissent terrã: & Opem deam inuocabant, vt nascentibus opẽ ferret, excipiens eos sinu terra.* Leuana *verò dea vocabatur, qua pueris præerat de terra leuandis. Authores Augustinus de Ciuit. Dei 4, 11. & Macrob. Saturnaliũ lib. 1. Hoc idem signat Suetonius in Nerone 6, 1. scribens,* eum exoriente Sole natum esse, pene

vt radiis

vt radiis prius quàm terra contingeretur. *Et hoc est, quod intelligi voluit Plinius in proœmio libri 7.* Hominem tantùm nudum, & in nuda humo, natali die abiici ad vagitus. *Beroald.* *Adde Sapientiæ librum 7, 3. Cuiacium observation. 11, 30. vbi sunt è Statio quædam exempla: ad quæ referendum etiam illud Claudiani in Rufinum 1, 92.*

—— quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio. ——

Ad hunc ritum scilicet respicit illa phrasis, tollere (*puta, humo*) liberos, *de qua supra, 4, 1. d.*

Ibid. (r) Peculiari deo] *Cæsari Augusto, quem peculiariter venerarentur, vtpote domesticum cultor. Beroald.*

Ibid. (s) Vt ea pars dom. consecr.] *Hoc forsan exemplo Domitianus domum in qua natus fuit, in templum Flauiæ gentis conuertit, vt refert Nostler in eius vita 1, 1. Et Augustus ipse castrorum suorum locum, templum fecit, infrà 96, 6. Hic honos in Principibus hoc minus censendus est inuidiosus, cùm fuerit pridem ante eos priuatis quoque concessus. Timoleon enim ille Corinthius, qui Dionysii regnum euertit in Sicilia, paternam domum in templi vsum conuertit, vt scribit in eius vita Plutarchus. Ita Metaponti tanta fuit admiratio Pythagoræ, vt ex eius domo templum fecerint. Iustin. 20, 4. fin.*

CAPVT VI.

Nutrimentorum eius ostenditur adhuc locus, (*a*) in auito suburbano, (*b*) iuxta Velitras, permodicus, & (*c*) cellæ penuariæ instar: tenetque vicinitatem opinio, tanquam & natus ibi sit. ‖ Huc introire (*d*) nisi necessariò (*e*) & caste, (*f*) religio est; concepta opinione veteri, quasi temere adeuntibus (*g*) horror quidam & metus obiiciatur. ‖ sed & mox confirmata est. Nam cùm possessor villæ nouus, seu (*h*) forte, seu tentandi caussa, (*i*) cubitum se cò contulisset; euenit, vt post pauciſſimas noctis horas exturbatus inde subita vi, & (*k*) incerta, pæne semianimis, cum strato simul ante fores inueniretur.

Num. 1. (a) In auito suburbano] *Suburbana sui aui villa.*

Ibid. (b) Iuxta Velitras] *Monente Beroaldo, Porphyrio, vetustus Scholiastes Horatii, ad versum vltimum lib.* 1. *epist.* 11. Vlubræ, *inquit*, locus in Italia, in quo nutritus est Cæsar Augustus. *Quod si certum est*, Vlubras *hic foret legendum. Sed illi Scholiastæ fidem non audet arbitrari Casaubonus.*

Ibid. (c) Cellæ penuariæ] *Varro lib.* 4. *de lingua Latina, longius à fine:* Vbi quid conditum esse volebant, à celando cellam appellauerunt: penuariam, vbi penus. *Caper Grammat. cellam* penariam, *non* penuariam *dicendum contendit. Quæ verò penoris nomine veniant, explicat Agellius lib.* 4, 1.

2. (d) Nisi necess.] *Palatini duo voce auctiores*, non nisi necess. *Grui-*

Ibid. (e) Caste] *Quippe tanquam ad locum sacrum. Cicero de legib.* 2, 10. Caste lex iubet adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, obserueturque, vt casto corpore adeatur, multò esse in animis id præstandum magis. Nam illud vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate euanescere, nec amnibus vllis elui potest. *Vide Brissonii formulas lib* 1. *pag.* 8.

Ibid. (f) Religio est] *Nefas habetur.*

Ibid. (g) Horror quidam & metus] *Cuius causa tum ea quam prodit auctor opinio, de loci religione præconcepta, & vis imaginationis: tum forte silentium. Vnde Tacitus Hist.* 3, 85. *de Vitellio, in Palatium vastum desertumque regresso:* Terret solitudo, & tacentes loci. *Virgilius Æn.* 2, 755.

Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.

Quid quod etiam σεμνότητ' ἔχει σκότος, habent suam religionem tenebræ. *Euripid. in Bacchis act.* 2. *Qua causa Gentiles templis lucos opacos adiungere solobant. Ita Silius Ital.* 1, 81. *describens templum, in quo Hannibal, tactis sacris, adhuc puer iurauit patri bellum Rom.*

Vrbe fuit media sacrum genitricis Elisæ
Manibus, & patria Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circum, & piceæ squalentibus vmbris
Abdiderant, cælique arcebant lumine, templum.

Huc pertinet egregia descripto luci sacri Gallorum circa Massiliam apud Lucanum

canum 3, 369. *Talia Tacit. Germ.* 39, 2. *& Senec. epist.* 57. *de crypta Neapol. Paullus Æmilius Consul, Olympiam cum ascendisset,* ibi Iouem velut præsentem intuens, motus animo est, *ait Liuius* 45, 28, 3. *Vestæ templum intrans Nero,* repente cunctos per artus tremit. *Tacit. Annal.* 15, 36. *Pythagoras ait apud Senecam epist.* 94. alium animum fieri intrantibus templum, deorumque simulacra ex propinquo cernentibus. *Sed & Ioannes Barclaius, cuius laudi ne hoc quidem obstat, quod ex censu recentiorum est, Argenidis libro* 5. *pag* 1092. *f.* Ipse situs, & locorum sacer horror, suauissimi terroris pietatem subiecit incogitanti. Asperæ erant rupes, &c. *Adde Senecam huius horroris causas vberius explicantem, epist.* 41.

2. 3.] *Similia Marcellinus* 22, 17. Insula Leuce sine habitatoribus vllis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis, temploq; & donariis eidem heroi consecratis, vesperi repetunt naues. aiunt enim, non sine discrimine vitæ illic quenquam pernoctare. *Hoc genus exempla multa refert Alex. inder Neapolit. in Genialibus* 2, 9. *&* 4, 19. *Hieronymus Magius Miscellaneor.* 4, 12. *Lauaterus de Lemuribus &c. aliqua Plin. etiam lib.* 7. *epist.* 27. *vbi de spectris & nocturnis apparitionibus (quæ & phantasias, phantasmata, phasmata, idola, lemures, manes, vmbras appellant) egregie disputatur, an sint aliquid, an verò inania & vana ex metu nostro imaginem accipiant. Etsi verò in rè tam ambigua Socraticos ἐπέχοντας imitari præstat, tutiorque est Academia aporia, quàm reliquarum sectarum iuratissima dogmata: tot tamen exempla, non soli vulgo, qui decipere & decipi potest, sed magnis etiam viris obseruata, litterisque prodita; de veritate quorundam spectrorum, quibus Deus fideles exercet, infideles punit, vix dubitare sinunt. Interim illud quoque Liuii* 24, 44, 8. *verum credimus, vt plurimum* oculorum auriumque ludibria credita pro veris: *dum aut naturalia fortuitáue, ignoratione caussæ, pro spectris habemus, quod meticulosis & melancholicis vt plurimum accidit: aut impostorum strophis decepti, fucum non olfacimus. In talibus spernendis dignam homine philosopho constantiam præstitit Democritus, qui ad conuincendam spectrorum vanitatem sæpe solitarius vixit, atque etiam sepulcra incoluit, vt scribit in eius vita Laërtius: cumque in tenebris per lasciuiam quorundam adolescentulorum, è sepulchris noctu veluti laruis infestaretur, impauidus, & semper sui similis, illos statim admonuit, vt ineptire desinerent. Quin & Horatius lib.* 2. *epist.* 2, 205. *vmbrarum contemptum inter cetera boni fortisque animi argumenta collocans,*

Non es auarus? *inquit*? abi. quid cetera? num simul isto
Cum vitio fugêre? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, & irâ?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

Ceterum hac de re, cum Deo, plura forsan ad Sueton. Calig. 59, 3.

3. (h) Forte] *Non Aduerbium est, vt vulgo putatur: sed Ablatiuus, à Recto Casu* fors. *Cuius Genitiuum* fortis, *Varro lib. 5. de lingua Lat. & Columella lib. 10. Accusatiuum verò,* fortem, *idem Varro lib. 3. de ling. Lat. & Ouidius Fastorum 6, 773. ediderunt. In eoque lingua Latina ignorantia lapsi Graeci auctores, Dionysius Halicarnass. 4, 33. pr. & Plutarchus de fortun. Rom. c. 8. & quaest. Rom. c. 74. videntur, qui Romanam hanc appellationem* fortis fortunæ, *à* fortitudine, *non à* forte, *ductam existimantes,* fortem, *ἀνδρείαν, & ἰσχυρὸν, siue ἀριστευτικὴν, item ἄῤῥενα, h. e. fortem, potentem, generosam, virilem reddiderunt: cùm reuerâ* fortis *nomine casus incertos Quirites significarint, vt Cicero de legib. 2, 11, 7. explicat.*

Ibid. (i) Cubitum se eò contulisset] *Nefas fuisse, cubare in templo vestibus exutis, iucunda exemplorum copia monstrauit Ianus Gruterus in Suspicionum libellis, non nouem illis, quos iuuenis edidit: sed ceteris, furore Martis Iberici (vah pudor!) absumptis.*

Ibid. (k) incerta] *Cuius causam ignorabat, vnde prouenisset. Beroald.*

CAPVT VII.

INfanti *(a)* cognomen Thurino inditum est, *(b)* in memoriam maiorum originis: vel quòd in regione Thurina, recens eo nato, pater Octauius aduersus fugitiuos *(c)* rem prospere gesserat. ‖ Thurinum cognominatum, satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem *(d)* imagunculam eius æream veterem, *(e)* ferreis, ac pæne iam *(f)* exolescentibus litteris, *(g)* hoc nomine inscriptã: quę dono à me *(h)* Principi data, *(i)* inter cubiculares colitur. ‖ Sed & à M. Antonio in epistolis, per contumeliam sæpe *Thurinus* appellatur: & ipse nihil amplius, quàm *mirari se* rescribit,

4 scribit, (*k*) *pro opprobrio nomen prius sibi obiici.* ‖ Postea (*l*) *C. Cæsaris*, & deinde (*m*) *Augusti* cognomen assumsit; alterum, (*n*) testamento maioris auunculi; alterum, (*o*) Munatii Planci sententia: cùm quibusdam censentibus, (*p*) *Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis*, præualuisset, vt *Augustus* potius vocaretur; non tantùm nouo,
5 sed etiam ampliore cognomine: ‖ quòd loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, (*q*) *augusta* dicantur, ab auctu, vel ab auium gestu (*r*) gustúue: sicut etiam Ennius docet scribens,

(*s*) *Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.*

Num. 1. (a) Infanti cognomen Thurino inditum] *Vt apud Græcos infans die quinto lustrabatur (qui dies ἀμφιδρόμια dictus est, à ritu, quo cursim circa focum gestabatur puer) sic apud Latinos, octauo quidem puellæ, nono pueri. qui* dies lustricus *dicitur autori Ner. 6, 3. aliisque, Symmacho* lustratûs solennitas: *item* Nominalis, *quia nomen tum indebatur. Tertullianus* Nominalia *dixit, exprimendo Græcum* Ὀνομαστήρια. *De quibus Scaliger ad Ausonium 2, 22 Casaub. ad Pers. Satyr. 2. item Ioan. Meurs. Exercit. Critic. 3, 33 Sed alia Cognominum ratio fuit, quæ post Nominalia demum, à rebus fortuitis aut aliis imponebantur. Vide Plutarchum in Coriolano cap. 14. & 15. & in Mario c. 1. item Macrobium Saturnal. 1, 6. Caute lateque igitur accipiendum est, quod inquit autor,* infanti, *& quidem* recens nato, *Thurini cognomen impositum Augusto. Iam tum enim tertium agebat annum, cùm pater rebus in regione Thurina prospere gestis, hoc ei cognomentum conciliaret.* Cæterùm *à Dione, principio libri 45. Augustus ante adoptionem* Cæpias *cognominatur: quod nomen in exscriptore Dionis Zonara, tom. 2. pag. 134, 50. librariorum forte vitio, male diuellitur, κὴ πίας, quod interpres vertit,* & Pius.

Ibid. (b) In memoriam maior. orig. vel quod in reg.] *Alteram harum vocum,* maiorum originis, *adiectam pro interpretatione existimat Casaubonus, cui vt credamus, suadet liber scriptus Aluari Nonnii, quo olim vsus Pulmannus, in quo,* in memoriam originis: quod regione. *Romana editio,* in mem. maioris originis. *Sin retinemus,* maiorum originis,

hos

hoc non ita est accipiendum, quasi maiores Augusti è pago Thurino habuissent originem (non enim habuerunt: etsi quidam illorum ibi consedére) sed quòd Augustus ipse à talibus maioribus. Proauum enim ei ex pago Thurino exprobrauit Antonius supra c. 2.

Ibid. (c) Rem prospere gesserat] *Hoc exemplo* Cossus victoriæ suæ testimonium etiam in cognomen adolescentis filii contulit, *teste Velleio 2, 116, 3. Et Asinius Pollio, ductor Germanici exercitus, cum post captas Solonas, Dalmatiæ ciuitatem, primò meruisset lauream, pòst etiam consulatum adeptus fuisset; eodem anno suscepit filium, quem à capta ciuitate* Salonium *vocauit, vt scribit Seruius ad principium Eclogæ 4. Virg. Porrò de phrasi consulendus Brisson. formul. lib. 2. pag. 229.*

2. (d) Imagunculam] *Liber vnus* icunculam, *qua voce vtitur Autor in Nerone 56, 3.*

Ibid. (e) Ferreis litteris] *Quas in icuncula area ferreas dicat litteras Autor, non satis intelligere se profitetur Torrentius, & mendum subesse veretur. Beroaldus* ferrugineis *legit, pro ferrugine obductis. Casaubonus verò tuetur vulgatam, explicatque similibus exemplis. Vt quod Dio lib. 44. pag. 276. A. narrat:* decretũ in Cæsaris honorem factum, litteris aureis in pilam argenteam fuisse inscriptum. *Seneca epist. 5. pr.* Non habeamus argentum, in quod solidi auri cælatura descenderit. *Petronius Satyr.* Habebat anulum totum aureum, sed plane ferreis velut stellis ferruminatum. *Obseruat idem vir summus, in Animaduersionibus ad Athenæum lib. 11. cap. 12. Græcos hanc artem nominasse τέχνην ἐμπαστικὴν, & opus ita elaboratum, ἐμπαστὸν (eingeseate arbeit) quæ indebant, ἐμπάσματα: adiicitque exemplum non quidem admodum antiqui, sed magni tamen scriptoris, Pauli Iouii, cuius sunt verba è libro.* 28. Abduxit Budâ Solymannus, tria inusitatæ magnitudinis, operosique artificii tormenta: quum passim, ad ornamentum insignia & litteræ, argento sculptoria arte æri incluso, essent admiranda.

Ibid. (f) Exolescentibus litteris] *Ob vetustatem euanescentibus, fugientibus, exoletis, euanidis. Ita* picturam vetustate exolescentem *dixit Cicero lib. 5. de Repub. ἐξίτηλον Græcis est, παρὰ τὸ ἐξίεναι. Agretius, vetus Grammaticus:* Adolescere, augmenti est: inolescere, coagmenti: exolescere, vetustatis.

Ibid. (g) Hoc nomine] *Scilicet Thurini.*

Ibid.

Ibid. (h) Principi] *Imp. Adriano, cuius Epistolarum Magister Suetonius fuit, Spartian. in Adriani vita, cap.* 11.

Ibid. (i) Inter cubiculares colitur] *Quod in notis ad Suetonium breuiculus, sed accuratus, autoris anonymi (vti puto, P. Scriueri) scribitur, auet aliquis vir magnus legere,* inter cubiculi lares col. *quod hoc magis probatur, cùm Autor etiam in Domitiano 17, 6. idem habeat.* Puer curæ Larium cubiculi assisterns. *Noster iterum in Vitellio* 2, 15. Narcissi quoq; & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. *Cubiculum, in quo cultæ imagines, dictum* Lararium: *idque duplex habuisse Imp. Alexandrum Seuerum, sanctius vnum, alterum minoribus dicatum, Lampridius in eius vita notat, insigni loco, & digno quem adscribamus. Cap.* 29. Vsus viuendi eidem hic fuit: primum vt, si facultas esset, matutinis horis in Lario suo (in quo & diuos Principes, sed optimos & electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, CHRISTVM, Abraham, & Orpheum, & huiusmodi deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. *Et cap.* 31. Virgilii imaginem, cum Ciceronis simulacro, in secundo lario habuit, vbi & Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum verò Magnum inter diuos & optimos in lario maiore consecrauit. *De cultu Lariumtangit aliquid Plinius* 21, 3, *ni. & 36, 27. fin. Tibullus* 2, 1, 59, *Adde infra* 31, 9.

3. (k) Pro opprobrio nomen prius obiici.] *Nomen prius, est nomen, siue cognomen (scil.* Thurini) *quod infans habuerat, pridem autem habere desierat. Clara mens Augusti ex superioribus Suetonii verbis: certa etiam lectionis huius fides, consentientibus omnibus libris. Quod ideo dico, ne quis doctissimo viro* [*P. Fabro, Semestr.* 3, 23, *pag.* 356.] *mutanti vocem* prius *in* posterius, *putet esse assentiendũ. Natu vir eruditissime ἅμαρτες, ἀλ' ἔτυχες,* [*Errasti, & non assecutus es. Hom. Iliad.* 5, 287.] *Hæc Casaubonus.*

4. (l) Caii Cæsaris] *Cum hîc de cognominibus Octauii solum agatur, Casaubonus prænomen* Caii *putat amittendum, scribendumque* Cæsaris *tantùm.*

Ibid. (m) Augusti cognomen assumsit] *Idibus Ianuariis, anno ab V. C.* DCCXVII. *se septimùm, & M. Vipsanio Agrippa tertiùm Cos. Sic Ouidius Fastor.* 1, 587. *Censorinus. cap.* 21. *ait, ex ante diem decimum sextum Kal. Februarii, Lapis qui Narbone est, ait Augustum auspicatum esse*

Imperium VII. Ides IANVARIAS. Orosius 6, 20. VIII. Idus Ianuar. & triplici triumpho Vrbem esse ingressum, & primùm tunc Augustum *esse salutatum: & Orbis imperium suscepisse. Cas.*

Ibid. (n) Testamento maioris auunculi] *Testamentis adoptantium heredes non in bona tantùm, sed & nomen adscitos, præter hoc nostrum, alia in Autore sunt exempla: vt Cæs. 83, 4. Aug. 101, 2. Tiber. 6, 5. Galb. 17, 1. Adde l. facta. 63. §. si verò nominis. 10. ff. ad SC. Trebellian. Hinc apud Ouidium Metamorph. 15. sub fin. Iupiter ad Venerem, de Iulii Cæsaris apotheosi:*

Vt Deus accedat cœlo, templisque colatur,
Tu facies, natusque tuus, qui NOMINIS HERES
Impositum ferret vnus onus. ——

Quo circuitu verborum, Augustum significat. de quo hæc Eutropius 7, 1. Octauianus, adolescens annos 18. natus, Cæsaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. Addendus Appianus Ciuil. lib. 2. pag. 532. E. Verrò maior auunculus *hic dicitur frater auiæ: quomodo* patruus magnus *est aui frater. Cæsar ergo maior erat auunculus Augusti, quia frater fuerat Iuliæ, ex qua genita est Atia mater Augusti.*

Ibid. (o) Munatii Planci) *Velleius Paterculus 2, 91, 1.* Augusti cognomen illi viro, Planci sententiâ, consensus vniuersi senatus populique Rom. indidit. *Hic est ille Plancus, cuius inter familiares Ciceronis extant epistolæ luculenter scriptæ: qui cùm Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit: quamox ciuitas, temporibus Senecæ, incendio deflagrauit. Senec. epist. 91.*

Ibid. (p) Romulum appell.] *Dio lib. 53. pag. 581. B.* Senatus populusque Rom. quum Cæsarem Octauianum statuissent peculiari quodam cognomento insignire, & alii alia referrent ac probarent, Cæsar quamuis ROMVLI nomen vehementer appetebat: tamen quum sentiret, hinc se suspectum affectati regni fieri, eo omisso, AVGVSTVS, quasi hominis naturâ amplior ipse, cognominatus est. Augusta enim, ea quæ honore dignissima ac sanctissima sunt, dicuntur: ideoque σεβαστὸν Græci augustum interpretati sunt, quasi venerandum dicas. *Eadem, sed breuius, in operis sui calce Florus:* Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset Imperium, ROMVLVS vocaretur. Sed sanctius & reuerentius visum est nomen AVGVSTI, vt

scilicet

ſcilicet iam tum, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur (*h. e. inter diuos referretur.*) *Camillus ille Dictator, recuperata ex hoſtibus patria, cum triumphans in vrbem rediret, inter iocos militares,* Romulus ac parens patriæ, conditorque alter vrbis, *haud vanis laudibus appellatur, vt eſt apud Liuium 5, 49, 8. Verumtamen hoc ipſum cognomentum, non honoris cauſa tributum, vt illis, ſed per contumeliam aliis impactum legas. Ita namque Lepidus in oratione contra Sullam, apud Salluſtium Hiſtor. 1, 2, 5. Sullam* ſæuum Romulum: *& Salluſtius ipſe (ſi tamen is autor eſt) Ciceronem in declamatione aduerſus ipſum,* Romulum Arpinatem *appellat. Sed nimirum* Romulus *hic per antonomaſian pro* Rege *ac* Domino, *liberi populi ceruicibus incubante ſumitur: quod nomen Romani ferre non potuerunt: etſi rem ipſam bene potuerunt.*

5. (q) Auguſta dicantur, ab auctu.] *Imperatores Romanos ab* augendo *Imperio dictos* Auguſtos, *conſtans multorum eſt opinio. Sic enim Engelbertus Abbas Admontenſis, de ortu & fine Rom. Imperii, cap. 18. aſſerit,* nulli Imperatori vnquam licuiſſe, vel licere, fines Imperii imminuere: quia tunc caderet à nomine & dignitate Auguſti: quod ſignificat, imperium debere ſemper augeri, & nunquam minui: adeoque Imperatores contrarium facientes, non AVGVSTOS, ab augendo; ſed ANGVSTOS, ab anguſtando fines Imperii Romani, poſſe appellari. *Ea cauſa Palatinus Elector in coronatione Imperatoris, hiſce ſolemnibus eum adfatur:* Accipe Globum ſphæricum, vt omnes terræ Nationes Romano Imperio ſubiicias, & Auguſtus Glorioſus valeas appellari. *Simon Schard. de orig. Elect. Vnde illa hodieque vſitatiſſima formula in Edictis, Codicillis, Diplomatis, & fere quibuſcunque Litteris Imperialibus:* Imperator ſemper — Auguſtus (Allezeit Mehrer deß Reichs) *vbi qui tò* ſemper *ab Accurſio demum cum vocabulo* Auguſtus *iunctum cenſent, errant, nec Symmachum legerunt, qui cùm epiſt. 30, lib. 2. Theodoſium* ſemper — Auguſtum *appellat: tum hoc ipſum in titulis epiſtolarum libro 10. plerumque repetit. Quomodo etiam apud auctorem panegyrici, Maximiano & Conſtantino Auguſtis dicti:* Maximiane, velis nolis, ſemper-Auguſte. *Quin & Egeſippus in quinto belli Iudaici libro cap. 15. ita ſcribit:* Auguſtus apud Romanos nomen Imperii eſt, quod augeat ſuos, non quod opprimat alienos. *Aſſertores huius originationis vel ipſum Suetonium in partibus ſuis numerant, vt qui hoc loco vocem illam ab* auctu, *h. e. incremento deriuat. Sed certum eſt,* augere *longe diuerſa quàm iſti volunt,*

lunt, accipi notione, & esse verbum sacrum, ideo tributum Imperatori, vt maior homine, proindeque σεβαστὸς, h. e. veneratione & adoratione dignus censeretur. Xiphilinus in Cæs. Augusto: πάντα τὰ ἱερώτατα καὶ ἱερουργούμενα. *Ouidius Fastor. 1, 609.*

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.

Noster infrà cap. 96, 4. augeri hostias iussit. *In dedicatione aræ Narbonensis, quæ extat in Inscriptionibus Gruterianis pag. 229. SI QVIS HVIC ARÆ DONVM DARE AVGEREQVE VOLET LICETO. Ab eadem origine sunt,* mactus, *quasi magis auctus, & inde* mactare: *item* magmen, *&* magmentum. *Seruius ad Virgil. Æn. 4, 57.* Mactare, *inquit,* est verbum sacrorum, κατὰ ἐνσημασίαν dictum, quasi magis auctum. Vnde & magmentum dicebant, quasi maius augmentum. Olim enim hostiæ immolatæ dicebantur molâ salsâ tactæ: cum verò ictæ, & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur per laudationem, per boni ominis significationem, vt adolere. nam mactare, est proprie magis augere. *Idem in Æneid. 9, 641.* Quoties tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: Mactus est taurus vino, vel ture, hoc est, cumulata est hostia, id est, magis aucta. Et *paulo post:* Vt in Pontificalibus, sacrificantes dicebant Deo, Macte hoc vino inferio esto. *Adde Catonem de re rustica cap. 132. 134. 141. Nannium Miscell. 3, 29. Brisson. formul. lib. 1. & 4. Scalig. 1. epist. 20. Cæterùm vt* augustus *est à sacrificali verbo* augeo; *sic* angustus *est ab* ango *seu stringo tantùm, sic vt terminatio* ustus *in vtraque dictione nihil significet. Vnde minus analogica, adeoque absurda videtur etymologia autoris alterâ, ab auium* gestu gustuue *desumpta, quantumuis affirmata Festo quoque. Cuiusmodi ineptiis Grammaticorum, dictionum caudas significatiuas facientium, accenseremus etiam superius exemplum,* ædituus *ab æde tuenda:* æditimus, *ædis intimus. Talia in Isidoro, & quod mirum, ipso Varrone, frequenter occurrunt. Nec etiam bene (Casauboni iudicio) Torrentius hoc loco* auium gestum *ad tripudium solistimum refert. nam ad augurium ex auium volatu referri debet. Non enim volatum tantùm obseruabant: sed & quomodo se gererent in volando. Inde illa auium diuisio in disciplina augurali, alias auspicium facere ore: alias ore & alis: alias volatu & alis. Et ha quidem quæ ore auspicium faciebant,* oscines *dicebantur, teste Varrone lib. 5. de lingua Lat. quæ ex genere* superuaganeas *ab auguribus appellatas aues, quæ ex summo*

cacumine

cacumine vocem emiserant, Festus auctor est. Quæ verò alis ac volatu, ea alites, *aut etiam cùm prosperrimi augurii & auspicii erant,* præpetes *vocabantur. De quibus plura Brissonius formul. lib. 1. pag. 135.*

Ibid. (r) Gustuue] *Festus* augustum locum *dictum notat* vel ab auium gestu, vel ab auium gustatu, quia aues pastæ id ratum fecere. *Ex quo loco etiam hic rescribendum* gustatuue *vult Casaubonus: non necessariò. nam quod* gustus *idem cum* gustatu *sit, exemplis ostendit Salmasius ad Tertull. pallium pag. 241.*

Ibid. (s) Augusto augurio &c.] *Varro principio libri 3. de re rustica, Ennianos versus hosce refert:*

Septingenti sunt, paullo plus aut minus, anni,
Augusto augurio postquam inclyta condita Roma.

Notum autem est ex Liuio 1, 7. Dionysio Halicarn. 1, 89. Plutarch. in Romulo cap. 13. &c. Romulum in Vrbe condenda obseruasse augurium vulturum, qui sese numero illi duodecim ostenderunt, cum Remo sex tantum vultures augurium seciſſent. Itaque Romulus augur, vt est apud Ennium, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio augurioque:

Et vt mox ait: —— seruat genus altiuolantum.

Certabant, vrbem Romam ne Remam ne vocarent.
Cedunt ter quatuor de cœlo corpora sancta
Alitum præpetibus sese pulchrisque locis dant.

Hæc ex Cicerone de Diuinat. 1, 48.

CAPVT VIII.

1 QVadrimus, (a) patrem amisit: duodecimum annum agens, (b) auiam Iuliam defunctam pro concione
2 laudauit. ‖ Quadriennio (c) pòst (d) virili toga sumta, (e) militaribus donis, (f) triumpho Cæsaris Africano, dona-
3 tus est, quanquam expers belli (g) propter ætatem. ‖ Profectum (h) mox auunculum in Hispanias, aduersus Cn. Pompeii liberos, vix dum firmus à graui valitudine, per infestas hostibus vias, paucissimis comitibus, naufragio

etiam facto, subsecutus, magnoperè (*i*) demeruit, approbata citò etiam (*k*) morum indole, (*l*) super itineris industriam. ¶ Cæsare post receptas Hispanias expeditionem 4
(*m*) in Dacos, & inde in Parthos, destinante, præmissus (*n*) Apolloniam, studiis vacauit. ¶ Vtque primùm occi- 5
sum eum, heredemque se comperit, diu cunctatus, (*o*) an proximas legiones imploraret, (*p*) id quidem consilium vt præceps immaturumque omisit: ¶ ceterum, (*q*) vrbe 6
repetita, hereditatem adiit, (*r*) dubitante matre, (*s*) vitrico verò Martio Philippo Consulari multùm dissuadente. ¶ Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primùm 7
(*t*) cum M. Antonio, Marcoque Lepido, dein tantùm cum Antonio per duodecim ferè annos, nouissimè per quatuor & quadraginta solus Remp. tenuit.

Num. 1. (a) Quadrimus] *Natus quatuor annos: sicuti* bimus & trimus *dicitur duorum vel trium annorum. inde* bimatus, trimatus, quadrimatus, *pro ætate biennii, triennii, quadriennii. Beroald.*

Ibid. (b) Auiam Iuliam] *Matrem Atiæ, quæ Cæsaris Dictatoris fuit soror. Quintilian.* 12, 6. *pr.* Cæsar Augustus duodecim natus annos, auiam pro Rostris laudauit. *Quod idem officium patri suo* Tiberius nouem natus annos *exhibuit. Suet. Tib.* 6, 6. Caius Liuiam Augustam proauiam suam defunctam prætextatus etiamtum (*h. e. in puerili ætate*) pro Rostris laudauit. *Idem in Calig.* 10, 1. Claudium *adolescentem quoque, licet mente captum putaret,* declamantem sibi non displicuisse *dicit Augustus. Idem in Claud.* 4, 12. *Sed &* Nero, *cum à Claudio in Imperii spem adoptatus esset,* vt honestis studiis & eloquentiæ gloriâ notescceret, pro Troianis & Bononiensi colonia facunde peroravit. *Tacitus Annal.* 12, 58. *Atque adeo primum egregiæ indolis indicium in Principum Rom. filiis habitum fuisse publicam alicuius orationis declamationem, ex historiis est animaduertere. Necessariam autem esse Reipub. præsenti Eloquentiam, egregie demonstrat Plutarchus in aureolis administrandæ Reipub. præceptis cap.* 11. *& seqq.*

3. (c)

2. (c) Quadriennio pòst] *Nimirum ætatis anno decimosexto: atque ideo ante legitimum tempus. Nam demum post annum decimumseptimum, (quæ ætas & militiæ fuit apta) togam virilem sumere consueuisse Romanos ingenuos, omnibus est receptum. Hoc exemplo postea factum, vt* Neroni *vix pubescenti* virilis toga maturaretur, quò capessendæ Reipub. habilis videretur, *asserente Tacito Annal.* 12, 41, 1. Imp. Antoninus Philosophus, *tradente Iulio Capitolino in eius vita cap.* 4. virilem togam sumpsit anno quinto decimo ætatis suæ, *& sic duobus annis antè quàm per legem liceret.*

Ibid. (d) Virili toga] *Sic dicta, quod qui eam, positâ puerili prætexta sumerent, in viros transcriberentur. Dicta eadem* pura, *hoc est, nullo purpura prætextu distincta: item* libera, *quia pueritiam egressis, quoddam libertatis initium erat, cum antea custodirentur à pædagogis. De hac Seneca epist.* 4. Tenes vtique memoria, quantum gaudium senseris, cùm prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es. *Vide Cælium Rhodiginum* 14, 16. *Rosin. antiq. Rom.* 5, 32.

Ibid. (e) Militaribus donis] *Cuiusmodi fuerunt antiquitus, armilla, torques, hasta, phalera, corona, spolia, de quibus ex professo Lipsius Milit. Rom.* 5, 17.

Ibid. (f) Triumpho Africano] *Quem egit Cæsar deictis in Africa Scipione, Iuba, & Catone. Meminit huius autor in Cæs.* 37, 2.

Ibid. (g) Propter ætatem] *Vegetius de re militari* 1, 4. *tyrones militiæ admouendos scribit, incipiente pubertate, hoc est, ex instituto Seruii Tullii Regis apud Agellium* 10, 28. *ætatis anno decimoseptimo. Nam extraordinarium est, quod annotatur ab Historicis, Romanos bello secundo Punico, ob militum inopiam decreuisse, vt qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, his perinde stipendia procederent, ac si septem & viginti annorum, aut maiores milites essent.*

3. (h) Profectum mox &c.] *Velleius Paterculus* 2, 59, 4. C. Octauius obiit prætextato relicto filio (*Augusto*) quem C. Cæsar, maior eius auunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit vt suum, natumque annos 18. Hispaniensi militia assecutum se, postea comitem habuit, numquam aut alio vsum hospitio, quàm suo; aut alio vectum vehiculo: pontificatusque sacerdotio puerum honorauit.

Ibid. (i) Demeruit] *Sibi conciliauit atque deuinxit.*

Ibid

Ibid. (k) Morum indole] *Valerius Maximus 3, 1. exemplis demonstrat, primis statim annis conspici* quasi cunabula quædam & elementa virtutis: animique, procedente tempore ad summum gloriæ culmen perventuri, certo cum indolis experimento dari gustum. *Adde infrà exemplum Titi, in eius vita 3, 1.*

Ibid. (l) Super itineris industriam] *Celeritatem in adeunda Hispania. Plinius in proœmio libri 19. autor est, ab Hostia vsque ad Herculis columnas, etiam mollissimo flatu, nauigari septem diebus, & quarto die in citeriorem Hispaniam.* Super *hoc loco est vltra, præter. Crebrum id Autori, vt infr. 69, 2. Tiber. 55, 1. Calig. 36, 3. Oth. 5, 2. Domit. 3, 4, &c. non item alibi: nisi quod Tacitus Annal. 13, 8.* Super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus.

4. (m) In Dacos, inde in Parthos.] *Torrentiani libri duo inuerse,* in Parthos, & inde in Dacos, *sed male, vt clarum est ex Sueton. Cæs. 44, 6. & Vell. 2, 59, 5. Dacos, Getarum sobolem facit Iustinus 32, 3. fin. Hodie Dacia comprehendere putatur Transylvaniam, Wallachiam, & Moldaviam.*

Ibid. (n) Apolloniam] *Stephanus vrbes hoc nomine viginti quatuor enumerat. Hæc nostra, Taulantiorum in Macedonia, ciuitas est, ad Ionicum mare sita. Optimis legibus temperatam Corinthiorum & Corcyræorum coloniam facit Strabo lib. 7. pag. 219, 5. Thucydides verò 1, 5, 10, & Plinius 3, 23. Corinthiorum tantùm, vt & Dio, qui eam pulcre describit lib. 41. pag. 195, E. Velleius 2, 59, 5. Cæsar* ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem. *Eadem Dio lib. 45. pag. 307. D.*

5. (o) An proximas legiones] *Macedonicas puta. Velleius 2, 59, 6. Octauio* vt est nunciatum de cæde auunculi, cum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam suorumque militum operam ei pollicerentur; neque eam spernendam Saluidienus & Agrippa dicerent; ille festinans &c.

Ibid. (p) Id consilium, vt præceps immaturumq;] *Plautus Mil. Glor. 2, 2, 52.* incoctum *simili translatione:*

Eccere autem capite mutat: non placet quod reperit.
Quicquid est, incoctum non expromit: bene coctũ dabit. *Cæs.*

6. (p)

6.(q) Vrbe repetita, hereditatem adiit] *Apolloniâ Romam rediens, in itinere, Brundusii, & nomen Cæsaris assumpsit, adoptione probata, & hereditatem adiit. Romam reuersus, Prætorem vrbanum accedit, adoptionem accipere se professus: eaque professio per scribas in acta publica refertur: qui mos Romanis est, adoptioni autoritatem prætoris interponere. Hæc partim Dio lib. 45. pag. 307. & seq. partim Appianus lib. 3. ciuil. pag. 532. & 534.*

Ibid. (r) Dubitante matre] *Quærem discriminis & inuidiæ plenam arbitrabatur, cum adoptione, necis Cæsaris vltionem, & conuulsam Remp. suscipere. Sed Octauius vsurpauit ad matrem, Achillis ad Thetidem hæc verba apud Homerum Iliad. 18, 98.*

Dispeream cæsi ni iam fuero vltor amici:

addiditque, sibi Cæsarem fuisse non amicum, sed parentem: non commilitonem, sed imperatorem: non belli iure interemptum, sed in senatu, coniuratione nefaria oppressum. Vnde mater, metu in gaudium verso, filium ad destinata, caute tamen exequenda cohortabatur. Ex Appiano lib. 3. Ciuil. pag. 534.

Ibid. (s) Vitrico v. Marcio Philippo] *Cui post obitum Octauii nupserat Atia mater Augusti. Velleius. 2, 60.* Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris. Sed asserebant salutaria reipub. terrarumque orbis fata conditorem conseruatoremque Romani nominis. Spreuit itaque cœlestis animus humana consilia; & cum periculo potius summa, quàm tutò humilia, proposuit sequi: maluitque auunculo & Cæsari de se, quàm vitrico credere, dictitans, nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum. *De hoc Philippo accipiendus Cicero lib. 14. ad Attic. epist. 12. m.*

7.(t) Cum M. Antonio per 12. fere annos] *Tribus demtis mensibus: ex ante diem quintum Kal. Decembris, anno Vrbis conditæ DCCXI. ad ante diem 3. Non. Sept. anni DCCXXIII. Casaub.*

CAPVT IX.

1 PRoposita' vitæ eius velut summa, partes sigillatim, (a) neque per tempora, sed per species, ex sequar: quò di-
2 stinctius demonstrari cognosciqúe possint. ‖ Bella (b) ci-

uilia quinque gesſit; Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, Actiacum. ‖ Ex quibus primum ac nouiſsimum 3
aduersus, M. Antonium; secundum aduersum Brutum & Cassium; tertium aduersum L. Antonium Triumuiri fratrem; quartum aduersus Sex. Pompeium Cn. filium.

Num. 1. (a) Neq; per tempora, sed per ſpecies] *Non temporum seriem, sed rerum distinctionem obseruando; vt scilicet agatur primum de publica Augusti vita, deinde de priuata: & in publica, suo loco de bellis tum ciuilibus, tum externis; alio loco de magistratibus &c. Velleius Paterculus* 1, 14, 1. Facilius cuiusque rei in vnum contracta ſpecies, quàm diuiſa temporibus, oculis animiſque inhæret. *Adde Florum* 2, 19, 5. *Curtium* 3, 1, 1. *& 2. Vide tamen Nonium voce* Saltuatim.

2. (b) Bella ciuilia quinque] *Quorum Mutinense exequitur autor sequenti cap.* 10, 8. *&c. Philippense cap.* 13. *Perusinum cap.* 14. *Siculum cap.* 16. *Actiacum cap.* 17.

CAPVT X.

OMnium bellorum initium & cauſſam hinc ſumſit, 1
NIHIL conuenientius ducens, quàm (a) necem auunculi vindicaret, (b) tuerique acta. ‖ Confeſtim vt Apollonia 2
rediit, Brutum Caſſiumque, (c) & vi nec opinantes; & quia præuiſum (d) periculum ſubterfugerant, (e) legibus aggredi, reoſq; cædis abſentes (f) deferre ſtatuit. ‖ Ludos (g) autem 3
victoriæ Cæſaris, non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipſe edidit. ‖ Et quo conſtantius cetera quoque 4
exſequeretur, (h) in locũ Trib. plebis forte demortui (i) candidatum ſe oſtendit: (k) quanquam patricius, nec dum ſenator. ‖ Sed aduerſante conatibus ſuis M. Antonio con- 5
ſule, quem (l) vel præcipuum adiutorem ſperauerat; ac (m) ne publicum quidem & translatitium ius vlla in re

ſibi

sibi sine pactione grauissimæ mercedis impertiente, (n) ad optimates se contulit: ‖ quibus cum inuisum sentiebat,
6 maximè quòd D. Brutum (o) obsessum Mutinæ, (p) prouincia à Cæsare data, & per senatum confirmata, expellere armis niteretur. ‖ Hortantibus itaque nonnullis, (q) per-
7 cussores ei subornauit. Hac fraude deprehensa, (r) periculum inuicem metuens, (s) veteranos simul in suum ac Reip. auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. ‖ (t)
8 Iussuque comparato exercitui (u) pro prætore præesse, & (x) cum Hirtio ac Pansa, qui consulatum acceperant, (y) Decimo Bruto opem ferre, demandatum (z) bellum tertio mense confecit duobus prœliis. ‖ Priore, Antonius *eum*
9 *fugisse* scribit: *ac (a) sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse.* ‖ sequenti, satis constat (b) NON modò
10 ducis, sed etiam militis functum munere; atque in media dimicatione, (c) aquilifero legionis suæ grauiter saucio, (d) aquilam humeris subiisse, diuque portasse.

Num. 1. (a) Necem auunculi vind.] *Auunculi magni, Cæsaris. Paullus IC.* Omnes heredes, vel eos qui loco heredum sunt, officiose agere circa defuncti vindictam conuenit. *Vide in Dig. & Cod. De his quibus vt indignis hereditas auferatur. Casaub. De hac vltione, intra triennium peracta, Guntherus Ligurin. lib. 1, 520.*

Sic Augustorum primus summusque Monarches,
Eximiusque nepos, pius ac fortissimus vltor,
Hostibus extinctis, crudelia Cæsaris olim
Protinus accepto diademate fata piauit.

Cuius quidem rei rationem exponit Darius à Besso letaliter vulneratus, vindictam ab Alexandro poscens. Nam exempli communemque omnium regum esse causam, quam negligere, illi & indecorum, & periculosum esse: quippe cum in altero iustitiæ eius, in altero etiam vtilitatis causa versetur. *Hæc Iustinus in fine libri* 11. *vbi notam uostram, si tanti est, vide.*

Ibid. (b) Tuerique acta] *Adeo enim non successit perussoribus Cæsaris, eius acta rescindere parantibus (Suet. Cæs. 82, 10.) vt Ciceronis hæc extet querela ad Attic. 14, 17.* Quacumque nos commouimus, ad Cæsaris non modo acta, verum etiam cogitata reuocamur. *Acta porro dicuntur hoc loco decreta, leges, edicta, ceteraque ab eo gesta, qui rogatus in Repub. cum potestate imperioque versatus est. quæ num & quatenus à successore tuenda seruandaque sint, præsertim si sint à tyranno profecta, docent, Ioan. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 5. Hen. Arnisæus de iure maiestatis lib. 1. cap. 4. Arn. Clapmarius de arcan. dominat. lib. 3. cap. 17.*

2. (c) Et vi nec opinantes] *Ita Mss. Palatinus ac Torrentianus: alii, & antea cusi,* etiam nec opin. *non bene. Sensus enim est: Augustus Brutum Cassiumque subuertere statuit primò vi & inopinatò: deinde, cum id non procederet (quia præuisum periculum subterfugerant) legibus ac iudicio.* Nec-opinantes *est vnica dicto composita, qua vtitur quoque Liuius 41, 7, 7. & 44, 35, 11. Idem 43, 18, 7.* nec-opinata obsidio *dixit, pro inopinata. Quomodo Florus 3, 5, 25,* nec-opinatò Italiam inuadere. *Pro eo* nec-opinus *extat apud Ouidium Metamorph. 1, 224. & Ausonium panegyr. ad Gratian.*

Ibid. (d) Periculum subterfugerant) *Non hoc dicit: Brutum & Cassium veritos Octauium, vrbe discessisse,* [*vt vult Beroaldus*] *Nam Romam ante deseruerant, metu Antonii. Puto igitur Octauium per milites Cæsarianos insidias struxisse illorum vitæ, quo tempore Antii erant, & per Italiam vagi errabant, vt ex epistolis Ciceronis apparet. Casaub.*

Ibid. (e) Legibus aggredi] *Lege Cornelia de sicariis, aut Iulia de vi publica, aut Iulia maiestatis. Casaub.* *Lege Pedia damnatos fuisse conscios autoresque Cæsarianæ necis, patet ex Suet. Nerone 3, 2. & Galba 3, 7.*

Ibid. (f) Deferre] *Accusare.*

3. (g) Ludos victoriæ Cæsaris, &c. ipse edidit.] *Matio curante. Ipse Matius epistolâ ad Ciceronem, quæ est inter familiares, libri vndecimi vicesima octaua:* At ludos, quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui. At id ad priuatum officium, non ad statum Reipub. pertinet. Quod tamen munus & hominis amicissimi memoriæ ac honoribus præstare, etiam mortui, debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignis-

simo

simo Cæsari petenti negare non potui. *Horum ludorum procuratorem Matio Postumium adiungit Cicero ad Attic. 15, 2, 5. Cùm autem varios ludos in memoriam victoriarum Cæsaris celebratos fuisse, cum ex Dionis aliquot locis, tum imprimis ex Appiano lib. 2. Ciuil. pag. 494. D. pateat, de quibusnam agatur hoc loco, quæritur. Sabellicus respici putat ad ludos, quos ab Augusto* Veneri Genitrici *factos testatur Plinius 2, 25, 11. Sed hi tam diuersi sunt, quàm est à Venere Victoria. Recte, nisi fallor, Torrentius hæc explicat ex illo loco Dionis, libro 43. pag. 265. E. Post deuictos à Cæsare in Hispania Pompeii liberos institutum fuisse, vt Palilibus, ludi in Circo & sacra fierent: non quod is dies natalis vrbis erat: sed quod pridie eius diei, sub vesperam, nuncius victoriæ Cæsaris Romam allatus fuisset. Nec obstat, quod Torrentio Casaubonus obiicit, diem Paliliorum fuisse XI. Kal. Maii: hos vero ludos adhuc paraſſe Matium XV. Kal. Iun. nec nisi aliquanto tempore post fuisse editos. Cur enim ordinario Paliliorum die non fuerint editi, sed aliquantum dilati, cum ex hoc autoris nostri, tum illo Dionis loco lib. 45. pag. 309. C. manifestum est*: Deinde ludos ob perfectam Veneris Genitricis ædem institutos (*eos Plinius 2, 25, 11. innuit, & autor ipse Cæs. 88, 2.*) quos viuo adhuc Cæsare quidam sese celebraturos receperant, sed TVM, sicut & equestre certamen Palilibus, (*de quo Noster hoc loco*) NEGLIGEBANT, ipse suis sumptibus, tanquam ad se ratione generis pertinens, ad captandam populi gratiam, fecit.

4. (h) In locum tribuni plebis] *Heluii Cinnæ, vt vult Torrentius, minime probabiliter. Cinnam enim statim à nece Cæsaris* occisum, *ex Autoris Cæsare 85, 1. hunc verò aliquanto post* forte demortuum, *ex hoc loco patet. Appianus etiam indefinite, lib. 3. Ciuil. pag. 546. B.* Defuncto quodam ex tribunorum plebis collegio, &c.

Ibid. (i) Candidatum se ostendit] *Quidam Mss. & editi plerique*, candidatum petitorem se ostendit. *vnde Casaubonus facit*, candidatus petitorem se ost. *Sed cum* petitorem *respiat manifestariam glossam, omittendam duxi, præsertim cum nec in Palatinis omnibus, teste Grutero, compareat. Appianus modò indicato loco aliquantulum abire à Nostro videtur*, Comitiis tribunitiis, *inquit*, Augustus Flaminio fauebat: plebs verò ipsum rata eius honoris cupidum, quamuis propter immaturam ætatem non profiteretur nomen inter Candidatos, volebat eum tribunum declarare suis suffragiis. *Possint tamen hæc ita forte conciliari, si dicamus*

dicamus, esse diuersa, profiteri se Candidatum, & ostendere. *Augustum non quidem professum esse suum nomen inter Candidatos tribunatus: sed præ se tulisse tamen, se illum honorem appetere, & populum, vt vltrò, nec professo conferret, sollicitasse. Sic Plutarchus in Antonio cap. 21. Antonium Augusto* affectanti tribunatum (δημαρχίαν μετιόντι) obstitit: nisique populum sollicitare desisteret, se eum in carcerem ducturum minatus est.

Ibid. (k) Quanquam patricius, nec dum senator] *Tribuni creati olim non solum pro plebe, sed etiam è plebe: ita vt patriciis aut patribus aditus ad eum honorem rarus esset, aut nullus. Diu ita mansit, donec visum adeò id immutare, vt cautum seuere fuerit, ne quis Tribunus fieret, nisi Senator: id est, ne ius quidem haberet petendi Tribunatus, nisi iam ante è patribus. Atque hoc vsitatum etiam in libera Repub. & extremo æuo Ciceronis, clare affirmat Suetonius hoc loco, vbi diserte & extra cauillum, impedimenta duo Cæsari ad Tribunatum ponit: quod gente patricius, & quod honore* nondum Senator. *Nam maximo Langio, voces eas duas præfidenter hic tollenti, qui adsentiar? præsertim cum iteret hoc idem Suetonius infra cap. 40, 1. Hæc I. Lipsius in Electis 2, 13. Et sane contra Langium ista lectio etiam à codicibus Palatinis, attestante Grutero, confirmatur. Accedit autoritas Appiani, qui lib. 3. ciuil. pag. 546. B. scribit, Augustum* propter immaturam ætatem, *nomen suum inter Candidatos Tribunatus non esse professum: quia scilicet nondum senatoriam ætatem (eam fuisse annum 27. demonstrat Car. Sigonius de iure Ciu. Rom. 2, 2.) attigisset, vt in Senatum cooptari posset: ad quod munus tamen eum postea, lege soluta, suffragante Cicerone, admissum constat.*

5. (l) Vel præcipuum adiut.] *Propter beneficia Cæsaris Dictatoris collata in ipsum Antonium: & quia se semper acerrimum propugnatorem Cæsaris præstiterat Antonius. Beroald.*

Ibid. (m) Ne publicum quidem & translatitium ius] *Vox vltima* ius, *à Glareano & Vrsino ex cod. vet. restituta, cum deesset editionibus, effecit, vt in hoc explicando loco Beroaldus atque Sabellicus inanem sumerent operam. Est autem* ius publicum, *quod omnibus patet, quo promiscue omnes vtuntur. Quo indignius erat, Augusto negari ab Antonio, quod minimo cuique ciuium erat concessum. Eo sensu* publica fidera *dixit Ouidius Epist. 18, 150. &* publica verba, *quibus vulgo vtuntur, idem 3. Eleg. 7, 12.*

cum

cum Seneca principio epistolæ 3. Porro ius tralatitium *seu* translatitium, *quod &* translatiuum, *Glareanus nescio an bene refert ad tribuniciam potestatem. Dixerim, idem esse fere quod* ius publicum. *Iungit certe vt cognata Plinius 9. Epist. 37. pr.* Translatitia hæc & quasi publica officia ab amicis exigere, *hoc est, interprete Budæo, vulgaria, & ab omnibus passim vsurpata, nedum ab iis qui exquisite amicitiam colunt. Sic Plinius maior 7, 5.* Translatitium in Ægypto est, hominem octauo mense gigni, *h. e. vsitatum, nec nouum. Ciceroni Verrina 1, 44.* vetus edictum translatitiumque *dicitur, quod ex veteri & recepto iure, eoque quod antea obtinebat, componebatur. Cum autem vsitata, & à veteribus ad nos translata, recens excogitatis minus accurata esse soleant, hinc fit vt* translatitium *opponatur exquisito & accurato. Quo sensu* translatitias causas *dixit Autor in Nerone 6, 8. &* translatitium funus *Ner. 33, 9.* Translatitie, *est perfunctorie, negligenter, obiter. Ceterum,* ius translatitium *esse Græcis ἐγκύκλιον δίκην, quasi ordinarium & in quotidiano vsu positum, ostendit hoc loco Casaub. ex orat. priore Demosth. in Aristogit.*

Ibid. (n) Ad optimates se cont.] *Inprimis ad Ciceronis autoritatem tutelamque. Priscianus lib. 5.* Optimates sunt, qui defendunt senatores: populares, qui defendunt populum. *Beroald.*

6. (o) Obsessum Mutinæ] *Cicero Philipp. 5, 9.* Antonius circumsedit Mutinam, firmissimam & splendidissimã populi Rom. coloniam: oppugnat D. Brutum imperatorem, consulem designatum &c. *De hoc bello Plutarchus in Antonio c. 22. & Appianus Ciuil. 3.*

Ibid. (p) Prouincia] *Citeriore Gallia, quam Decimus Brutus obtinebat, datam sibi primò à Cæsare, mox confirmatam decreto Senatus. Antonius verò à Populo hanc prouinciam per plebiscitum sibi dari impetrauit: & cum illic circumsideret Mutinam, & oppugnaret Brutum; autore Cicerone, hostis patriæ iudicatus est. Ber.*

7. (q) Percussores 'ei suborn.] *De his insidiis non eadem omnes tradunt. Velleius 2, 60, 3. plane factum negat.* Mox, *inquit,* Antonius, velut insidiis eius petitus, sceleste insimulare *Augustum* cœpit: in quo turpiter deprehensa eius vanitas est. *Appianus vero lib. 3. Ciuil. pag. 551. D. etiam modum insidiarum narrat ex verbis Antonii: corruptos nempe fuisse aliquos ex ipsius satellitibus. Cicero ad Cornific. lib. 12. famil. epist. 23.*

Rerum

Rerum vrbanarum acta tibi mitti certo scio: quod ni ita putarem, ipse perscriberem; inprimisque Cæsaris Octauiani conatum. de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, vt in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem & boni viri, & credunt factum, & probant. *Seneca de Clementia 1, 9, 1. rem ponit vt certam:* Diuus Augustus, quum hoc ætatis esset quod tu nunc es, duodeuicesimum egressus annum, iam pugiones in sinu amicorum absconderat: iam insidiis M. Antonii Cos. latus petierat. *Quod ait Seneca, Octauium id ætatis iam pugiones in sinu amicorum abscondisse, vereor ne fit παρὰ τὴν ἱστορίαν in gratiam Neronis ψεύδεσθαι [praeter historiæ fidem temere scriptum.] nam id neque vllus è veteribus tradit: neque aut Cæsaris, in cuius potestate ille erat; aut ipsius Octauii moribus, quibus adhuc esset vsus, conuenit. Casaub.* *Plutarchus in Antonio cap. 22. scribit, sparsum rumorem, Antonio Augustum insidias tendere: & Augusto se purganti fidem Antonium non habuisse.*

Ibid. (r) Periculum inuicem met.] *Velleius 2, 60, 6.* C. Cæsar iuuenis quotidianis Antonii petebatur insidiis. *Cas.*

Ibid. (s) Veteranos] *Cicero Philipp. 5. cap. 8.* Cæsar (*Augustus*) deorum immortalium beneficio, diuini animi, ingenii, consilii magnitudine, quamquam sua sponte, eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meæ, colonias patris (*Iulii Cæs.*) adiit: veteranos milites conuocauit: paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronis (*Antonii*) impetus retardauit. *Et eiusdem orat. cap. 16.* Cæsar annis multis minor (*Pompeio*) veteranos, cupientes iam requiescere, armauit. *Atque hac legio* Euocatorum *appellata fuit, quod missi facti à militia, rursus ad eam conuocarentur. Dio lib. 45. pag 313. C. Praeter hos vero, Legiones quoque Martiam & Quartam, Antonio deserto, secutos Augustum, arma pro Repub. cepisse, tradit Cicero Philipp. 5, 11. & 11, 8. & Velleius 2, 61, 3. ceterique.*

8. (t) Iussusque &c:] *Hoc decretum Senatusconsultis honorificis aliis cumulatum fuit: vt scilicet aurata ei poneretur statua: vt senator esset; vtque sententiam posthac inter consulares diceret, & ius petendi consulatum haberet decennio ante ætatem legitimam &c. Haec partim ex Epitome Liui 118. partim Velleio Paterculo 2, 61, 4. Appiano Ciuil. 3. pag. 560. A. Dione lib. 46. pag. 353. D. discimus. quibus magnam lucem adfert Cicero Philipp. 5. fine capitis 16. & capite seq.* *Ibid.* (u)

Ibid. (u) Pro prætore] *Scribendum ne declinabiliter* proprætor, proconsul, *an vero per omnes casus indeclinabiliter*, pro prætore, proconsule, *Grammatici certant; & litem sic satis expedit Orthographia Manutii, pag. 630. Adde Martianum Capellam lib. 3. pag. 73. f. & seq.*

Ibid. (x) Cum Hirtio ac Pansa, qui cons. accep.] *Iisdem Cal. Ianuar. & inierunt isti consulatum, & senatusconsultum est factum auctore Cicerone, quo hic honos Octauiano delatus. Velleius 2, 61.* vocat consules designatos: *incogitanter. Casaub.*

Ibid. (y) D. Bruto op. ferre] *Quem Mutina obsidebat Antonius. Ber.*

Ibid. (z) Bellum conf. duob. prœliis] *Hoc belli prœliique discrimen exemplis adstruximus ad Iustin. 9, 4, 4. d. quibus adde Virgil. 11, 541. & illud Liuii 9, 18, 8.* Populus Rom. etsi nullo bello, multis tamen prœliis victus. *Iustinus tamen & isto loco, & praterea 2, 12, 23. bellum pro prœlio capit. Ita l. 3. ff. ad l. Iuliam maiest.* qui in bello cesserit, *id est, prœlio.*

9. (a) Sine paludamento] *Hoc erat* ἄπτωσις [*cladis*] *& turpis fugæ argumentum. nam in summo periculo aut fuga soliti duces paludamenta & omnia insignia honoris ponere. Appianus lib. 5. pag. 735. C. loquens de eodem Octauio in Sicilia periclitante de vita:* Milites cohortatus, imperatoria insignia (τὰ στρατηγικὰ σημεῖα) vt in maximo constitutus periculo, deposuit. *Idem eodem libro pag. 741. A. de Sexto Pompeio:* Postquam in via cognouit de defectione exercitus, priuatum cultum sumpsit pro imperatorio. *& exempla plura apud Plutarchum & Dionem, qui lib. 49. pag. 459. C. de Sexti Pompeii fuga loquens,* τὸν στρατηγὸν, *ait,* τὸν στρατηγικὸν ἀπέδυσατο: habitum militarem deposuit. *vbi suspicari aliquis possit scribendum* στρατηγικὴν: *sicut paullo post de eodem,* τὸ χλαμύδιον τὸ στρατηγικὸν ἀνέλαβε: imperatorium habitum resumpsit. *Sed verius, nihil mutandum. nam etiam lib. 53. duobus locis* στρατηγικὴ ἐσθὴς *est* paludamentum. *Cæsar de bello Ciuili 3, 96.* Pompeius iam cum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatoriis, decumana porta se ex castris eiecit. *Horatius Epodon libro, od. 9. de Antonio:* Terra marique victus hostis, punico Lugubre mutauit sagum. *Hactenus Casaubonus. Ceterum quæ, qualia & vnde dicta sint paludamenta, utemque paludati imperatoris effigiem, vide sis in Lipsii Militia Romana 2, 12. Adde Freinshemii Notas ad Florum 1, 5, 6. l. De proiectis insignibus idem exemplis plura notauit ad Flor. 1, 18, 7. r.*

Ibid. (c)

Ibid. (c) Non modo ducis, sed etiam militis functum munere] *Ammianus Marcellinus* 25, 13. Corporis munus à milite, ab imperatore verò animi poscitur. *Onosander Strateg. cap.* 33, *pr.* Imperatoris prudentia plus robore valet. *Casaub.* Iugurtha, quod difficillimum inprimis est, & prœlio strenuus erat, & bonus consilio: quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum exaudacia temeritatem adferre plerunque solet. *Sallust. Iug. c.* 7. *Qui idem de Catilina cap.* 60. Strenui militis, & boni imperatoris officia simul exequebatur. *Onosander tamen indicato cap.* 33. *duci vitio vertit istam pugnandi audaciam. Et sane* Militares & imperatoriæ artes non sunt eædem. *Liuius* 25, 19, 10. Diuisa sunt inter exercitum ducesque munia. militibus cupido pugnandi conuenit: duces prouidendo & consultando prosunt. *Tacitus Hist.* 3, 20. *Qua causa Scipio Africanus dixisse fertur, cum eum quidam parum pugnacem dicerent:* imperatorem me mater, non bellatorem peperit, *vt est apud Frontinum Strategem.* 4, 7, 4.

Ibid. (d) Aquilifero legionis suæ] *Quæ hæc Cæsaris propria legio? Nam certum est, eum iussum esse comparato à se exercitui præesse, qui tribus minimum legionibus constabat. An legendum* legionis iiij? *Nam ab ea scriptura proclivis in hanc declinatio. An potius* legionis vnæ, *hoc est,* vnius? *nam prius scripsum fuisse videtur,* legionisuæ. *Id nisi sit, Torrentio assentior. Hæc Casaubonus. Torrentio placet, Augustum* legionem suam *vocare, quam ante collegerat, quàm ad eum Martia & Quarta transfugerent, vt supra nota* (f) *ostensum. Sed haud dubie Gruteri arbitrium verissimum, nihil opus esse censentis, ad coniecturas diuerti, cum omnes libri* legionis suæ *habeant. Eius certe legio proprie dicitur, in qua ipse versatur; & quam in prœlio circa se habet. notum enim est, & cornu dextrum, & sinistrum, & mediam aciem habuisse rectores peculiares, neque omnibus locis stetisse quamuis summum imperatorem.*

Ibid. (e) Aquilam humeris subiisse, diuque portasse] *Quod sane mirum. Nam & signa militaria scimus fuisse tanti ponderis, vt ea portandis vix valentissimi humeri sufficerent: & Octauius nec ætate ea tum fuit, nec lacertis illis, vt sine maximo conatu par oneri esse posset. Herodianus in Caracalla vt arduum & rarum notat, quod suffocerit bainlandi interdum signis, dum per omnia militibus suis vult facere se æqualem. Verba eius insignia:* Aliquando etiã signa militaria, quæ & prælonga sunt, & multis dona-

eis donariis ornata, vt illa vix validiſſimi geſtent milites, ipſe humeris impoſita ferebat. *Auctor hiſtoriæ Miſcellæ, lib. XI. S. de Conſtantini labaro loquens:* Conſtituit itaque certos ſigniferos, qui in eo laborarent: quorum opus erat, vt vicibus humeris eum (*labarum*) veherent, & omnes acies ita luſtrarent. *Caſaub. De Aquila, & in vniuerſum de ſignis, examuſſim, vt alia, Lipſius Milit. Rom. 4, 5.*

CAPVT XI.

1 HOc bello cum (*a*) Hirtius in acie, (*b*) Panſa paullo poſt ex vulnere, periſſent, rumor (*c*) increbruit, (*d*) ambos opera eius occiſos: vt Antonio fugato, Rep. (*e*) conſulibus
2 orbata, (*f*) ſolus victores exercitus occuparet. ¶ Panſæ quidem adeo ſuſpecta mors fuit, vt (*g*) Glyco medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet. ¶ Adiicit his
3 Aquilius Niger, *alterum è conſulibus, Hirtium, in pugnæ tumultu,* (*h*) *ab ipſo interemptum.*

Num. 1. (*a*) Hirtius in acie, Panſa ex vuln.] *Hirtius inter Antonianos viriliter pugnans, confoſſus eſt: Panſa verò ſagittâ percuſſus in ilia, Bononiam delatus. Cadauer vtriuſque Romam deferri iuſſit Auguſtus, vbi publica ſepultura fuerunt honorati, libitinariis cum rerum ſuarum vſum, tum miniſterium gratuitum pollicentibus, quia hi pro repub. dimicantes occiderant. Hæc partim Appianus Ciuil. 3. pag. 572. &c. partim Velleius 2, 61, 5. & 2, 62, 5. & Valerius Maximus 5, 2, 10.*

Ibid. (*b*) Panſa paullo poſt] *Sic quoque Pal. ſecundus, etiam primus, niſi quod is,* Panſaque. *antea cuſis aberat dictiuncula,* paullo. *Gruter.*

Ibid. (*c*) Increbruit] *Sic in Memmiano & omnibus melioris notæ libris ſcribitur: non* increbuit; *quæ ſcribendi ratio apud pleroſque auctores obtinuit. Caſaub. In aſſerendo tamen* increbuit, *multus eſt Manutius Orthograph. pag. 433. quem conſulat, cui curæ eſt.*

Ibid. (*d*) Ambos opera eius occiſos] *Dio lib. 46. pag. 360. D. plane idem. Tacitus Annal. 1, 10. vulgi ſermones de Auguſto commemorans:* Cæſis

Hirtio & Panſa: ſiue hoſtis illos: ſeu Panſam venenum vulneri affuſum; ſui milites Hirtium, & machinator doli Cæſar abſtulerat. *Sed ſi vera ſunt, quæ de moriente Panſa apud Appianum lib. 3. Ciuil. pag. 572. & ſeq. legimus, difficile creditu eſt, Auguſtum ei mortis cauſſam attuliſſe. Caſ. Glyconem quidem, Panſæ medicum, de veneno vulneri eius indito accuſatum excuſat Brutus ad Ciceronem epiſt. 6. hiſce:* Tibi Glaucona, medicum Panſæ, qui ſororem Achilleos noſtri in matrimonio habet, diligentiſſime commendo. Audimus, eum veniſſe in ſuſpicionem Torquato de morte Panſæ, cuſtodirique vt parricidam. nihil minus credendum eſt. quis enim maiorem calamitatem morte Panſæ accepit? Præterea eſt modeſtus homo, & frugi: quem ne vtilitas quidem videatur impulſura fuiſſe ad facinus. Rogo te, & quidem valde rogo, eripias eum ex cuſtodia, conſeruesque, &c.

Ibid. (*e*) Conſulibus orbata] *Priuata ceu parentibus, quorum inſtar Conſules ſunt Reip. Nam hoc proprie eſt* orbari. *vnde allato modò loco Cicero Conſulum cædem* parricidium *appellat. Eodem reſpiciens Liuius 27, 35, 7.* Duo conſules, *inquit,* interfecti, velut orbam rempub. reliquerant. *Et Iuſtinus 21, 4, 3,* Rempub. orbam *dicit Senatu deſtitutam.*

Ibid. (*f*) Solus victores exercitus occup.] *Viterbienſis cod.* ſolus victor ex. occ. *Memmianus & alii,* victores. *Caſ.*

2. (*g*) Glyco medicus] Glaucon *Bruto eſt epiſt. 6. Nominis argumento Græcum fuiſſe colligitur: quæ natio præcipuæ medicinam Romæ profeſſa. Plinius 29, 1, 25.* Solam hanc artium Græcarum, nondum exercet Romana grauitas. in tanto fructu, pauciſſimi Quiritium attigere, & ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ. Imò verò autoritas aliter quàm Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguæ, non eſt: ac minus credunt, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, ſi intelligunt. *Adde quæ ſcripſimus ad Suet. Caſ. 4, 2. c. & 42, 2. a.*

3. (*h*) Ab ipſo interemptum] *Ob id, credo, multis perſuaſum, quia cadenti conſuli primus omnium Auguſtus affuit, vt ait Appianus. Sabell.*

CAPVT XII.

SEd vt cognouit, Antonium poſt fugam (*a*) à M. Lepido receptum, ceteroſque duces, & exercitus, conſentire (*b*) pro

pro patribus; (*c*) causſam optimatium ſine cunctatione deſeruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus: quaſi (*d*) alii *ſe puerum*, (*e*) alii *vrnandum tollendumq; iactaſſent*: (*f*) *neq; aut ſibi, aut veteranis* (*g*) *par gratia referretur.* ¶ Et quo magis (*h*) pœnitentiam prioris ſectæ approbaret, (*i*) Nurſinos grandi pecunia, & quam (*k*) pendere nequirent, multatos, (*l*) extorres egit oppido: quòd Murinenſi acie interemptorum ciuium (*m*) tumulo publicè exſtructo adſcripſerant, *Pro libertate eos occubuiſſe.*

Num. 1. (a) A M. Lepido receptum] *Rem fuſe narrat Appianus Ciuil. 3. pag. 579. &c. breuius, ſed paullo aliter, Plutarchus in Antonio cap. 23. & 24. & Velleius 2, 63.*

Ibid. (b) Pro partibus] *Nondum conſtitui, (verba Caſauboni ſunt) vtra lectio vera ſit,* pro patribus, *vt reperi in omnibus membranis: an* pro partibus, *vt reperiſſe aiunt viri docti* [*Torrentius alique*] *in quibuſdam Mſs. & editum eſt a Rob. Stephano. Conſenſum pro patribus & Repub. fuiſſe victo Antonio maximum, in tranſmarinis præſertim prouinciis, referunt omnes hiſtorici. Velleii verba ſunt, 2, 62, 1.* Protinus Pompeianis partibus rediit animus. *Et notat idem, temporibus illis Brutum & Caſium decem & ſeptem legionum fuiſſe potentes. Ideo Antonium, Cæſarem* ſubinde admonuiſſe, quàm inimicæ ipſi Pompeianæ partes forent: & in quod iam emerſiſſent faſtigium. 2, 65, 1. *Similia his apud alios hiſtoricos legas, quæ valent ad ſtabiliendam lectionem* pro patribus. *Cui fauent imprimis Appiani iſta lib. 3. Ciuil. pag. 587.* His Auguſtus peractis, cogitabat de ſarcienda cum Antonio gratia: quippe (*aduerte cauſſam huius conſilii*) certior factus, iam Caſſianos viginti legiones habere: & quia opus erat præſente Antonio &c. *Rurſus ſi ad verba Suetonii diligenter attendimus, non poſſumus alteram lectionem damnare. Prorſus enim videtur ad M. Antonium, Lepidum, Plancum & Silanum reſpicere, eoſque exercitus, qui in Gallia Ciſalpina tum erant. Nam & horum magnus fuit* pro partibus *conſenſus: quod Velleius, Plutarchus, aliique narrant. Inde illa tam ſubita vilii Antonii velut in integrum reſtitutio. habuit enim hic quo-*

que eo tempore de quo sentit auctor, legiones septemdecim, vt Plutarchus Ant. c. 24. scribit. Quare scribi malim pro partibus: *præsertim quum alterum illud* pro patribus, *ἀντὶ τῶ pro Repub. sine pro optimatibus, quæ erant partes Pompeianæ, sit insolentius. Hactenus Casaubonus. cuius sententiam eo libentius, in contextum recepta ista lectione, secuti sumus, cum & prius Beroaldo, & postea Lipsio in Electis 1, 7. ita visum fuerit: itemque Grutero, qui illud* pro patribus, *quamuis in Palatinis etiam extet, à librariorum ingenio natum existimat. Accedunt hæ duæ rationes, cur ita legendum: 1. ob verbum* cognouit, *quod ad Brutum & Cassium (quò referunt, qui* pro patribus *legunt) respicere non potest. eos enim pro optimatibus sentire, nescire nemo potuit, nedum Augustus. 2. quod hæc recenseatur inter causas, cur ab optimatibus desciuerit: quod non facturus erat, si putasset pro illis stare tot duces & exercitus. Nisi forte putes, tam stultum fuisse, vt causam quam hactenus fouerat, ideo desereret, quod plus roboris & virium ei videret accedere. Eadem ob rationes si* pro partibus *legas, vt legendum puto, non poteris intelligere partes Pompeianas. Ne verò de Cæsareanis capias, memineris eas tum non amplius, aut nondum fuisse. non amplius, inquam, quippe sublatas per ἀμνηστίαν a Cæsare cade sanctam: nondum, quippe postea demum post coniunctionem Augusti & Antonii reuiuiscentes. Superest igitur, vt capias de partibus Antonii Lepidique, qui iam coaluerant, & quorum auctoritatem Plancus, Silius &c. sequebantur. Hoc etiam notandum, vocabulum* partes, *cum plerumque ambiguum sit, & de vtraque partium capi possit, explicandum esse de iis partibus, quarum aut iam fiat mentio, aut proxime præcesserit. Sic apud Tacitum Hist. 1, 59, 4. 2, 46, 4. 3, 4, 5. &c. Porro dicuntur* partes (*vnde* Parthei *vernaculum*) *pro quadam secessione, conspiratione, factione, tam in priuatis rebus, vt apud Tacitum Annal. 4, 60, 5. quam publicis, vt dissensionibus ciuilibus: vbi ista quidem factio, quæ desciuit a corpore Reip. partium nomine insignitur, vt Catilinæ partes, Sertorianæ partes: non autem ea quæ cum Repub. sentit: quia Respub. respectum habet totius. Ex diuerso, cùm vtrinque inimici duces, & Respub. in medio est, & ab vtriusque æque lacerata, nemini defenditur, partes vtrasque dicimus. Tales fuere Sullanæ Marianæque, Iuliana & Pompeiana, Othonis & Vitellii &c. Partes de quibus hîc auctor, ad priorem speciem refero: posterioris exemplum insigne apud Senecam extat epist. 95, 81. & 104, 41. vbi Catonem cum Repub. facit aliquas quasi partes Cæsarianas Pompeianasque oppositas: quasi partes inquam, quia proprie partes, eorum,*

rum, vt dixi, sunt, qui à Repub. discedent. Nam ne Pompeiana quidem, vtut simulabant, à Repub. stabant. Vnde Tacitus Hist. 2, 38, 5. Cn. Pompeius Mario & Sulla occultior, non melior.

Ceterum, hoc genus emendationum, leui quadam litterarum traiectione (τῶν στοιχείων μετεβιβασμὸν appellant) ingeniose factarum sylua extat apud Rad. Fornerium lib. 2. rerum quotidian. cap. 9. cui quæ adstruerentur exempla sequentia, Studiosorum vsui non esse subtrahenda duxi. Ea nuper ex omnigenæ suæ doctrinæ locupletes penu mecum liberaliter, vt solet, communicauit ampliss. D. Bitschius, primarius Antecessor Academiæ nostræ, quem honoris & obseruantiæ caussa nomino. Militis *pro* Limitis *scriptum est apud Spartianum in Pescen. Nigro, cap. vlt. illo versu:*

Terror Ægyptiaci Niger astat militis ingens.

Iuribus *pro* Viribus *l. 1. & 2. C. ne fiscus vel Resp. ex sententia Cuiacii: vt & in l. 15. C. de cursu publ.* Si *pro* is. *l. vlt. ff. de furtis.* In *pro* ni. *l. 3. ff. de off. prætor. ibi,* mũ dignitate prætoria functus sit. *Ita* possidet, *pro* possedit. *l. 1. §. 45. ff de vi & vi arm.* Vicariis *pro* Ciuariis, *h. e. cibariis, in l. 166. ff. de verb. signif. & ibi Cuiacius. Sic* modus *pro* domus: iurnæ *pro* ruinæ: pars hodie *pro* rapsodiæ. *Cuiacius ibid. & ad l. vnic. §. 6. C. de cad. toll.* Increscit *pro* migrescit. *l. 1. §. 16. de aqua & aq. pl. arc. ex sententia R. Fornerii lib. 1. rer. quotid. cap. 15. in fine.* XVI. *pro* XIV. *in l. 48. ff. de condit. & demonstr. & aliàs sæpe, vt vult Cuiacius ad l. 5. C. qui test. fac. poss.* LX. *pro* XL. *in LL. Longobard. lib. 2. tit. 22. l. 1. & 3. His adde* Iure *pro* vite *apud Ouid. de arte 3, 527.*

Dux bonus huic centum commisit iure regendos.

Vbi veteres libros habere vite, *tradit Cuiacius Obseru. 12, 34. in fine. Iusto forte longiorem excursum claudat eiusdem generis insigniter bona correctio Freinshemii nostri, pro istis Taciti Hist. 2, 1, 4.* loco omnium etiam fortuna *sic legentis,* loco ominum etiam fortuita. *qua lectio firmatur ex Hist. 1, 87, 7.*

Ibid. (c) Caussam optimatium] *Augustus desciuit à Cicerone, caussamque senatorum, quæ ad libertatem asserendam spectabat, deserens, Antonio reconciliatus est. Beroald.*

Ibid. (d) Alii se puerum] *Dio lib. 46. pag. 362. E. de Octauio:* Is cum alia indigne ferens, tum id indignissime, quod puer (μειράκιον τι καὶ παῖς) vocaretur, omni dilatione amputata, ad arma & vim animum adiecit-

adiecit. *Ita autem vulgo tum Romæ appellitabatur. Atticus scribens Ciceroni 16. epist. 15.* In præsentia belle iste puer retundit Antonium. *Sed & decreto senatus cautum legimus, verè an falsò, nequis Octauium vocaret puerum. Seruius ad illud Virgilii Eclog. 1, 44. HIC ILLVM VIDI IVVENEM.* Cæsarem dicit Octauianum Augustum. Decreuerat enim senatus, ne quis eum puerum diceret, ne maiestas tanti imperii minueretur. *Casaub. Brutus ad Ciceronem epist. 16.* Ista imbecillitas & desperatio tua puerum istum extulit, vt tu iudicares, precibus esse impetrandam salutem talibus viris: misericordiaque vnius, vix etiamnum viri, tutos fore nos, haud vlla alia re. *Cicero Philipp. 13, 11. Antonium incessens:* puerum appellat *Octauium*, quem non modò virum, sed etiam fortissimum virum sensit, & sentiet. Est istuc quidem nomen ætatis: sed ab eo minime vsurpandum, qui suam amentiam puero huic præbet ad gloriam. *Adde Cicer. familiar. 10, 28, 7. 11, 7, 2. 11, 14, 1. 12, 25, 10. Nouendecim porro tum annorum fuisse Augustum scribit Velleius 2, 61, 1. Cur autem in euehendo Augusto leges annales obseruandæ non fuerint, edisserit Cicero, Philipp. 5, 17. Nimirum* cursus ætatis non expectandus est in festinatione virtutis. *Nazarius panegyr. Constantin. c. 16.* Iniquum est, eum honori nondum tempestiuum videri, qui iam virtuti maturus est. *Val. Max. 3, 1, 1.*

Ibid. (e) Alii ornandum tollendumque] *Vterb. codex* ordinandum, *perperam. Velleius 2, 62, 7.* Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum & tollendum censebat, cum aliud diceret, aliud intelligi vellet. *Porro nouum hunc Ciceronis Octauium mox Romam reuersum ad rapiendum magis quam petendum consulatum, non inuenuste ἀντιμαιάκειον.* [*loco alio pensauit.*] *Venienti enim ad se Ciceroni, suaque in illum officia vendisanti, respondit non aliter quam* Quod amicorum nouissimus eum salutaret, *aut Appianus Ciuil. 3. pag. 585. C. sententia aucta & ancipiti. Casaub. Beroaldus locum hunc enarrat ex ipsis verbis epistolæ Bruti, quæ est vicesima libri vndecimi familiar. Ciceronis:* Labeo Segulius narrat mihi, apud Cæsarem (*Octauium*) se fuisse, multumque sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil fere de te questum, nisi quod diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum: se non esse commissurum, *vt TOLLI* possit. *Hinc enim apparet, ambiguum esse* tollendi *verbum. Aut enim extollere, sublimare, significat: aut, in quem sensum*

accepit

accepit Octauium, è medio tollere, occidere. Mihi videtur aliud præterea hic acumen subesse, & respexisse Ciceronem ad ritum illum ornandi victimas prius, quam occidantur. Quibus de victimarum ornamentis vide Paschal. Coron. 4, 16. Adde Liu. 7, 37, 1. & 5. Virgil. Æn. 2, 133. &c. Insignia duo loca sunt, quæ meam coniecturam firment: alter Flori 4, 2, 91. vbi de honoribus in Cæsarem collatis antequam occideretur: Hæc omnia, *inquit,* velut infulæ, in destinatam morti victimam congerebantur. *Alter Liuii 2, 54, 5. vbi Furius & Manlius suadent monentque iuniores Patrum,* honoribus & administratione Reipub. abstineant: consulares verò fasces, prætextam, curulemque sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent. claris insignibus velut infulis velatos, ad mortem destinari. *Vide ibi notam polit. Gruteri: iunge Senecæ Herculem Furentem act. 4. v. 28. Possit & allusum videri ad ornamenta, hoc est, armaturam, gladiatorum in mortem pugnantium: de quibus D. Hieronymus ad Sabinianum (tom. 1. pag. 231. m)* Quasi gladiator paratus libitinæ, in propriam funus ornaris. *Vide Lipsii Saturnal. 2, 17.*

Ibid. (f) Neque aut sibi] *Omnes quidem libri* ne aut sibi: *sed & Torrentius, & Gruterus, & illis nec visis Freinshemius,* neque *legendum censuerunt. quam correctionem propter euidentiam etiam in contextum admittere sum ausus, vt nimirum ipse sibi constet auctor. Supra enim dixerat,* dicta factaque quorundam calumniatus. *præcedentia igitur ad calumniam dictorum pertinent: sequentia ad factorum.*

Ibid. (g) Par gratia] *Dignum præmium. Ea de querela præmiorum non reddit orum vide Bruti epistolam modo citatam ex Cicer. familiar. 11, 20. & Appianum lib. 3. Ciuil. pag. 581.*

2. (h) Pœnitentiam prioris sectæ approb.] *H. e. ostenderet, quàm se pœniteat, quod priorem sectam (partes optimatium) secutus erat.*

Ibid. (i) Nursinos grandi pecunia] *Dioni lib. 48. pag. 416. in hac historia, cum in aliis parum conuenit cum Suetonio: tum in temporis notatione magna discordia. vult enim bello Perusino istud accidisse: cui labor vt potius habendam fidem sentiam. Ceterum, vtut habeat de tempore, non est dubium, prætextum illum fuisse quem ait Tranquillus non veram causam, quæ non alia fuit, quàm pecuniæ ad militibus largiendum inopia. quæ res Octauium sæpe ad magnas crudelitates, non φιλονεικίας, sed ἐξ ἀνάγκης impulit. Casaub.* Nursiam, *quæ hodie vulgo* Norsa, *in Sabinis collocat Pli-*

nias 3, 12. & Ptolemæus 3, 1. in Vmbria Liuius 28, 45, 17. in Picentibus Seruius ad Virgil. Æn. 7, 715. vbi addit, à Gracchis vbique in concionibus suis Nursinos appellatos scelerato*s. Ex diuersitate confinium regionum vicinitati est adscribenda.*

Ibid. (k) Pendere] *Soluere. Tractum est à pecunia, quæ antiquitus pendebatur. Libralis enim & dupondius appendebatur assis. vnde* æris grauis pœna *dicta. Et adhuc* expensa *in rationibus dicuntur: item* impendia, *&* depéndere. *Quin & militum* stipendiorum, *hos est, stipis ponderandæ* pensatores, libripendes *dicuntur: quæ consuetudine in his emptionibus, quæ mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur. Hæc ex Plino 33, 3, 7. Hinc item* pensiones *dicta.* Tribus pensionibus soluta pecunia (zu dreien zilen) *Liuius 29, 16, 3.*

Ibid. (l) Extorres oppido egit] *Dio lib. 48. pag. 416.* D. vt vrbe agroque omni cesserint. *Mira sæuitia: sed cuius exempla in historia Romana multa. Casaub.*

Ibid. (m) Tumulo publice exstructo adscripsit.] *B. Brissonius lib. 7. formular. Rom. pag. 780. & seqq. & Ioh. Kirchmannus funer. Rom. 3, 19 & 20. de monumentorum titulis inscriptionibusque consulendi. quas si quis in hac nostra Repub. miratur inusitatas, is meminerit, ἰσονομίᾳ nostræ Democraticæ rem eam imprimis conuenire: ne scilicet χαυνοπολίτης aliquis Aristophanicus, qui diuitiis præstat, velit etiam sepultura præstare iis, qui virtute aut meritis, sed pauperiores, excellunt: exemplo Licinii tonsoris nescio cuius, magnificum sumptuosissimumque sibi sepulchrum extruentis; quo nihil indignius ac stulta iudicabat. Vnde Varro Atacinus:*

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo. credimus esse deos!

Adde quod virtutem longe studiosius excultum iri credibile est, si constiterit, ex Periclis Thucydidei præcepto, 2, 8, 52. nostri commemorationem non ex saxorum inscriptione quærendam: sed ἄγραφον μνήμην, sine scripto memoriam, *in animis cuiusque potius, quàm manufactis operibus exstruendam. Quo spectans apud Tacitum 4, 38, 3. Imp. Tiberius, & optans, vt se posteri maioribus suis dignum credant, addicit:* Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.

CAPVT XIII.

1 INita *(a)* cum Antonio & Lepido societate, *(b)* Philippense quoque bellum, quamquam *(c)* inualidus atque æger, duplici prœlio transegit: quorum priore *(d)* castris
2 exutus, vix *(e)* ad Antonii cornu fuga euaserat. ¶ Nec *(f)* successum victoriæ moderatus est: sed *(g)* capite Bruti Romam misso, vt *(h)* statuæ Cæsaris subiiceretur, *(i)* in splendidissimum quemque captiuum non sine *(k)* verborum
3 contumelia *(l)* sæuiit. ¶ VT quidem suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, *Iam istam (m) in volucrum fore potestatem*: alios, patrem & filium, pro vita roganteis, *(n)* sortiri vel dimicare iussisse, vt alterutri concederetur: ac spectasse vtrumque morientem; *(o)* cùm patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque *(p)* voluntaria occubuisset
4 nece. ¶ Quare *(q)* ceteri, & in his *(r)* M. Fauonius, ille Catonis æmulus, cùm catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, *(s)* hunc fœdissimo conuicio coram prosciderunt. ¶ Partitis post victoriam officiis,
5 cùm Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, & *(t)* municipalibus agris collocandos recepisset; neque veteranorum, neque possessorum gratiam tenuit: alteris, *pelli se*; alteris, *non pro spe meritorum tractari* querentibus.

Num. 1. *(a)* Inita societate] *Antonius, Lepidus & Augustus, congressi in modica insula Labinii fluuii, haud procul Mutinâ, se triumuiros Reip. ad tollendas, vt aiebant, ciuiles dissensiones crearunt, & proscriptis Senatoribus trecentis (inter eosque Ciceronem) Equitibus Rom. 2000. totum imperium inter se sicut patrimonium suum sunt partiti. Hac triumuirali proscriptione nihil vnquam atrocius aut immanius extitisse scribit Plutarchus in Antonio cap. 25. Vnde à Plinio 7, 45. inter Augusti aduersa numeratur* Proscriptionis inuidia: collegium in Triumuiratu pessimorum ci-

uium, nec æqua saltem portione, sed prægrauante Antonio. *Adde Appianum Ciuil. lib. 4. à princ. Velleium 2, 65. & 66. Florum 4, 5.*

Ibid. (*b*) Philippense bellum] *Quod in campis Philippensibus gestum est ab Augusto & Antonio contra Brutum & Cassium.* Philippos *Thraciæ, siue, vt vult Stephanus, Macedoniæ vrbem, à Philippo Macedone munitam appellatamque, describit eleganter Appianus Ciuil. 4. pag. 560. A. Cum autem prius etiam à Cæsare & Pompeio his ipsis in campis esset pugnatum, ideo dixit Virgilius Georgic. 1, 490.*

Romanas acies iterum vidêre Philippi.

Φιλίππων (scilicet πόλις) est Niceph. Gregoræ lib. 2. Philippenses hosce D. Paulus epistola sacra nobilitauit. Vide tamen Lipsii notam 141. ad Velleii Paterculi librum secundum.

Ibid. (*c*) Inualidus atque æger] *Ex hydrope scilicet. Plinius 7, 45. Augusti aduersa enumerans*: Philippensi prœlio morbus, fuga, & triduo in palude ægroti, & (vt fatentur Agrippa & Mœcenas) aquâ subter cutem fusâ turgidi, latebra. *vt quidem illum locum male sanum restituit Cl. Salmasius ad Solinum pag. 23. D. 1.*

Ibid. (*d*) Castris exutus] *Lactantius div. instit. 2, 8. fin.* Illud quoque somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse seruatus. Nam cum bello ciuili Brutiano, implicitus graui morbo, abstinere prœlio statuisset; medico eius Artorio Mineruæ species obuersata est, monens, ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica perlatus est: & eodemdie à Bruto castra capta sunt. *Adde Plutarchum Anton. c. 28. Appianum Ciuil. 4. pag. 653. E. Velleium 2, 70, 4. Florum 4, 7, 9. Val. Max. 1, 7, 1. quorum tamen inter narrationes non vsquequaque conuenit.*

Ibid. (*e*) Ad Antonii cornu fug. euas.] *More Romano, duo cornua, dextrum lauumque, mediam aciem protegebant: de quibus Lips. Milit. Rom. 4, 6. Accidit autem in hoc prœlio, vt Augustus cum suo cornu, quod erat sinistrum, à Bruto superaretur: & è contrario Antonius superaret in dextro Cassium. Vnde Cassius victus Brutum quoque victum esse falsò credens, iugulandum se Pindaro liberto præbuit. Dio, Plutarchus, Appianus, alii.*

2. (*f*) Nec succellum victoriæ moderatus est] *Viterbiensis, & Palatini tres,* successu. *quod Casaubonus probat: nec Gruterus improbat: sita-*

men

men abesset vltimum verbum est. Velleius 2, 66, 2. temporibus more suo seruiens, Augustum coactum fuisse scribit, vt in proscriptos sæuiret. Et sane hoc ingenium est Victoriæ *bellorum ciuilium*, quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit; vt, etiamsi naturâ tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito, facienda sunt. *Cicero familiar. 4, 9. Magis tamen ingenue Seneca de Clement. 1, 9, 1. & 1, 11, 1. cum Nostro, sæuitiam Augusto iuueni tribuit: quamuis in senectutem vergens, mitem se præstiterit.*

Ibid. (*g*) Capite Bruti Romam misso] *Dio lib. 47. in fine scribit, obortа in trauiciendo tempestate, in mare abiectum periisse. Torrent. Sed hoc non aduersatur Autori, qui missum quidem, at non perlatum scribit. Appianus nihil horum habet. Plutarchus hoc tantùm, reliquias matri eius Serviliæ ab Antonio remissas. Variat tamen nonnihil à seipso in vita Antonii cap. 28.*

Ibid (*h*) Vt statuæ Cæsaris subiiceretur] *Sic factum in Trebonio occiso à Dolabella. Dio lib. 47. pag. 390 D.* Interfecti caput ad Cæsaris statuam subiecit. *Scripsimus autem* subiiceretur, *vt in cod. Viterb. Cuiacii, & aliis melioris notæ: non vt vulgo,* submitteretur. *Dio,* ὑφεῖλε. *Casaub.*

Ibid. (*i*) In splendidissimum quemque captiuum non sine verbor. contum. sæuiit] *Editio Lugdunensis, quam ex multis, vt ait, Mss. emendauit Ant. Francinus, vt &, Grutero teste, Palatinus secundus, habent,* Splendidissimum &c. secuit, *omissa principe voce* in. *Quæ lectio (inquit Casaubonus) mire sæuitiam Octauii intendit.* Secuit *enim vel ad flagellationem ante supplicium (qui mos in seruis receptus olim) referendum: vt in Horatio de Mena, Epod. od. 4.* Sectus flagellis hic triumuiralibus: *vel ad quoduis aliud sæuæ excarnificationis genus, &c. Verum ob duplicem rationem ea lectio damnanda videtur: 1. quod insolens sit, imo penitus inusitatæ verbi* secuit *absolute sic positi notio: nec adducta à Casaubono exempla quicquam iuuent; eò quod in illis per adiuncta explicetur, nunquam nude proponatur. Historicum autem, præterquam quod propriis maxime vocibus (quo ipso nomine Suetonius laudatur) vtendum sit, nemo satis excusauerit, si in re tanti momenti, reconditis aut tropicis verbis vti velit. 2. Quod tam insigne crudelitatis exemplum auctores alii, cum de Augusto leniora persequerentur, omissuri non fuerint. Prior itaque lectio retinenda: quæ non*

tamen hoc vult, quasi sæuitia illa in verbis contumeliosis constiterit, eaque præcipua miseriarum pars fuerit, vt placet Grutero: sed quod factorum sæuitiam, verborum contumelia sit comitata. Quomodo de Caligula Noster 29, 1. Immanissima facta augebat atrocitate verborum. *Aliter Domitianus, de quo idem* 11, 4. Numquam tristiorem sententiam, sine præfatione clementiæ, pronunciauit.

Ibid. (*k*) Verborum cont.] *Alii codices* verberum, *hoc est, ainíq. Cas.*

Ibid. (*l*) Sæuiit] *Editio Torrentii* sæuit, *more Romano, qui neque consonantes, neque vocales, temere geminabant, & sic fere scribebant,* abit, perit, subit, *pro* abiit &c. *Verum I maiuscula, vt sæpe in antiquis marmoribus, & passim in Pandectis Florentinis cernitur.*

3. (*m*) Iam istam in volucrum fore potestatem] *Editiones aliæ* potestate. *Turnebus Aduersar.* 24, 15. *emendat,* iam istam volucrum fore potestatem. *Quam lectionem in Memmiano quoq; codice sibi repertam probat Casaubonus: nec damnat tamen alteram,* in potestatem, *pro* in potestate, *tribus quoque Palatinis firmatam. Hanc Antiptosin obseruauit etiam Agellius* 1, 7. *& eius exempla plura collegit in Hellenolexia sua, libro perutili, Vechnerus pag.* 125. *& seqq. quibus hæc addi possunt. Tacitus Hist.* 1, 37, 2. in custodiam habitus. *Suetonius Tiber.* 6, 3. in tutelam Claudiorum erant. *Et in Iustino* 2, 13, 6. *cùm vulgo legatur,* hostes in Græcia remanere, *manuscripti, teste Modio, præferunt,* hostes in Græciam manere. *Porrò in volucrum potestatem dicitur esse sepultura, quando aues facultatem habent cadauer relictum discerpendi, & recondendi intra ventrem tanquam sepulcrum. Qualem sepulturam Curioni tribuit Lucanus* 4, 409.

—— Libycas en nobile corpus
Pascit aues, nullo contectus Curio busto.

Et Euryalo Virgilius Æn. 9, 485.

Heu, terra ignota, canibus data præda Latinis,
Alitibusque iaces. ——

Quanquam quod his supplicium fuit, id mos, imo honos erat aliis, puta Caspiis, Iberis, Barchæis, Indis, Persis, Parthis: de quibus Autorum testimonia collegit Ioh. Kirchmannus in Append. ad lib. de fun. Rom. cap. 2. *Adeo verum est illud Æmilii Probi in pr.* Non eadem omnibus esse honesta atque turpia: sed omnia maiorum institutis iudicari.

Ibid. (*n*) Sortiri vel dimicare] *Viterb, & vetus Romana, ac plerique*

alii

alii codd. ita scribunt: nec disciplet. Captiuos ita tractare mos fuit, præsertim Pœnorum. Valerius Max. 9, 2. de Annibale: Quos verò in castra perduxerat, paria fere fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat. *Appianus de eodem pag. 330. B.* Quos verò vel ex senatu, vel nobilitate in castris habuit, parentes liberis, fratres fratribus componens, ferro decernere spectantibus Afris cogebat. *Et alibi idem, itemque Liuius 21, 42, 1. At Pithæi, Lislæi, aliique, vt pridem* Turnebo *Aduers. 20, 13. obseruatum est, habent* sortiri vel micare. *Ea si placet lectio, notemus loquendi genus. sic enim loquitur, quasi diuersa essent* sortiri *&* micare: *quum non aliter differant, quam vt genus & species.* [*Cicero de Diuinat. 2, 41, 1. & Offic. 3, 23, 4.*] *Glossarium,* micare λαγχάνειν. *Sortitionis varii erant modi. micare, de ea dicitur, quæ fit per digitos subito expansos sub certo numero. Nonnus lib. 33. vers. 77. hunc morem eleganter exprimit, describens certamen inter Cupidinem & Hymenæum, quos inducit miro iaculationis genere, brabeuta Ganymede, certare. Hinc dictum est* dimicare, *quod proprie est, sorte ac micatione finem imponere controuersiæ. deinde accipi cœpit pro tollere controuersiam quoquomodo: sed quia ferro id sæpe fit, propterea pro pugnare ponitur, prorsus vt* κρίνειν *&* cernere. *Græci magistri* πυκτεύειν *vertunt eleganter. nam proprie dicitur de ea pugna, quæ ex rixa inter duos est orta. Fuit autem frequens apud veteres micationis vsus in controuersiis. nam etiam in contractibus faciendis, si de pretio, aliaue qua re non conueniret, micatione controuersiam tollebant. Sic res in foro, sic carnes de lanio emebantur. Quod tamen postea iure mutatum est, cautumque, vt sub exagio, hoc est* πρὸς σταθμὸν, *non micatione, carnes emerentur. Cuius instituti auctorem Apronianum Præfectum Vrbi, facit vetus inscriptio* [*apud Gruterum Inscript. Rom. pag.* DCXLVII, 6.] *Varro Parmenone:* Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum sequatur. *Alludit Varro non ad lusionem, vt volunt: sed ad illam quam notauimus consuetudinem transigendi de pretio in emptione, & id genus aliis, per micationem. Atque hinc potius ortum putem prouerbium,* Dignus qui cum in tenebris mices (*Cic. Off. 3, 19, 10.*) *quàm ex lusu quem aiunt quidam Græcis fuisse familiarem, & ab iis* ἐπάλλαξιν τῶν δακτύλων *appellatum. somnia mera. Casaub.* Dimicare *exstat quoque ab emendatrice manu in Palatino primo: sed cum prius ibi fuisset* micare, *quod certe habet quo se tueatur. Gruter.*

Ibid. (o) Cùm patre, qui se obtulerat, occiso.] *Extat hæc historia apud Dionem.*

Dionem, initio libri 51 vbi cetera eadem reperias; duo diuersa à narratione Suetoniana: alterum, quod accidisse hoc ait post Actiacam victoriam: in quo solennis dissensio est, περὶ τὸν χρόνον: qualem supra notabamus in historia de Nursinis. Alterum est, quod dicere videtur, filium se prius obtulisse neci: nam Suetonius, patrem. Quanquam possumus locum Dionis aliter accipere. non enim nouum, vt ὅτος ad id quod remotius est referatur, & accipiatur simpliciter ὅτος & ἐκεῖνος, pro ὁ μὲν, ὁ δὲ. Floros *autem nominat ille. Scio clariss Torrentium aliter hunc locum exponere, & ad* Egnatios *referre, quos Appianus Ciuil. 4. pag. 600. C. ait similiter patrē & filium occisos. Sed qui vtriusque Græci scriptoris narrationem cum Suetonii verbis contulerit, non dubito eum mihi assensurum. vt taceam,* Egnatios *non bello, sed proscriptione periisse. Casaub.* Porro pro qui se obtulerat *Palatini, teste Grutero, habent* quia se obt. *rectius, opinor.*

Ibid. (p) Voluntaria occubuisset nece] *Sic & Palatini: nisi quod primus & sec. litterâ minus,* occubuisse. *aliorum enim scripti, æque bene,* voluntariam occubuisset necem. *Grut.*

4. (q) Ceteri, & in his] *Libri opt.* ceteri, in his, *sine &. Torrent.*

Ibid. (r) M. Fauonius] *Græcis* φαώνιος *dicitur: scribitur tamen apud quosdā* φαβώνιος, *sed, vt puto, mendose. nam in multis dictionibus scriptura Græcorum, præter Æoles, dissimulat Æolicum digamma* [v consonantem] *quod Latini exprimunt:* Δαὸς, Dauus: ὠὸν, ouum: αἰὼν, æuum: λεῖον, leue: λαιὸν, læuum: ὄϊς, ouis, *& hoc genus sexcenta. In quibusdam aliter. discesserunt enim ab Æolibus, & alios Græcos sunt imitati: vt* αὔρη, ἀὴρ. *at Æoles* ἀϝὴρ, *& eos secuti Syri* auer. *etsi* air *quoque ab illis dici scribique non nescio. Quare falluntur docti, qui in libris Latinis rescribendum* Faonius *contendunt. Lapis quem profert Vrsinus, vbi* FAONIVS *scriptum est, tanti non est. fabrili enim peccato id admissum, vt alia sexcenta talia. Casaub. De hoc Plutarchus in Catone minore cap. 67.* Erat M. Fauonius familiaris Catonis & æmulator, qualis Apollodorus Phalereus traditur quondam fuisse Socratis, incitatus & mente motus ab eius oratione, quæ non sensim, neque modice, sed acrius eum rapuerat, quasi lymphatum & fanaticum. *Adde Plutarchi Pompeium cap. 101. & Brutum c. 50.*

Ibid. (s) Fœdissimo conuicio] *Fauonio Cynicam loquendi ferociam*

tribuit

tribuit & Plutarchus Brut. c.50. & alioqui etiam captiuos damnatosque, quibus vitæ spes proiecta, liberi ergæ imperantes ovis esse solere, testatur exemplum Hermolai, cuius ad Alexandrum oratio virulentia plena extat apud Curtium 8, 7. Adde similia apud Tacitum 6, 24. & 15, 67. Velleium 2, 71. ipsumque Suetonium in Tiber. cap. 45, 3. & 67, 1.

5. (*t*) Municipalibus agris] *Decem & octo opulentissimarum Italiæ vrbium agrum ab Antonio, Augusto, & Lepido, in triumuiratu ineundo militibus destinatum, Appianus autor est lib. 4. Ciuil. pag. 590 E. De hoc accipiendum illud Taciti 1, 10, 5.* Diuisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecêre, laudatas.

CAPVT XIV.

1 QVo (*a*) tempore L. Antonium, fiducia consulatus quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, (*b*) res nouas molientem, confugere Perusiam coëgit, & ad deditionem (*c*) fame compulit: non tamen sine magnis suis, & ante
2 bellum, & in bello, discriminibus. ‖ Nam cùm spectaculo ludorum, gregarium militem (*d*) in XIV. ordinibus sedentem, (*e*) excitari per (*f*) apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus (*g*) dilato, quasi eundem mox & discruciatum necasset; minimum abfuit quin periret, concursu
3 & indignatione turbæ militaris. ‖ Saluti (*h*) fuit, quòd qui desiderabatur, repente comparuit incolumis, ac sine in-
4 iuria. ‖ Circa Perusinum autem murum sacrificans, pæne interceptus est à manu gladiatorum, (*i*) quæ oppido eruperat.

NOTÆ AD CAPVT XIV.

Num. 1. (a) Quo tempore] *Bellum Perusinum sub exitum anni DCCXIII. conflatum, ineunte anno sequenti est confectum. nam in obsidionis tempus inciderunt Kalendæ anni DCCXIIII. vt Appianus lib. 5. Ciuil. pag. 590. E. narrat. Quem in eo manifestum est fallí, quod bellum hoc accidisse putant*

vergeret iam ad finem prioris triumuiratus quinquennio. secundo enim anno tantum incepit. Cas. sub. *Perusinum bellum refert pluribus Appianus Ciuil. 5. paucis Florus 4, 7.* Perusia (*qua Appiano* Perisia, *Eutropio* Perusium, *& hodie antiquo nomine retento,* Perugia, *recepta Italis pronunciatione*) *Tuscorum vrbs est, Apennini collis insidens.*

Ibid. (*b*) Res nouas molientem] *Videtur auctorem belli Perusini facere L. Antonium: cum constet, non tam belli caussam eum prabuisse, quam Fulviae prabenti secundas egisse.* *Florus 4, 5, 2.* Semper aliàs L. Antonii pessimum ingenium gladio cincta virilis militiæ vxor agitabat. *Vbi scripserim,* vxor Antonii agitabat. *Et* piissimum, *non* pessimum. *Hic enim est L. Antonius, qui cognomen meruit* PIETAS, *propter insignem pietatem, vt Dio lib. 48. pag. 411. A. ait, in fratrem: vt ego putabam, in Rempub. quam ille omni ope annisus est vindicare in pristinam libertatem. Apparet hic eius animus ex historia eorum temporum, praesertim Appiani Ciuil. 5. pag. 695. & seqq. Sane Augustus ipse epigrammatio illo mollissimo, quod suorum vni includit Martialis lib. 11, 21. Fuluiæ vni belli huius caussam tribuit. Cas. sub. De Lucii tamen Antonii in Rempub. pietate non ab re dubites propter ista qua de eo Cicero Phil. 5, 7. & 6, 4. & praecipue 11, 5. & alibi memorat; & quod fratri Marco, simili simillis, adhaesit, quem* sæculi facem ac turbinem *appellat Florus 4, 3, 2. vt nihil causæ sit, cur Flori locum illum sollicitemus.*

Ibid. (*c*) Fame comp:] Turpi & nihil non experta fame. *Flor. 4, 7.* *Lucano quoque 1, 41.* Peruñna fames *ista tangitur.* Superatis omnibus humanis malis, famem vnam natura vinci non sinit. *Liuius 5, 48, 5. Quapropter Anaxilaum Byzantium, prodita vrbis reum, ob frumenti penuriam iudices absoluerunt. Xenophon lib. 1. hist. Grac. Adde Freinshemii Notas ad Florum 1, 10, 2. 6.*

2. (*d*) In XIV. ordinibus] *Populi Romani nota diuisio, in Senatum, Equitem, Plebem. His discreta in Spectaculis erant sua loca & Gradus. Et quidem Senatorum sedem,* Orchestram *dixerunt: Plebis,* Popularia: *Equitum,* Equestria. *Ea Equestria Quattuordecim gradus tenuere, qui hoc loco, item à Plinio 33, 2. & Quintiliano 3, 6.* Quattuordecim ordines *dicuntur.* Bis septem ordines *sunt Iuuenalis satyr. 14, 324.* Bis septem subsellia *Martiali 5, 28. item* Quattuordecim *simpliciter absque adiectione* (*subaudi Gradus, vel ordines*) *Nostro infra 40, 2. & in Cæs. 39, 4. Macrobio Saturnal. 2, 3. Petronio, aliisque. Dio lib. 36. pag. 22. D.* τὰς τῶν ἱππέων τὰς ἐν τοῖς δεκάτοις

ἕδρας

ἱππεῖς appellat. Apud Senecam de Benef. 3, 9. in quattuordecim gradus deduxisse, significat Equitem fecisse, capto scil. signo pro re signata. Sic Epist. 44. pr. Multis quattuordecim sunt clausi: non omnes curia admittit: hoc est, non omnes sunt Equites, non omnes Senatores. Adde Lips. amphith. cap. 14.

Ibid. (e) Excitari] *Theatrale verbum, de his qui occupato non suo loco surgere iubentur. Quintilianus Instit.* 3, 6, 18. Si accusabitur theatrali lege, (*vt occupator alieni loci*) depulsio erit Rei: si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris. *Martialis* 5, 14. Bis excitatus terque, transtulit castra. *Hoc eidem est* suscitare 3, 95. 5, 36. & 6, 9. *In hac ipsa historia Appianus Ciuil.* 5. *pag.* 680. Καὶ ὁ Καῖσαρ τὸν στρατιώτην ἀνέστησεν: & Caesar militem iussit surgere. *Non absimili significatione Liuius* 9, 8, 2. primus excitatus, iussusque dicere. *Et* 45, 25, 1. Legati supplices prociderunt, tandemque excitati, curiâ excesserunt. *Quomodo de supplicibus surgere iussu vtitur indicato verbo* ἀνίστημι *Thucydides* 1, 23, 9. & 3, 5, 5.

Ibid. (f) Apparitorem] *Hoc est, ministrum.* [Ein Herrenknecht/ *verbo nobis vsitato.*] Apparere *enim, est praesto esse ad obsequium.* [auswarten] *vnde & apparitores constat esse nominatos; autor Seruius. Quinetiam* apparitura *dicitur ipsum ministerium. Scribit Suetonius in lib. de Grammat. c.* 9. Orbilium appariturum fecisse magistratibus: *cum significare vellet, eum fuisse apparitorem ministrumque magistratuum. Beroald.* *Ceterum hi, quorum munus, ordinibus in theatro sua loca adnotare, & alienis occupatores pellere, proprie dictos* dissignatores, *docet Lipsius Amphitheatr. c.* 15. *quem videsis.*

Ibid. (g) Dilato] *Diuulgato. sic autor in Caes. cap.* 33, 4. fama distulit: & *c.* 4, 3. dimittere, *h. e. alium aliò mittere*: & *c.* 20, 8. dilargiri, *id est, diuersis largiri. Vide si libet, notata ad Iustinum* 6, 1, 4. *c.*

3. (b) Saluti fuit] *Confer cum narratione Appiani, Ciuil.* 5. *pag.* 680. *Casaub.*

4. (i) Quæ oppido eruperat] *Liber opt.* qui oppidum eruperant. *recte. Torrent.*

CAPVT XV.

1 PErusia capta(a) in plurimos animaduertit: orare veniam, vel excusare se conantibus vna voce occurrens, (b) *Mo-*

riendum esse. ¶ Scribunt quidam, (c) trecentos ex (d) dedi- 2
titiis electos, (e) vtriusque ordinis, (f) ad aram diuo Iulio exstructam, (g) Idibus Martiis, (h) hostiarum more mactatos. ¶ Exstiterunt qui traderent, (i) conspecto eum ad ar- 3
ma isse; vt occulti aduersarii, & quos metus magis quàm voluntas contineret, facultate (k) L. Antonii ducis præbita, detegerentur: deuictisque his, & (l) confiscatis, promissa veteranis præmia (m) persoluerentur.

Num. 1. (a) In plurimos] *Appianus Ciuil. 5. pag. 699. c. in Perusinum duntaxat senatum, post receptam vrbem, excepto L. Æmilio, sæuitum scribit. Adde Liu. epit. 126.*

Ibip. (b) Moriendum esse] *Ita C. Marius, ciuili bello victor, iratus, necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit, sed sæpe,* Moriatur. *Cicero Tuscul. 5, 19. & Plutarchus Mario cap. 75.*

2. (c) Trecentos] *Idem numerus censtanter retentus à tribus Palatinis, quorum duo omnibus litteris expressere; vnus notâ. Gruter. Prisca editio Rom. & Torrentii libri duo* ducentos *habent. Dio lib. 48. pag. 416. B. eosdem adiicit:* Quadringenti equites senatoresque ad aram Iulio Cæsari sacratam adducti.

Ibid. (d) Dedititiis] *Qui se dediderunt in victoris potestatem. Formulam deditionis describit Liuius 1, 3, 10. Beroald. Sed ea formula huc pertinere non videtur.*

Ibid. (e) Vtriusque ordinis] *Senatorii & equestris.*

Ibid. (f) Aram D. Iulio extructam] *Seneca de Clem. 1, 11.* Aras Perusinas *dicit pluraliter, eâ figurâ qua Tacitus Annal. 1, 10, 9.* Lollianas Varianasque clades &c. *Et Agric. cap. 5, 2.* incensas colonias, *quæ vna tantum erat.*

Ibid. (g) Idibus Martiis] *Quo die scilicet in Senatu Cæsar occisus.*

Ibid. (h) Hostiarum more mactatos] *Mos notus ex Tertulliano de Spectaculis, & Seruio ad illum versum Virg. Æn. 10, 519.* Viuentes rapit inferias quos immolet vmbris. *Trogi breuiator lib. 22, 2, 1. de Alexandro:* Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris occidi iussit. *Tacitus 1, 61, 6.* Adiacebant

lucis

lucis propinquis Barbaræ aræ, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactauerant. *Sic Spartacus fugitiuus, Crixo occiso, trecentos è captiuis Romanis immolat: auctor Appianus Ciuil. 1. pag. 424. B. Sic Sulla M. Marium occidit*, pertractum per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiæ gentis, *ait Valerius Max. 9, 2, 1. Idem factum à Carthaginiensibus. Polybius lib. 1. extremo. Quod ait*, hostiarum more, *non temere adiectum. Seneca de Clem. 1, 9.* Ergo non dabit pœnas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput non occidere constituat, sed immolare? *Valerius Max. 9, 2, 3.* Damasippi iussu, principum ciuitatis capita, hostiarum capitibus permista sunt. *Idem 9, 7. de Q. Pompeio Cos.* Ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum victimæ mactauerunt. *Liuius lib. 7, 15, 10.* Nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quàm quod CCCVII. milites Romanos captos Tarquinienses immolarunt: qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Romani insignior fuit. *Idem lib. 25, 16, 15.* pecorum modo inulti trucidantur. [More animalium inulti cadunt. *Veget, 1, 21. fin.*] *Sic apud Philonem contra Flaccum: ἱερεῖς τρόπον κρεουργηθῆναι. Cur tantæ ignominiæ hoc mortis genus haberetur, modus efficiebat, quem aperit paucis Florus 2, 5, 3.* Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant iure agentes, nec gladio quidem, sed vt victimas securi percussit. *Olim securi tantum sontes puniebantur: postea etiam gladio. hoc supplicium illo lenius & honestius visum. ideo in militem animaduersum à Caracalla, qui Papinianum securi occidisset, iussus gladio. Victimæ autem comparantur securi percussi, quia & illæ secespita, & hi securi, humi strati feriebantur. Appianus de bellis Hisp. pag. 275. A.* Productos in medium Scipio virgis cædi (sæuius eos qui exclamarant) deinde ad palum deligatos omnes securi percuti iubet. *Casaub. Ad hunc, Manibus defunctorum humano sanguine parentandi ritum Cicero respexit orat. pro L. Flacco c. 38.* Quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugumque vestrarum trucidatos, incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quàm si L. Flacci sanguine illius nefariũ in vos odium satiaueritis? Litemus igitur Lentulo: parentemus Cethego. &c.

3. (*i*) Conspectò] *Turnebus Aduersar. 24, 15. itemque Casaub. & Gruter. ad h. l. ita diserte scriptum extare in antiquis codicibus affirmant. dictum vt consultò, compositò &c. Cui vocabulo, quippe minus vsitato, superscripta interpretationes, in contextum forsan irrupere. Vnde varietas ista*

lectionum enata: consulto, proposito, conspirato, conspicato. *Lipsius tamen in Electis* 1, 12. *scribendum contendit* compecto, *vt veteres loquebantur: vel quod nunc vsitatius est*, compacto: *quomodo* compacto rem agere, & rem de compacto geri *dixit Plautus, hoc est, ex συνθήματος, quadam collusione. Torrentio iudice non probanda correctio: cùm non constet, quinam alii hoc cum Augusto egerint. non certe L. Antonius, qui fiducia consulatus sui & fraternæ potentiæ, res nouas moliebatur, vt vidimus capite precedenti. Et res erat altissimi silentii, nec de alio quàm de Augusto hic loquitur Autor. Porro si tale quid fecit Augustus, potuit in animo habere ea quæ leguntur de Callicrate persuadente Dioni*, eum in magno periculo esse propter offensionem populi, & odium militum: quod nullo modo euitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum, quem inuenisset idoneum. facile omnium animos cogniturum, aduersariosque sublaturum, quòd inimici eius, dissidenteis suos sensus aperturi forent. *Æm. Probus in vita Dionis.*

Ibid. (*l*) L. Antonii] *Probo iudicium Freinshemii, duas hasce voces irrepticias censentis, quas ineptus glossator ideo huic loco inseruit, quod modò præcesserat Antonii mentio. Sed non erant necessaria, cum nec Augustus bellum id conflans scire posset, quisnam se ducem diuersarum partium professurus esset: nec referret, vtrum Antonius id faceret, an alius quilibet. Similia glossemata sustulit idem ad Florum* 1, 13, 21. *f.*

Ibid. (*k*) Confiscatis] *Publicatis, fisco applicatis. Generatim ea vox hic accipi videtur. notum aliàs discrimen inter fiscum & ærarium, quod ille priuatos Principis thesauros complectebatur: hoc verò publicum & populi Rom. erat. Hinc Plinius panegyr. c.* 36. At fortasse non eadem seueritate Fiscum, qua Ærarium cohibes. imò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico, credis. *Distinguit & Autor ipse, infra cap.* 101. Quantum pecuniæ in Ærario & Fiscis.

Ibid. (*m*) Persoluerentur] *Sic editio Romana: cetera* soluerentur.

CAPVT XVI.

BEllum (*a*) Siculum inchoauit in primis, (*b*) sed diu traxit, intermissum sæpius: (*c*) modò reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio, (*d*) & quidem

quidem per æstatem amiserat: (e) modò pace facta, flagi-
tante populo, ob intercluſos (f) commeatus, famemque
2 ingraueſcentem: ‖ donec nauibus ex integro fabricatis, ac
XX ſeruorum millibus (g) manumiſſis, & (h) ad remum
datis, (i) portum Iulium apud Baias, immiſſo (k) in Lucri-
3 num & Auernũ lacum mari, effecit. ‖ In quo cùm (l) hieme
tota copias exercuiſſet, Pompeium (m) inter Mylas &
Naulochum ſuperauit: (n) ſub horam pugnæ tam (o) arcto
repente ſomno deuinctus, vt ad dandum ſignum ab amicis
4 excitaretur. ‖ Vnde præbitam Antonio materiam putem
exprobrandi, (p) *Nerectis quidem oculis eum adſpicere potuiſſe inſtructã aciem: verùm (q) ſupinũ, cælum intuentem, ſtupidum cubuiſſe: nec prius ſurrexiſſe ac (r) militibus in conſpectũ fuiſſe,*
5 *quàm à M. Agrippa fugatæ ſint hoſtiũ naues.* ‖ Alii dictũ factum-
que eius criminantur, quaſi claſſibus tempeſtate perditis
exclamauerit: *etiam (s) inuito Neptuno victoriam ſe adepturum*: ac die (t) Circenſium proximo, ſollenni (u) pompæ
6 ſimulacrum Dei detraxerit. ‖ nec temere plura ac maiora
pericula vllo alio bello adiit. (x) Traiecto in Siciliam ex-
ercitu, (y) cum partem reliquam copiarum continenti re-
peteret; oppreſſus ex improuiſo à Demochare & Apollo-
phane, præfectis Pompeii, vno demum nauigio ægerrime
7 effugit. ‖ (z) Item cum (a) præter Locros (b) Rhegium (c)
pedibus iret, & proſpectis biremibus Pompeianis (d) ter-
ram legentibus, ſuas ratus, deſcendiſſet ad littus, pæne (e)
8 exceptus eſt. ‖ Tunc etiam per deuios tramites refugien-
tem, ſeruus Æmilii Paulli, comitis eius, dolens proſcri-
ptum olim ab eo (f) patrem Paullum, & quaſi occaſione
9 vltionis oblata, (g) interficere conatus eſt. ‖ Poſt Pompeii
fugam, (h) collegarum alterum, M. Lepidum, quem ex
Africa in auxilium euocarat, ſuperbientem (i) XX legio-
num fiducia, ſummaſque ſibi partes terrore ac minis vin-
dicantem,

dicantem, spoliauit exercitu: supplicemque concessa vita (k) Circeios in perpetuum relegauit.

Num. 1. (*a*) Bellum Siculum] *Aduersus Sextum Pompeium Magni filium. Copiosè describitur à Dione lib.* 48. *&* 49. *Appiano Ciuil.* 5.

Ibid. (*b*) Sed diu traxit] *In longum protulit, ab anno scilicet Vrbis conditæ* DCCX. *ad* DCCXVIII. *hoc est, per septennium circiter. Id Casaubonus descriptione chronologica demonstrat, prolixiore quàm vt hic inseri commode possit: quam tamen, cum aliis eius excursibus longiusculis, ne quid Casaubonianum desideretur, ad finem operis subiiciemus.*

Ibid. (*c*) Modò reparandar. classium caussa] *Refer ad annum* DCCXVI. *& sequentem. Cas.*

Ibid. (*d*) Et quidem per æstatem] *Non sine caussa notat. nam neque solet fieri in illo mari: & calamitas Cæsari eiusmodi fuit, vt confessione omnium irâ deûm aduersus ipsum, fauore aduersus Sextum accidisse videretur. Propterea ὑπερηφάνη* [*superbia est elatus*] *miser Sextus, vitio vsus humani ingenii. Itaque ergo nihil iam hominis spirans,* Neptuni filius *& dici & credi voluit. Casaubonus ex Dione* 48. *pag.* 442. *A. & Appiano Ciuil.* 5. *pag.* 729. *c. qui addunt, eum his successibus inflatum, mutasse paludamentum quoque, cæruleumque sumpsisse pro puniceo, adoptatum à Neptuno scilicet: quin & equos viroſque vivos (Neptuno patri hostiam: an vt maris iam dominus?) in fretum contexisse.*

Ibid. (*e*) Modò pace facta] *Anno Vrbis cond.* DCCXV. *& nota ὑστερολογίαν. Cas.*

Ibid. (*f*) Cõmeatus] *Siciliam* insulam frugum feracem *Florus* 3, 19, 3. cellam penariam Reipub. nutricem plebis Rom. *Cato apud Ciceronem Verr.* 2, 2. benignissimam vrbis nutricem *Valerius Max.* 7, 6, 1. *appellant. Eam obtinente, & mare infestum habente Sexto Pompeio, impeditaque frumentaria, populus Rom. fame laborat, quam imperii Augusti malis annumerat quoque Plinius* 7, 45.

2. (*g*) Manumissis] *Vide infra notanda ad cap.* 25, 3.

Ibid. (*h*) Ad remum datis] *Brodæus Miscell.* 2, 30. *Langlæus Semestr.* 5, 10. *princ. & Pollctus in historia fori Rom. sub finem operis, hunc locum interpretantur*

terpretantur de damnatione ad transtra siue remos. Quomodo Valerius Max. 9, 15, 3. quendam, quòd se filium Octauiæ sororis Augusti mentiebatur, imperio Augusti, remo publicæ triremis affixum *scribit. Sed hoscie Casaubonus erroris admonuit.* Ad remum *enim* dari, *nihil hic aliud est, quam remigem fieri. Non enim affecti pœna serui, sed manumissione ad conditionem translati meliorem, vt remiges* (*liberi, non affixi, sicut ille apud Valerium*) *essent, &, opinor, vnâ milites. Quod genus nauticorum militum, ἐπιβάτας appellat Thucydides* 1, 2, 13. *&* 3, 3, 11. *Quapropter inter Augusti infortunia,* seruitiorum delectus, *inuentutis penuriâ, enumerat Plin.* 7, 45.

Ibid, (*i*) portum Iulium] *De hoc Virgilius Georgic.* 2, 161.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Iulia qua ponto longe sonat vnda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Auernis?

Quem ad locum Philargyrus ista commentatur: Agrippa in secundo vitæ suæ dicit, excogitasse se, vt ex Lucrino lacu portum faceret. Verùm huius gloria Augusto cessit. INDIGNATVM autem ideo dixit poëta, quia, quo tempore in Lucrinum lacum mare immissum est, deinde terrâ effossâ contigit inter ipsum Lucrinum & Auernum, vt duo lacus miscerentur; tanta tempestas orta est, vt prodigii loco habita sit; ac nunciatum sit, simulacrum Auerni sudasse. propter quod pontifices ibi piacularia sacra fecerunt. *Eadem & plura Dio lib.* 48. *pag.* 443. *Huiusmodi prodigia, seu ficte, seu vere, tribuuntur aliis etiam ipsi horum perfossionibus, fluminumque deriuationibus, ab iis, qui talia inuitâ naturâ, & fere frustra, suscipi putant. Verum & nostrũ hoc exemplum, & alia plura, relata in dissertationibus politicis Amirati* 13, 10. *euincunt, naturam sæpius vtiliter & cum successu tales per artes iuuari, modò caute periteque id fiat. Et certum est, talia dissuaderi ab iis tantum, quorum vel interest nihil mutari, vel qui difficultate operis, vel superstitione denique, mouentur; vt Tacitus Annal.* 1, 79. *prudenter censet de iis, qui flumina & lacus, per quos Tiberis augetur, ob moderandas eius exundationes verti noluerunt. Porro* Iuliis portus, *qui Virgilio d. l.* Iulia vnda, *non à Iulio Cæsare Dictatore nomen habet, vt Seruius ad illum Virgilii locum, & Leander in descriptione Italiæ volunt: sed ab Augusto, à Cæsare in Iuliam familiam adoptato, cuius auspiciis eum Agrippa perfecit. Ita* lex Iulia, aqua Iulia &c. *dicimus ab eodem autore. Adde de hoc portu Virgil. Æn.* 9, 710. *Horatium de arte poët.*

v. 63. Iuuenalem Satyr. 12, 75. Velleium 2, 79, 3. Capacii Puteolanam historiam pag. 84. Magnæ heic hodieque moles sub vndis marinis conspici dicuntur.

Ibid. (*k*) In Lucrinum & Auernum lacum] *Ad Baianum in Campania sinum: quos curatissime describit Strabo lib. 5. pag. 168, 40. Lucrinum lacum aliqui denominatum volunt à* lucro, *quod propter vberes piscatus amplissimum indè vectigal perciperent Romani. Qua causa* Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locabatur eruendus, ominis boni gratiâ, vt in dilectu censuue primi nominabantur Valerius, Saluius, Statorius, *ait Festus, & partim Cicero de diuin. 1, 45, 6. Auernus autem dictus tanquam* ἄορνος, sine auibus, *quod hæ superuolantes, odoris eius grauitate conciderent enecatæ, teste Virgilio Æn. 6, 239. & Lucretio 6, 740. Cui tamen infausto nomini non amplius hoc tempore respondet. sed & iam olim Augustum Cæsarem, siluis detectis, amœna hæc reddidisse loca, scribit Seruius ad Æneid. 3, 442. Ceterum Auernus lacus totus hodieque extat: at Lucrinus fere omnis interiit, cineribus ex terræmotu anni 1538. sic oppletus, vt nunc tenuis tantum ac cœnosa extet palus, cum exiguo arundineto, teste Cluuero Ital. 4, 2. pag. 1122. pr.*

3. (*l*) Hieme tota] *Ex historia apparet, sesquiannum in hunc apparatum fuisse consumptum. Non placet tamen lectio, quam profert & probat Torrentius,* hiemes totas. *neque enim verum est, Octauium plures hiemes, copias suas in portu Iulio, de quo Suetonius intelligit, exercuisse. Dionem vide. Casaub.*

Ibid. (*m*) Inter Mylas & Naulochum] *Vltimo anno belli Siculi, duobus magnis prœliis naualibus res est confecta: alterum apud Mylas habitum, alterum ad Artemisium. Is locus non procul Messaná aberat, vbi copias suas Pompeius habuit in nauali, quod* φερωνύμως [*ex re*] *Græci* Ναυλόχους *vocant, vt Appianus bis, Suetonius Naulochum. Fuisse eum locum Messanæ nauale, vt erat Gythium Spartæ, Cenchreæ Corinthi, ex collatione Strabonis & Appiani satis liquet. Dio non nominat diserte: sed de Naulocho intelligendum quum scribit lib. 49. pag. 448. E.* Pompeiani enim, quippe in sua regione stationem agentes, (ναυλοχοῦντες) nihil causæ habebant cur festinarent. *Casaub. Huius loci, tacentibus Geographis, meminit Silius Italicus 14, 265 nisi quod pluratiue* Naulocha. *Mylas verò fabulæ celebrant, Solis boues illic stabulare, quod ibi stato tempore simo similia purgamenta*

gamenta in littus expuantur. Seneca nat. quæst. 3, 26. Plinius 2, 98.

Ibid. (*n*) Sub horam pugnæ] *Hoc est, paullo ante pugnam, instante iam tempore pugnæ. Virgil. Georg.* 3, 403. Sub lucem exportant calathis. *Et Æn:* 1, 666. — sub noctem cura recursat. *Tacitus Annal.* 15, 7, 1. sub idem tempus legati reuertêre.

Ibid. (*o*) Arcto somno deuinctus] *Profundo, alto: quali curis grauissimis vexatos deuinciri solere, demonstrat Alexandri Magni exemplo Curtius* 4, 13, 16. *& Othonis, Noster* 11, 2. *Pro* deuinctus, *quod libri duo Torrentiani habent, cum minore Augusti dedecore retineatur Palatinorum & vulgata lectio* deuictus. *Ita Iustinus* 11, 13, 1. Confectum curis Alexandrum somnus arripuit.

4. (*p*) Ne rectis quidem oculis] *Sed conuiuentibibus & vitabundis, vt timidi solent.* Virtus aduersùs apparatus terribilium, rectos oculos tenet: nihil ex vultu mutat, siue illi dura, siue secunda ostentantur. *Seneca de constant. sapient. cap. 5. vbi Lipsii notam 57. vide.*

Ibid. (*q*) Supinum, cœlum intuentem, stupidum cubuisse] *Ita legendum, non* supremum cœlum. *Obiicit Octauio Antonius ignauiam, simul & δεισιδαιμονίαν,* [*superstitionem*] *quòd, quando in acie stare debebat, lateret, supinusque cœlum intueretur, vota solùm diis fundens. Alludit enim ad morem eorum, qui vehementissime aliquid à Deo peterent: supini quippe orabant, &, vt ait Horatius,* 3. *od.* 23. cœlo supinas ferebant manus. *Ideo negat Prometheus apud Æschylum v.* 977. se effæminatum animo fore, & isti inuiso supplicaturũ muliebribus manuum supinationibus (*γυναικομίμους ὑπτιάσμασι χερῶν*) *Heliodorus lib.* 9. *ὑπτίας τὰς χεῖρας προτείνοντες εἰς ἱκεσίας ἔμφασιν. Possumus & ita hanc vocem interpretari vt apud Iuuenalem Satyr.* 1, 66. Et multum referens de Mæcenate supino.
Addit stupidum, *id est,* ὑπὸ δέους ἔκφρονα [*metu vacordem*] *In Viterbiensi erat* incubuisse. *Casaub.*

Ibid. (*r*) Militibus in conspectum fuisse] *Emendauimus ex Viterb. & Cuiaciano.* [*Sic & Palatini duo. Grut.*] *Nam male vulgo, etiam Mss.* venisse. *Corruperunt qui non obseruauerant elegantias prisci sermonis. Est autem* fuisse *positum, pro venisse. Græci* παραγενέσθαι, *vel etiam* γενέσθαι. *Eustathius in* ἐρωτικοῖς *lib.* 6. Γενοῦ περὶ τὸ δωμάτιον. εὐθὺς οὖν ἐξανέστη τῆς τραπέζης, καὶ περὶ τὸ δωμάτιον γέγονεν. Abi in cubiculum. illa igitur è mensa statim

 surrexit,

surrexit, & in cubiculum venit. *Sic sæpe ille scriptor, & alii & meliores eo multò, & vetustiores. Contrà* venire τοῦ esse *locum sæpe obtinet, præsertim apud poëtas. Sic* fieri *accipit Apuleius Milesiadis* 10. Hæc vt primum ante iudicis conspectum facta est. *Sed &* facere se, *pro venire aut sistere ponebant. Apuleius initio* 5. Intra limen sese facit. *Nam mali Critici sunt, qui putant mendosum & mutant. Terentius,* Huc te fac, *pro veni, vel accede, vt explicat Donatus. Affinis significatio verbi* ποιεῖν *apud Græcos : vt in Actis* 5,34. ἔξω ποιήσατε τοὺς ἀποστόλους: *quod potes ad verbum interpretari,* facite extrà Apostolos. *Aristoteles in Oeconom.* Τοὺς ἀποσταλέντας ἐς φυλακὴν ποιήσας. *Cedremus,* Θησεὺς φαίδραν ἀπὸ ὄψεως ἐποίησε. *Casaub.* *Quæ similia sunt nostratibus,* auß dem gesicht thun / sich herbei machen ꝛc. *Porro sicut* esse *pro* venire, *& contrà, dicitur, Hispani quoque talia seruant* : yo fue *vel* fui, *pro* yo anduue: *& rursum* va *&* van, *pro* es *&* son.

5. (s) Inuito Neptuno] *Cuius se Sextum Pompeium haberi filium voluisse, suprà monitum. Similem arrogantiam & Noster Cæsari* 77, 4. *& Capaneo Statius Theb.* 9. 547. *tribuit* : — telumque immane lacerto

Hortator vibrans: Ades ô mihi dextera tantum,
Tu præsens bellis, & ineuitabile numen:
Te voco, te solam, Superûm contemptor, adoro.
Sic ait; & voti sese facit ipse potentem.

Ibid. (t) Circensium] *Circenses ludi qui sint, ad Cæs.* 39, 5. *docetur.*

Ibid, (u) Pompæ simulacrum Dei detrax.] *Alludit ad hanc historiam Iulianus in Cæsaribus* : Et iam clepsydram ad Augustum detulit Neptuni puer, eique parcius aquam affudit, cum ob temporis, *quod ad dicendum restabat,* angustias : tum quòd animo repeteret, qua olim ille fuisset in hunc deum insolentia. *Cas.* *Dio lib.* 48. *pag.* 429. *C. tradit, ciues Romanos, in S. Pompeium propensos, ludis Circensibus illatum Neptuni simulacrum multo plausu honorasse, eoque magnopere delectatos esse: quumque id per aliquot dies non inferretur, lapidatione in magistratus facta, eos eiecisse foro, Augusti & Antonii statuas deiecisse. Circensium ludorum pompam fusè describit Dionysius Halic.* 7, 66. *& seqq. itemque Onuph. Panuinius de Circens.* 2, 2.

6. (x) Traiecto in Siciliam exercitu] *Eo bello quod gestum est anno DCCXVI. Historiam hanc diligentissime exponit Appianus Ciuil. lib.* 5. *sed paullo aliter. Cas.*

Ibid. (y)

Ibid. (y) Cum partem reliquam copiar. continenti repeteret] *Ita Viterbienſ. & alii optimi codd. quidam tamen,* cum ad partem reliquam copiarum continentem repeteret. *quæ lectio planior. atque ita in editione Rob. Stephani. Caſaub.* *Sic etiam in Vrſini codice. Palatini tamen omnes priorem lectionem retinent.* Continentem *autem (ſcil. terram) Italiam accipe, vnde copiarum partem Auguſtum repetiſſe, patet etiam ex Appiano Ciuil. 5. pag. 718.* Continens *ea terræ pars dicitur, quæcunque non eſt inſula.* Terram firmam *vulgo vocant.*

7. (z) Item] *Palatinus pr. ac tert.* [*vt & tres Torrentiani codd.*] iterum *habent. Vtrumque ferri poteſt. Grut.*

Ibid. (a) Præter Locros] *Magnæ Græciæ vrbem,* Locros Epizephyrios *intelligit (plures enim Locri ſunt) a vicino promontorio Zephyrio ita dictos.* Præter *hoc loco non eſt iuxta, vt vult Beroaldus. differunt enim quod* iuxta *in ſtatu,* præter *in motu dicitur.* Agmen ductum præter paludem (daneben fürüber) *Liuius* 38, 15, 2. Præter domum noſtram ducuntur exequiæ. *Seneca conſol. ad Marciam cap.* 9. Tantas moles in priuatam domum trahi præter fictilia deorum faſtigia. *Plin.* 36, 2. præter ſtatuam commeare. *Plinius alter* 2. *epiſt.* 7.

Ibid. (b) Rhegium] *Quod Appiano, Plinio & aliis* Rhegium Iulium, *Brutiorum oppidum ad fretum Siculum. Vulgo* Rezzo, *& ab elegantioribus* Reggio *vocatur.* Ἀπὸ τῆς ῥήξεως, *à ruptura nomen ſortitum, quod hic violentia terræmotuum Siciliam ab Italia diuulſerit. Iuſtin.* 4, 1, 7. *Strabo lib.* 6. *Feſtus, aliique.*

Ibid. (c) pedibus iret] *Notandum hoc contra faſtum eorum* Principum, qui faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu, vſum pedum amiſerunt, *vt ait Plinius panegyr. cap.* 24. *Ita Lucanus* 9, 587. *de Catone:*

— præcedit anheli Militis ora pedes. —

Tacitus Hiſt. 2, 11. *de Othone:* nec illi ſegne, aut corruptum luxu iter: ſed lorica ferrea vſus, & ante ſigna pedeſter. *Spartianus cap.* 10. *m. de Hadriano:* Vicena millia pedibus armatum ambulaſſe.

Ibid. (d) Terram legentib.] *Prope terram nauigantibus. Verbum nauticum. Virgilius Æn.* 3, 292. Litteraque Epiri legimus. *Tacitus Agric.* 38, 8. proximo latere (*an* littore?) Britanniæ lecto.

Ibid. (e) Exceptus eſt] *Horatius* 3. *od.* 12. latitantem fruticeto excipere aprum. *Virgilius Ecl.* 3, 17. caprum Excipere inſidiis. *Plura exempla apud Nonium. Torrent.*

8. (f) Patrem Paullum] *Is est opinor, cuius nomen refert in proscriptorum album, & eadem narrat Appianus Ciuil. 4. pag. 605. A. etsi Æmilius illi tantum dicitur. Causaub.* Patrem, *intellige Æmilii istius iunioris patrem; non enim ipsius serui: ne erres cum eruditissimo A. Schotto: qui in Obseruationibus philologicis 3, 15. cum* patrem *absurde ad seruum referatur. id vocis mutandum contendat in* patronum, *praeter rationem: cum serui nullus sit patronus more Romano, sed dominus. Solent autem ita distinguere Romani patrem filiumque cognomines, vt* Celsus pater, Celsus filius: *quemodo nostrates,* Celsus der Alt/ Celsus der Jung.

Ibid. (g) Interficere conatus] *Frustra. Nam non modo* cor Regis, *sed & corpus,* in Dei est manu. *Quare prudenter Imp. Antoninus Philos. de Cassio, apud Vulcatium cap. 2.* Si ei diuinitus deberur imperiũ, non poterimus interficere, etiamsi velimus. *Nec absurde Senatus in acclamatione qua prosequebantur Alexandrum Seuerum, in Lampridii cap. 5. m.* Dii te nobis dederunt: dii conseruent. *Nos idem eminemur de diuinitus ostenso nostris temporibus Heroe: quem, frustra sunt, qui nefarius artibus impetunt. Suo enim exitio venena miscent, sicas cudunt, fallacias instruunt. Imbellis vis est, inefficax dolus, insidiæ vanæ, quas diuina prouidentia maiori fato discutit.*

9. (h) Collegarum] *In triumuiratu.*

Ibid. (i) Viginti legion.] *Appianus Ciuil. 5. pag. 741. D. dicit fuisse duas & viginti.*

Ibid. (k) Circeios in perpet. relegauit.] *Orosius 6, 18.* Lepidus supplex Cæsari factus, vitam & bona impetrauit, perpetuo emendatus exilio. *longemitius, vt plerique alii narrant. Velleius 2, 80, 6. hoc tantùm:* Vita rerumq; suarũ dominium concessa ei sunt: spoliata, quam tueri non poterat, dignitas. *Diolib. 49. pag. 456. A in Italia fuisse habitum non sine custodia. Appianus Ciuil 5. pag. 743. C. aperte Suetonio repugnat: vult missum à Cæsare non in exilium, sed Romam, vt priuatus degeret, pontificatu maximo, quem gerebat, contentus. Et alibi quoque idem Romæ eum in summa ædea esse versatum narrat, de Lepidi iunioris & matris coniuratione in Augustum loquens, Ciuil. 4. pag. 618. D. Mihi hic Appiani suspecta fides. nam Dio anno demum* DCCXXXVI. *duodecimo post conspirationem anno, ab Augusto in vrbem retractum, auctor est. nisi dicamus, post mortem filii, non necessitate, sed voluntate sua, in agros secessisse & solitudinem:*

quod

quod videtur innuere etiam Dio. Casaub. Circeii, *Latinorum oppidum ad promontorium Circæum. Meminit eius autor iterum in Tiberio cap. 72, 4.*

CAPVT XVII.

1 M. Antonii (*a*) societatem, semper dubiam & incertam, (*b*) reconciliationibusque variis (*c*) male focillatam,
2 abrupit tandem. ‖ Et quo magis (*d*) degenerasse cum à ciuili more approbaret, (*e*) testamentum, (*f*) quod is Romæ, etiam (*g*) de Cleopatræ liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione
3 curauit. ‖ Remisit tamen hosti iudicato (*h*) necessitudines, amicosque omnes: atque inter alios C. Sosium (*i*) & T.
4 Domitium, tunc adhuc consules. ‖ Bononiensibus (*k*) quoque publice, quòd in Antoniorum clientela antiquitus erant, (*l*) gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro par-
5 tibus suis. ‖ Nec multo post (*m*) nauali prœlio apud Actium vicit, (*n*) in serum dimicatione protracta, vt in naui victor
6 pernoctauerit. ‖ Ab (*o*) Actio cum Samum in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum, præmia & (*p*) missionem poscentium, quos ex omni numero, confecta victoria, Brundisium præmiserat, (*q*) repetit Ita-
7 liam; ‖ tempestate in traiectu bis conflictatus: primo (*r*) inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ: rursus circa (*s*) montes Ceraunios; vtrobiq; parte (*t*) Liburnicarum demersa; (*u*) simulque eius in qua vehebatur, fusis (*x*) armamentis, & (*y*) gubernaculo diffracto. ‖ Nec (*z*) amplius
8 quàm septem & XX. dies, (a) donec desideria militum ordinarentur, Brundisii commoratus, Asiæ Syriæq; circuitu Ægyptum petit: obsessaq; Alexandria, quò Antonius cum
9 Cleopatra confugerat, breui potitus est. ‖ Et Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit,

adegit, (b) viditque mortuum. ‖ Cleopatræ, quam ſeruatam triumpho magnopere cupiebat, etiam (c) Pſyllos admouit, qui venenum ac virus exſugerent; (d) quòd periiſſe morſu aſpidis putabatur. ‖ Ambobus communem ſepulturæ honorē tribuit, actumulum ab ipſis inchoatum perfici iuſſit. ‖ Antonium (e) iuuenem, maiorem de duobus Fuluia genitis, ſimulacro D. Iulii, (f) ad quod poſt multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. ‖ Item (g) Cæſarionem, (h) quem ex Cæſare Cleopatra concepiſſe prædicabat, retractum è fuga, ſupplicio affecit. ‖ Reliquos (i) Antonii reginæque communes liberos, non ſecus ac neceſſitudine iunctos ſibi, & conſeruauit, & mox pro conditione cuiuſque ſuſtinuit ac fouit.

10 11 12 13 14

NOTÆ AD CAPVT XVII.

Num. 1. (*a*) M. Antonii ſocietatem] *Fecerant ineptiſſime, qui ſuperioribus iſta conſumxerant. Caſaub. Veteres enim quædam editiones caput hoc inchoant demum à verſu noſtro 6.* Ab Actio cum &c.

Ibid. (*b*) Reconciliationib. variis male focillatam, abrupit tandem] *Dictum eſt elegantiſſimum Appiani Ciuil. 5. pag. 726. C. de Octauio & Antonio*: ſubinde relabebantur & ad ſuſpiciones mutuas ex regnandi cupiditate, & poſtulante neceſſitate ad fœdera noua. *Hæc Caſaubon. qui huic loco lucem affert ex notatione temporum alibi referenda. De Auguſti & Antonii nunquam bona fide coalita gratia ſapienter Dio lib. 45. pag. 310. D.* Qui poſt vehementes inimicitias in gratiam redeunt, multa leuiuſcula ac temere accidentia in ſuſpicionē rapiunt, atque in vniuerſum omnia tanquam conſultò & malam in partem facta, ad conceptum antè odium apponunt. Hanc ad rem illi qui inter hos obuerſantur, haud parum conferunt, qui beneuolentiæ prætextu ſubinde aliquid añunciantes, animos iam antè irritatos, magis exaſperant. &c. *Adde Syracidem* 12, 10. *&* 11. *Ciceronem familiar.* 1, 9, 68. *Rarum fidæ reconciliationis exemplum eſt in Agellio* 12, 8. *Porro ad*

has

has Augusti atque Antonii reconciliationes Beroaldus refert illud Horatii 1. Satyr. 5, 27. de Mæcenate & Cocceio: — missi magnis de rebus vterque Legati, auersos soliti componere amicos.

Ibid. (c) Male focillatam] *Sic omnes nostri,* [*Sic & Palatini. Gruterus.*] *nec mutanda vox elegans* focillatam, *aut* focilatam *vno* l. *Sic enim scribitur in Turonensi. Glossarium,* Focilat. Θωπεύει. *Lucanus seu quis alius ad Pisonem v. 114. ex veteri lectione:* Sed miserum parua stipe focilat. — *Varro, focillor aliter quàm Suetonius vsurpauit, De vita populi Rom. lib. 2.* Propter res secundas sublato metu, non in commune spectant: sed suum quisque diuersi commodum focillantur. *Proprie* focillare *est aegras* fauces *lana apposita fouere, vt fuit moris. Contra* effocare *dicimus* fauces *premere ad perniciem. Casaub. Alii, fortasse probabilius,* focillare *diminutiuum faciunt à* foculare (*seu* focilare) *apud Nonium, hoc est, fouere, blando calore permulcere ac reficere. id autem non à* faux, *sed à* focus, foculus *oritur. Ceterum pro* focillatam *Torrentii codex habet* follitam: *vnde ipse* folcitam, *aut* foltam, *pro* fultam, *legendum putabat.*

2. (d) Degenerasse eum à ciuili more] *Intelligit facta Antonii contra maiorum instituta & grauitatem Romanam, quæ pluribus explicantur ab Historicis. Vide Dionem initio libri 50. Casaub. Adde notata ad Cas. 6. 75. fin.*

Ibid. (e) Testamentum aperiendum &c.] *De hoc Augusti facto equidem sic existimo, vt inter exempla magnæ cuiusdam immanitatis referendum censeam. Primùm quia contra ius naturæ est, vt rebus alienis nos immisceamus, quæ ad nos nihil pertinent: neque id solùm, sed etiamsi vel maxime ad nos pertinerent, humanitatis tamen lex est, multa nescire velle. Inde est quod in cœlum tolluntur laudibus, Athenienses, Pompeius, Iulius Cæsar, Antoninus & alii, qui hostium suorum litteras in castris repertas, aut alio casu captas, legere noluerunt. Simili ratione, paullo qui sit humanior nemo, delatorum voces admittat. Multo minus æquum videtur, quæ sit alicuius viuentis valentisque voluntas super iis, quæ post mortem suam fieri velit, satagere. Itaque ait Plutarchus* [*in vita Antonii, capite 76.*] *visum hoc factum* indignum & graue. *Dio quoque* [*lib. 50. pag. 481. A.*] factum iniustissimum *vocat. Amplius dico, capital admissum, si æstimetur hoc factum legibus Romanis. teneretur enim pœna legis Corneliæ de falsis, l. 1. §. 5. ff. Ad legem Corneliã de falsis. l. 1. 38. §. 7. ff. De pœ-*

nis. Taceo violatam deorum religionem, quorū sacerdotibus sanctissimis, virginibus Vestalibus, Antonius hoc testamentum commiserat. neque illa sane prodiderunt: sed maiori vi quia reniti non poterant, inuita cesserunt. Non me fugit, quid pro Augusto dici queat: sed verum hoc nihil quisquam dixerit, voluisse illum in odium & inuidiam Antonium adducere. Erant autem capita testamenti Antonii, quæ maxime exagitauit Octauius, hæc tria: primum, quod Cæsarioni redderet testimonium, quasi filio Cæsaris naturali & legitimo: quum is è matrimonio ortus non legitimo, iure ciuis esse non posset, sed peregrinus tantum: proinde capere quidquam de bonis ciuis Romani non poterat. Alterum quod reliquos Cleopatræ liberos summis affecisset elogiis & honoribus, iisque plurima contra leges reliquisset. Postremo, quod iussisset corpus suum, vbicunque mori ipsi contigisset, Alexandriam deferri, & cum Cleopatra, quandoque fato functa, sepeliri. Casaub.

Ibid. (*f*) Quod is Romæ etiam] *Testamentum Antonii factum est Alexandriæ, sed pluribus exemplis: eorum vnum ibi custoditum, alterum Romam missum. Vide Dionem. Non igitur satis apte aut vere noster* reliquerat. *nam dubium non est, quin post ea tempora scripserit Antonius id testamentum, quibus nouissime in vrbe fuit. Cas.*

Ibid. (*g*) De Cleopatræ liberis] *Scripta lectio, &* de Cl. lib. *sic optimi quique codices. an verum est?* quod is Romæ etiam, de Cleopatra, & de Cleop. lib. *neque enim de liberis tantum Cleopatræ in testamenti sui tabulis egerat Antonius: sed multo etiam pluribus de ipsa Cleopatra: vt cum illi bibliothecam regum Pergami, velut legati iure, donabat; & eum corpus suum, vbicunque ipsi contigisset mori, Alexandriam mandabat deferri, vt eodem tumulo cum Cleopatra conderetur. Lege Plutarchum Ant. c. 76. & Dionem lib. 50. Casaub.* Torrentius particulam de *superfluam omnino censet.* Cleopatra et liberis, *vna adiecta litera legendum suspicatur Freinshemius. Diphthongum enim æ resoluit antiqua manus.*

3. & 4.] *Præclare factum, prout iusta dissertatione demonstrat Gruterus disc. urs. ad Tacit. cap. 48. Ad quam referatur ex Ammiano Marcellino* 21. 10. *exemplum Nebridii, qui militibus aliis pro Iuliano se denouentibus, solus repugnauit,* iurisiurandi nexu contra Constantinum nequaquam se constringi posse commemorans, cuius beneficiis obligatus erat crebris & multis.

3. (*h*) Necessitudines] *H. e. necessarios, sanguine aut affinitate iunctos.*

ctos. Tacitus Hist. 3, 59, 10. Vitellius respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat. *Curtius* 4, 10, 23. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere. *Iustinus* 12, 15, 9. *de eodem*: oblitus necessitudinum, dignissimum nuncupat heredem. *Dictum ea ratione, vt in Tiberio* c. 51, 4. amicitiæ & familiaritates, *pro amicis & familiaribus*: *iterumque* c. 61, 14. custodiæ *pro ipsis captiuis*: *& in Domit.* 8, 4. consilium *pro consiliario*. *Sic* venationem *pro fera venando capta dicit Liuius* 25, 9, 7. Matrimonia *pro vxoribus Tacitus Annal.* 2, 13, 5. *Iustinus sapius, ipseque Suetonius Cæs.* 51, 1. Torum & affectum suum donauit artifici, *h. e. pellicem sibi charissimam, Plinius* 35, 10. Admissionum proximus, *pro admissionalium, Amm. Marcellinus* 22, 9. Ex-cura *pro excuratore, apud eundem* 22, 3. *fin. Talia quoque mihi pridem in Iure suo monstrauit Iuris quondam Antistes in hac Academia clarissimus Iustus Meierus*: *vt l.* 9. C. *de cursu pub.* officia esse mulctandos: *& l.* 2. *ff. de feriis*: vt officia admoneantur cessantes, *hoc est, officiales. Hæc enim est lectio Florentina, cum alii varient ex ignoratione modi loquendi, præsertim accedente Synthesi quam Grammatici vocant. qualis item est l.* 16. C. *de erogat. milit. annonæ*, vnusquisque caput Scholæ iuratus. *Et l.* 1. §. 1. *ff. de adil. edicto*: si quod mancipium ad bestias intromissus fuerit.

Ibid. (*i*) Et Titum Domitium] *Codex Ferrariensis* C. Domitium. *Sed* Cn. Domitium *vocant lapides Capitolini*: *& alioqui Domitii non nisi Cn. & L. prænomina vsurparunt. Suet. Ner. cap.* 1, 4. *& de hoc ipso Domitio cap.* 3. *Torrentius. cuius iudicium probat Casaubonus, etsi scripti sui libri omnes* Titum Domitium *habeant. Gruterus in Palatino tertio* Caium *esse dicit, vt videatur scribendum iuxta fastos*, Cnæum.

4. (*k*) Bononiensibus quoque] *Contrarium plane affirmat Dio*: *eum vide* [*lib.* 50. *pag.* 482. E.] *Ego suspicor Dionem in hac historia lapsum, quum non satis intelligeret, quid esset, Bononienses in clientela Antoniorum antiquitus fuisse*: *propterea dixisse, Antonium fuisse Bononiæ κλίσιν* [*conditorem, coloniæ deductorem*] *quod falsum puto. Casaub.*
Pro Dione dici forte quat, non ignorasse quidem eum, quid sit in clientela esse (*de quo more Romanorum amplius agendi locus erit infra ad Tiber.* 6, 3. *& iam attigimus aliqua ad Cæs.* 71, 1.) *sed diuersam à Suetonio rationem adducere*: *quæ tamen in eo conueniant, quod vtrobique meritum Antonii caussa fuerit, ob quam in hoc indulserit Cæsar. Sed in Suetoniana ratio-*

ne patrocinium maiorum & familiæ, in Dionis autem proprium huius Antonii, deductionem in coloniam: quæ acciderit post reconciliationem Cæsaris & Antonii interueniente Lepido factam. Eo enim tempore XVIII. Italiæ colonia militibus distributa sunt (interque illas haudubie hæc ipsa Bononia) auctore quidem Appiano Ciuil. 4. pag. 590. f. Sed in hoc contrarium adstruit auctori Dio, quod ille quidem nec coactos, nec illectos ad partes Cæsareanas scribit: hic inter eos qui beneficiis inducti Cæsari adhæserunt, etiam Bononienses numeret, colonia eorum, confirmatione, & quadam quasi nouatione, Octauiani muneris facta.

Ibid. (*l*) Gratiam fecit coniurandi pro partibus suis] *Respexit ad hanc Historiam Ouidius Trist. 1, 4, 39.*

Sæpe fidem aduersis etiam laudauit in armis:
Inque suis amat hanc, Cæsar: in hoste probat.

Et alio loco eiusdem libri [1, 8, 25.]

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inuiso Cæsar in hoste probat.
Nec solet irasci (nec enim moderatior alter)
Cum quis in aduersis, si quid amauit, amat.

Potes referre & ad historiam T. Vinii Philopœmenis, de quo cap. 27, 5. Casaub. Phrasin hanc, gratiam fecit coniurandi, *Erasmus exponit affirmatiue: permisit coniurare. Turnebus Aduersar. 24, 15. rectius negatiue: permisit illis non coniurare cum reliqua Italia pro suis, h. e. Cæsareanis partibus, aduersus Antonium. Ita Seneca epist. 10.* Votorum gratiam diis facere, *h. e. à diis vota non exigere, vota diis remittere. Et de Benef. 2, 2.* Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, ROGO. huius facienda est gratia amico: *h. e. remittendum est ei hoc verbum, nec permittendum vt amicus roget. Adde infra 38, 7. & Tiber. 35, 2. & Calig. 15, 11. & Domit. 14, 4.*

5. (*m*) Nauali prælio apud Actium] *a. d. IV. Non. Sept. Anno Vrbis Cond. DCCXXIII. ætatis suæ XXXII. diebus demptis XXII. Atque ab hoc principio numerati anni imperii Augusti, inquit Dio* [*initio libri 51.*] *Sed notum est, docente eodem Dione atque aliis, non idem initium imperii Augusti omnes constituisse. Casaub. Vide Ios. Scaligerum de emend. temporum lib. 5. pag. 234. & Freinshemii Notas ad Florum præf. 1. b.* Actium, *Epiri promontorium est in Ambracio sinu. Vnde bellum hoc dictum* Actiacum

acum. Cabo Figo *Pinetus hodie nominari scribit:* Figalo *scribendum putat Ortelius. Superbissimum huius prœlii apparatum explicat Plutarchus in Antonio cap. 79.*

Ibid. (*n*) In serum] *In vesperam. Horam decimam, scil. ab orto Sole numeratam, exprimit Plutarchus Ant. c. 87.*

6. (*o*) Ab Actio cùm Samum in hib. se recep.] *Augustum traiecisse in Asiam mox à victoria Actiaca, testatur Dio lib. 51. Venisse Samum Ionicam, ex iis colligimus, quæ narrat Appianus lib. 4. pag. 613. C. de duobus Metellis proscriptis, patre & filio. Ait ibi Cæsarem in hac insula διακρίναι τοὺς αἰχμαλώτους [captiuos inspexisse.] Venit eodem & anno post, confecto bello Alexandrino, quando quintum consulatum ibi suscepit, [infra 26, 8.] & idem postea bis, quum Græciam & Asiam lustraret. Vide Dionem in rebus gestis anno DCCXXXIV. Meminit & Strabo lib. XIII. Casaub. Cum prius vulgati non necessaria voce auctiores,* Samum insulam *habeant, obsecutus sum Grutero, qui Palatinis ducibus* insulam *omittit.*

Ibid. (*p*) Missionem poscentium] *Honestam, quæ emeritis stipendiis impetrari solebat. De triplici missionis genere dictum est ad Cæs. 69, 3.*

Ibid. (*q*) Repetit Italiam, tempestate] *Beroaldus ita locum restituit. Nam editiones Romana & Aldina, & Ms. Abb. Gand.* repetiit. (*aut,* repetit.) Alia tempestate. *Pulmanni Mss.* repetit alia tempestate.

7. (*r*) Inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ.] *Inter Rhium opinor & Antirrhium, qui erat breuissimus simul & æstuosissimus ex Ætolia in Peloponnesum traiectus. Casaub.* Peloponnesus *Græciæ peninsula nobilissima, à Pelope sic dicta. vnde* Νῆσος τοῦ Πέλοπος *appellatur Nicephoro Gregoræ lib* 1. Morea *hodie.* Ætolia, *Græciæ quoque regio maritima, Locros Ozolos inter & Acarnaniam. Hodie vulgo* Despotato.

Ibid. (*s*) Montes Ceraunios] *in Epiro, ad mare Ionium, è regione Italiæ: à crebris fulminum* (τῶν κεραυνῶν) *casibus ita dictos.* Monte de Chimara *hodie.*

Ibid. (*t*) Liburnicarum] *Agilium bellicarumque nauium, à Liburnis, Illyrici populo, qui olim nauibus vsi velocitate præcipuis, mare Ionium insulasque prædabantur. qua ex causa Romani naues leuitate celeritateque præstantes, appellauere* Liburnicas, *vt refert Appianus Illyric. pag. 758. B. Lucano 3, 534.* Liburnæ *dicuntur. Beroaldus. Hoc nauium genus propter*

agilitatem, ad victoriam Actiacam plurimum conenliſſe momenti, quamuis Antoniana præ illis longe maiores eſſent, affirmat Plutarchus in Antonio c.85. & ex Dione Xiphilinus. Quomodo in claſſe Perſica aduerſus Græcos, magnitudinem nauium inhabilem, impedimento potius fuiſſe ſcribit iterum Plutarchus Themiſt. c. 26. & de Carthaginienſium claſſe Florus 2, 2, 34. vbi notas Freinshemii vide. Similia de claſſe Hiſpanica anno 1588. Angliam infeliciter inuadente, Thuanus lib. 89. pag. 247. f. Liburnicarum picturam exhibet Laz. Baiſius de re nau. pag. 22. & God. Stevechus ad Vegetium 5, 2.

Ibid. (u) Simulque] *Pal. pr. & ſec.* ſimul *omiſſo* que. *neque requiritur. Grut.*

Ibid. (x) Armamentis] *Inſtrumentis nauticis, ſicut funibus, velis, anchoris, remis, &c. Sic Liuius 38, 38, 9. Florus 4, 2, 75.*

Ibid. (y) Gubernaculo diffracto] *Sic & noſtri codices. alii* defracto. *Autor in Caſ. 37, 3.* axe diffracto. *Torrentius.*

8. (z) Nec amplius quàm ſeptem & XX. dies] *Dio tamen* [*lib. 51. pag. 510. C.*] in Græciam auectus eſt trigeſimo quam in Italiam venerat die. *Ad hanc celeritatem reſpicit Germanicus apud Tacitum Annal. 1, 42.* Diuus Auguſtus vultu & aſpectu legiones Actiacas exterruit. *Caſaub.*

Ibid. (a) Donec deſideria militum ordinarentur] *Palatini tres* donec & deſid. *ſed primus à manu ſecunda: priùs aliud quid habuit loco vocis* donec. *Gruterus.* *Viterb. & Cuiacii codd. etiam* donec & deſ. *Pithœi, Turonenſis,* donec ad deſ. *quam lectionem probat idem ille Cuiacius in Obſeruationum libris. de quo ſtatuat per me eruditus lector.* Deſideria *ſunt ἀξιώσεις* [*preces, poſtulationes.*] *Sic apud Tacitum 1, 19, 2.* deſideria militum: & deſideria legionum *apud Iuriſconſultos. aliquando pro libellis ſupplicibus, vt infra 53, 6.* adeuntium deſideria excipiens. *Caſaub. Noſter iterum in Tito, 8, 2.* In deſideriis omnium hominum obſtinatiſſime tenuit, ne quem ſine ſpe dimitteret. *Plinius panegyr. c. 79.* videmus vt prouinciarum deſideriis, vt ſingularum etiam ciuitatum precibus occurrat.

9. (b) Viditque mortuum. Cleop.] *Non aliter Mſs.* [*Et in his quoque Palatini tres. Grut.*] *Recte prima editio* [*vt & duo Mſs. Torrentiani*] viditque

ditque mortuam Cleopatram. *Dio* [*lib. 51. pag. 518. E.*] *fere ad verbum*: Corpus ejus vidit, remediaque ei, & Psyllos adhibuit, si qua eam ratione vitæ restituere posset. *Casaub. Plutarchus in Ant. c.* 108. *narrat, ad Cleopatram moribundam accurrere primùm voluisse Cæsarem: sed mutato consilio alios misisse qui aspicerent. Defid. Heraldus in illis praclaris ad Martialē animaduersionibus, fine libri* 4. *cum de conspecto Antonii corpore nihil apud antiquos reperiatur, ita legendū putat,* viditque mortuum Cleopatræ, *vt Græco more accipiatur,* τὸν νεκρὸν τῆς Κλεοπάτρας. *Quomodo passim Homerus, frequenter etiam Thucydides & Xenophon* νεκροὺς, *pro cadaueribus habent. Pausanias in Atticis,* ὁ νεκρὸς τῆς Ἀλκμήνης. *Zonaras in Irene pr.* ἀνθρώπινον νεκρὸν, humanum cadaver. *Plutarchus in amat. narration. cap.* 3. *m. dixit in neutro genere,* τῶν δυγατέρων τὸ νεκρὸ. *Sed haud scio an hujus Hellenismi possit vllum exemplum in Latinitate monstrari. Nam quod nomen* Defunctus *apud Plinium* 2, 68. *fin. pro humano cadauere accipiunt, in his verbis*: quam tandem portionem, eius defunctus obtineat; *peruersa distinctione decipiuntur. Ita namque scribendum*: quam tandem portionem eius, (*scil. terra. nam de ea præcessit*) defunctus obtineat. *Heraldus ipse certe conjecturam hanc suam in editione posteriori Martialis, vt minus probabilem, censuit omittendam.*

10. (*c*) Psyllos admouit] *Psylli, populi sunt in Africa, à Psyllo rege dicti, vt refert Plinius* 7, 2. *quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ex cujus odore sopirent eas. Scribit Cornelius Celsus* 5, 27. *quod memoratu dignum est,* Psyllos non habere scientiam aduersus venena præcipuam: sed audaciam vsu ipso confirmatam, qua vulnera exugunt. Namque venenum serpentis non gustu, sed in vulnere nocet. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus, exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. *De Psyllis Lucanus* 9, 891.

— Gens vnica terras
Incolit, à sæuo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli; par lingua potentibus herbis. &c.

Ceterum quemadmodum Psylli, vi Austri & spiritu obruti, ad vnum omnes interierint, fabulosè magis quam historice Herodotus 4, 173. *&* Gellius 16, 11. *prodiderant. Plutarchus quoque autor est* (*in Cat. min. c.* 82.) *Catonem iter per deserta Libyæ facilitantem, secum Psyllos duxisse, qui serpentum morsibus mederentur, venenum ore exsugentes, ipsasque serpentes incantationibus*

cantationibus habetarent. Beroaldus. Adde Dionem lib. 51. pag. 518. & seq. & Freinshemii notas ad Florum 4, 11, 10.

Ibid. (*d*) Quod periisse morsu aspidis putabatur] *Praeter historicos Galenus historiam mortis Cleopatrae fuse narrat, in libro de theriaca ad Pisonem. Quum autem tres ibi dicantur esse species aspidum,* ptyas, terrestris, & chelidonia; *quo genere perierit Cleopatra, nõ dicit Galenus. Solinus & Isidorus* hypnalen *appellant. Casaub.* Hypnale *ex eo dicta, quod somno* (ὕπνος) *necet. Vnde & Florus* 4, 11, 10. *de Cleopatra,* admotis ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est. *Sic* aspidum somnificam vim *appellat Plinius lib. 29. cap. 4. post princ. Addit:* aspides, percussos torpore & somno necant, omnium serpentium minime sanabiles.

12. (*e*) Antonium maiorem] Atyllum *vel* Antyllum *cognominatum, cui desponsatam antè filiam Augusti refert autor infrà* 63, 5. *A Theodoro pedagogo suo proditum, & proditorem ipsum, quod ejus jam obtruncandi collo gemmam furtim detraxisset, in crucem actum refert Plutarchus Ant. c.* 104.

Ibid. (*f*) Abreptum interemit] *An quia nefas videbatur, ad simulacrum eum trucidare? Statua certe Principum postea tutissimum ad eos confugientibus asylum fuere. Qua dere apud Iurisconsultos l.* 2. *De his qui sui vel al. jur. sunt. l.* 1. *De Off. pref. vrb. & titul. Cod. Iustiniani De his qui ad statuam confug. Torrentius Adde Lipsii Excursum F. ad Tacit. Annal.* 3.

13. (*g*) Cæsarionem] *de quo supra in Cæs.* 52, 3. *& Plutarchus Anton. c.* 71. *Hunc quoque suus pedagogus Augusto Cæsari prodidit, Rhodon per fraudem, quasi Cæsar eum in societatem imperii vocaret, ex fuga reductum. De eo cum sententias amicorum Cæsar exquireret, Arium philosophum dixisse ferunt,* οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη (*alluditur ad Homer. Iliad.* 2, 204) *h. e.* Cæsaris in multis nomen non expedit esse. *Plutarchus Anton. c.* 104.

Ibid. (*h*) Ex Cæsare Cleopatra] *Ita editio Sabellici, & Mss. Casauboni. Vulgo, ex* Cæsare patre Cleop. *vt infra* 45, 3. *Vide notata ad August.* 16, 8. (*f*)

14. (*i*) Reliquos &c. fouit] *Vide Plutarchi Antonium cap.* 110.

CAPVT.

CAPVT XVIII.

1 PEridem tempus (*a*) conditorium & corpus Magni Alexandri, cùm prolatum è penetrali subiecisset oculis, (*b*) corona aurea imposita, ac (*c*) floribus aspersis veneratus est: consultusque, (*d*) *num & Ptolemæum inspicere vellet, Regem se voluisse* ait *videre*, (*e*) *non mortuos*. ‖ Ægyptum, (*f*) in prouinciæ formam redactam, vt feraciorem habiliorem que (*g*) annonæ vrbicæ redderet, (*h*) fossas omnes, (*i*) in quas Nilus (*k*) exæstuat, (*l*) oblimatas longa vetustate, mi-
3 litari opere deterſit. ‖ Quóque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, (*m*) vrbem Nicopolim apud Actium condidit; (*n*) ludosque illic Quinquennales constituit: & (*o*) ampliato (*p*) vetere Apollinis templo, (*q*) locum castrorum quibus fuerat vsus, (*r*) exornatum nauali-bus spoliis, (*s*) Neptuno ac Marti consecrauit.

Num. 1. (*a*) Conditorium & corpus Magni Alexandri] *Quid appellat* conditorium? *an quam Strabo lib. vltimo* σόρον? *Ea erat arca olim ex auro, postea è vitro, in qua seruatum Alexandri M. corpus. Sic ait Plinius* 35, 12. defunctos multos fictilibus doliis condi voluisse. *Inde conditorium,* δήκη, λάρναξ. *An potius quem Strabo* [*libro* 17. *pagina* 546. *med.*] περίβολον *vocat, intelligit? Locus fuit vrbe media, sepulturæ regum destinatus, quem vocari ait Strabo* Σῆμα. *Sic enim legendum est, non* σῶμα, *vt habent etiam manu exarati. Didymus in prouerbio* ἔυνις ὁ σφάκλης; Media in vrbe monumentum construxit, quod ΣΗΜΑ [*Sepulcrum*] inde dictum. In hoc maiores vna cum matre composuit, in quibus Alexandrum etiam Magnum. *Petronius:* Iacuerunt ergo vnà, præclusis conditorii foribus. *Seneca* Conditiuum *pro eo dicit epistola* 60, *fin. &* 82. *pr. Plinius vterque* conditorium. *Amm. Marcellinus* 18, 22. conditorium muralium tormentorum *pro* ὁπλοθήκη. *Ceterum fuisse in media vrbe Alexandria conditorium Alexandri, etiam ex hodierna specie illius semirutæ vrbis potest constare: si vera sunt quæ leguntur apud Leonem Africanum, non contemnendum scriptorem; cuius verba sunt è libro* 8. *in descriptione illius vrbis.* Neque prætermittendum videtur, *ait*, in medio Alex-

andriæ ruderum, ædiculam instar sacelli constructam adhuc superesse, insigni sepulcro, magno à Machometanis honore affecto, memorabilem, quo Alexandri Magni corpus, summi Prophetæ ac Regis, velut in Alcorano legũt, asseruari contendunt. Concurrit autem ingens eò peregrinorum vulgus à longinquis etiam regionibus, colendi ac reuerendi sepulcri gratia, cui quoque magnas frequenter largiuntur eleemosynas. *De eodem conditorio vide quæ scribit Suidas in Severo sophista. Casaub.* Per conditorium *hic intelligi non Strabonis σκῆνος, h. e. circuitum, in quo regiæ erant sepulturæ, sed thecam siue loculamentum ipsum, argumento est, quod illud cum corpore Alexandri* prolatum è penetrali *scribit autor. Lucanus* 10, 19. *similia de Cæsare patre:*

Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellei proles vesana Philippi
Fælix prædo iacet, terrarum vindice fato
Raptus. Sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis. ———

Ibid. (*b*) Corona aurea] *Vereor ne quis mutauerit veram auctoris scripturam ex nostris moribus, quibus coronas aureas regibus imponunt. quod nunc temporis secus erat. Quapropter plane mihi persuadeo fuisse* corona laurea. *Cur enim coronauerit Alexandrum Augustus? honoris puto gratia. quod si fecit, vi fecit, cur potius aurum, quod & ipsi Romani imperatores aspernabantur, quàm laurum, quam tantopere æstimabant, imposuisset? Præterea aureæ coronæ nullus erat locus. non enim poterat testari regem, cùm illa nemo eorum vteretur, sed diademate potius, quæ fascia erat: at laurus loquebatur fuisse summum imperatorem, eoque coronatali dignissimum. Hinc est, quod apud. Val. Max. 5, 1, 6. ext.* Annibal M. Marcellum Punico sagulo & corona donatum laurea, rogo imposuit. *quamuis vt & hoc obiter moneam, non ibi scribendum sit* Punico sag. *sed* puniceo, *h. e purpureo, qui color erat imperatoriis dicatus paludamentis* [*Dixit aliqua Freinshemius ad Flor. 1, 5, 6. l.*] *Sic apud Silium* 10, 569. *idem Annibal Æmilium funerans,* ——— fulgentia pingui
Murice, suspirans, inicit velamina, & auro
Intextam chlamydem. ———

Quin amplius crediderim, eam coronam aut sibi detraxisse Augustum, aut fortasse fascibus: sed magis putem vi sibi. Similimo officii genere eundem

Alex-

Alexandrum honoranit Caracallus, nempe ornamentis sibi detractis. Herodianus 4,15. Ad Alexandri monumentum se contulit [*Bassianus*] paludamentumque purpureum, & claris speciosisque gemmis anulos conspicuos, balteumque, & si quæ alia gestabat elegantiora, dempta sibi, illius imposuit tumulo. *Hæc itaque plane similia sunt. nam & Caracallus, & Augustus, quæ eorum quisque æstimabat, contulerunt. Coronam lauream, quæ eádem librariorum sollertiá auro mutata fuerat, etiam Pompeio reddidit Lipsius apud Velleium* 2,40,7. *Porro videtur Augustus hoc facto imitatus ipsum Alexandrum. nam & hic Achillis tumulum coronauit. Vide Plutarch. Alex. cap.* 24.

Ibid. (*c*) Floribus aspersis] *Plinius* 21, 3. Etiam tunc coronæ, deorum honos erant, ac Larium publicorum priuatorumque, ac sepulcrorum, & manium. *Iuuenalis Satyr.* 7,207. Dii maiorum vmbris tenuem & sine pondere terram, Spirantesque crocos, & in vrna perpetuum ver &c. *Virgilius Æn.* 5, 79. *de Ænea ad Anchisæ sepulchrum*: Purpureosque iacit flores. *Et idem pulcherrime ex persona ipsius Augusti, Æn.* 6, 883. manibus date lilia plenis, Purpureos spargam flores. *Sed & Capitolinus vita M. Aurelii cap.* 3. Tantum honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret. *Adde exemplum Germanici Calig.* 3,6. *Vt omittam antiquas marmorum inscriptiones, quæ defunctorum vrnas rosis spargi ornarique quotannis ex testamento iubent. Quò referendum illud Tibulli* 2. *Eleg.* 4,47. Atque aliquis senior, veteres veneratus amores, Annua constructo serta dabit tumulo. *Possem & Græcos hac de re citare auctores: sed de re satis nota, iam dicta sufficiunt. Illud peculiare Græcis, quod apii coronas sepulcris imponebant. Vnde* apio iudigere *dicebant eos qui periculose ægrotabant. Plutarchus, quæst. conuiual.* 5, 3. *& in Timoleonte c.* 38. *& ex Græcorum libris Plinius* 20, 11. *Torrentius. Adde Kirchmannum de funerib. Rom.* 4, 3. *& Freinshemii Notas ad Florum* 2, 7, 14. *v. Pro* aspersis *pars Mss. Casaubon habet* aspersum. *ita quoque Pal. tert. teste Grutero: qui tamen* aspersis *malit vel ob membranarum antiquitatem.*

Ibid. (*d*) Num & Ptolemæum] *Lagi filium, Alexandri Magni successorem, conditorem illius regni, & supra omnes insignem intelligit Casaubonus: sic tamen vt non improbet Torrentium scribentem*, Ptolemæùm, *pro* Ptolemæorum

lemæorum, *scil. conditoria. Sequitur enim*, regem, ait, se voluisse videre, non mortuos. *Et alioquin sic legendum esse, ex Dione lib. 51. pag. 520. D. & Zonara tom. 2. pag. 161, 30, deprehendes: neque, si aliter legas, quemnam, cum plures Ptolemæi fuerint, hic ex eis significet, intelligere liquidò possis. Venit & illud in mentem, sicut* Mausoleum Cæsarum *dicit Suetonius Vesp. 23, 9. ita forte* Ptolemæum, *vel etiam* Ptolemeum, *Ptolemeorum conditorium appellatum esse.*

Ibid. (*e*) Non mortuos] *Ptolemæos puta: tanquam illi vere mortui sint, de quorum vita & obitu pariter siletur* [*ex Sallust. Catil. cap. 2.*] *Et tales nimirum fuere Ptolemæi, qui omnes post tertium male vixerunt, deliciis corrupti: omnium vero pessime quartus, & septimus, & vltimus Auletes, qui præter alia flagitia etiam choraulam exercuit.* [*vide Strabonem lib. 17. pag. 547. & seq.*] *Pæne simile est illud Alexandri Magni exemplum* [*apud Plutarchum Alex. c. 24.*] *qui cum Achillis statuam coronasset, interrogatus numquid & Paridis citharam videre cuperet, respondit:* Eam curæ sibi non esse: Achillis vero citharam se quæsiuisse, quaille fortissimorum virorum gesta & res inclytas decantare solebat. *Beroaldus.*

2. (*f*) Ægyptum in prouinciæ formam red.] *Constituto ibi Præfecto, qui inde* Augustalis *appellatus fuit. Strabo lib. 17. Vlpianus lib. 1. Pandectar.* De *offi. Præf. Aug. Tacitus Annal. 2, 59. Et, vt arbitror, Cornelius Gallus, poëta, primus Ægypto præfuit. Torrentius Sic alia quoque regna in prouinciæ formam redacta sunt. primum quidem omnium Siculum: deinde Macedonicum: mox Syriacum, Pergamenum, Cyrenaicum, Bithynum: nunc Ægyptus, & post Africa. Cur autem ipse Cæsar Ægyptum prouinciam facere sit veritus, indicat autor in Cæs. 55, 3.*

Ibid. (*g*) Annonæ vrbicæ] *Romanæ. nam ab vrbe* vrbicus & vrbanus *deriuatur: sicut ab oppido* oppidicus & oppidanus. *Gellius 2, 21.* Quid, inquam, oppidici dicitis mihi? [*Castigati codices habent hic* Opici, *non* oppidici.] *Quod autem Ægyptus esset annonæ Romanæ subsidium, docent Historici, & testatur Plinius in panegyrico c. 31. his verbis:* Percrebuerat antiquitus, vrbem nostram nisi opibus Ægypti ali sustentarique non posse. Superbiebat ventosa & insolens natio, quod victorem quidem populum, pasceret tamen. *Egesippus 2, 9. & Iosephus bell. Iud. 2, 16. tradunt, annonam quatuor mensium singulis annis populo Rom. ministrari ab Ægypto solitam. Beroaldus. Adde Marci Friderici Wendelini Aduranda Nili, capite 22.*

Ibid.

Ibid. (*b*) Fossas] *De Nili fossis atque aggeribus videri poterit Vlpianus l. 9. De extraord. criminibus, ac titulus Cod. Iustiniani De Nili aggeribus non rumpendis. Torrentius. Videntur confundi fossæ cum aggeribus, quæ bene distinguit Iustinus 2, 1, 20.*

Ibid. (*i*) In quas] *Pal. pr.* in quibus. *eademque lectio ad oram tertii, in quo* etiam quas, *sine illo* in. *Gruterus.*

Ibid. (*k*) Exæstuat] *Inundat incremento. Nili autem incrementum iustum est sedecim cubitorum: &, vt autor est Plinius 5, 9. in duodecim cubitis famem sentit Ægyptus: in tredecim etiam num esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias. Beroald. Alii tamen autores, & experientia horum temporum, à Plinio nonnihil abeunt. Omnino videndus, qui fuse hæc exequitur, Wendelinus in Admirandis Nili cap. 7.*

Ibid. (*l*) Oblimatas, *&c.* militari opere detersit] *limo obductas, per milites repurgauit, cæno obstructas patefecit.* Virgil. *Georg.* 3, 136.

—— Sulcos oblimet inertes.

Seneca vtitur eodem verbo quæst. natural. 4, 2. Nilus iuuat agros duabus ex caussis, & quod inundat, & quod oblimat. *Seruius ad Georg.* 4, 291. *Nilum ita dici existimat, quod νέον ἰλὺν, h. e. nouum limum trahat, eoque Ægyptum oppleat. Hanc historiam ita signat Sextus Aurelius:* Regionem Ægypti inundatione Nili difficilem, inuiamque paludibus, in prouinciæ formam redegit: quam vt annonæ vrbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit. *Beroald. Ceterum operâ militum ad hæc vsus Augustus, ex consuetudine Romana. quomodo Domitius Corbulo apud Tacitum* 13, 53. ne segnem militem attineret, inchoatum à Druso aggerem, Rheno coërcendo, absoluit. *Et Vopiscus de Imp. Probo cap.* 9. Milites otiosos esse numquam est passus. Exstant apud Ægyptum eius opera, quæ per milites struxit, in plurimis ciuitatibus. Pontes, templa, porticus, basilicas, labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit: paludes multas siccauit, atque in his segetes agrosque constituit. *Plura talia, nostræ militiæ desidiam exprobratura, legas apud Lipsium de Mil. Rom.* 5, 13.

3. (*m*) Vrbem Nicopolim apud Actium condidit] Apud, *id est, è regione. Graci modò πρὸς τῷ Ἀκτίῳ, modò ὑπὲρ τὸ Ἀκτίου. Sinum Ambracium*

ingredientibus ad dextram est Actium, vetustissimum Apollinis templum ab Augusto instauratum, & magnis reditibus dicatum: ad sinistram Nicopolis, libera ciuitas, Augusti opus & κτίσμα. Itaque vt κτίστην [*conditori*] *diuinos honores illi Nicopoli habebantur, eratque ibi apex honorum omnium, Augusti sacerdotium. Quare etiam anno nomen dabat sacerdos Augustalis, & in scribendis publicis aut priuatorum contractuum instrumentis, ad tempus notandum, nomen eius adscribebant. Casaubonus: qui hac excursu prolixo, ad finem libri differendo, demonstrat. Porrò solebant memoriam victoriarum, suarum hoc modo diuturnam reddere duces. Sic Alexander* Nicæam *condidit. Curtius 9, 3, 24. à victoria aduersus Indos parta sic appellatam, vt addit Arrianus lib. 5. pag. 114. c. & Diodorus 17, 95. Sic* Nicopolim *aliam ante Augustum condidit Pompeius, Mithridate victo. Dio lib. 36. pag. 28. B. & post eum Traianus,* indicium victoriæ contra Dacos. *Marcellin. 31. 16. Pertinet eo Lucianus in, Quomodo conscr. histor. pag. 687.* Quin & ciuitatem in Mesopotamia idem iam condidit, magnitudine maximam, & pulcritudine pulcerrimã. Adhuc tamen deliberat, an eam Nicæram à victoria nominari conueniat &c.

Ibid. (n) Ludos Quinquennales] *h. e. quinto quoque anno celebrandos: qui triplici certamine, Gymnico, Musico & Equestri, constabant, teste Dione lib. 51. pr. cui* Τὰ Ἄκτια *dicuntur: aliis* Agon Actiacus, *quem cum Olympiade concurrisse, & quidem Olympiade 187. primum Agona fuisse actum, ostendit ex Strabone Scaliger in lib. de Emendat. Temp. Vt autem Olympiacæ tetraeterides (seu quaternorum annorum illa spatia) vocabantur* Olympiades; *ita Actiaca,* Actiades. *Errant enim toto cœlo lexicographi, qui τὴν ἀκτιάδα* Atticam *interpretantur. Hos ludos etiam ad inferiora tempora durasse, patet ex hisce Mamertini in Gratiarum actione pro cons. ad Iulianum Aug. cap. 9.* Vrbs Nicopolis, quam D. Augustus in monumentum Actiacæ victoriæ tropæi instar extruxerat, prope tota conciderat. Certamen ludicrum, lustris omnibus solitum frequentari, intermiserat temporis mæsti deforme iustitium. *Beroaldus hic à Seruio deceptus, ad Actiacos hosce ludos putat allusisse Virgilium Æn. 3, 280. in honorem Augusti, κατὰ παρόνομα:*

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Verùm, docente Scaligero ad Eusebii Chronicon num. MDCCCCLXXXVIII. hoc potius accipiendum est de priscis ludis honori Apollinis Actii celebratis, Æneam, vt videtur, autorem habentibus: qui cum trieterici [*triennales*] *essent,*

essent, postea ab Augusto pentaeterici [quinquennales] sunt facti. Vide quoque Meursii Græciam feriatam in Ἄκτια. Hos ludos postea etiam Romæ institutos Dio tradit initio libri 53.

Ibid. (*o*) Ampliato] *Palatinus prim.* applicato. *Gruterus.*

Ibid. (*p*) Vetere Apollinis templo] *De hoc Thucydides 1, 6, 3.* Ad Actium Anactorii agri, templum est Apollinis, prope ostium sinus Ambracii. *Plinius 4, 1.* In ore ipso (*sinus Ambracii*) colonia Augusti Actium, cũ templo Apollinis nobili, ac ciuitate libera Nicopolitana. *De eodem accipiendus Virgilius Æn. 3, 275.*

Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Ibid. (*q*) Locum castrorum &c.] *Viderit lector, vtri potius assentiendum putet, Suetonio an Dioni. Tranquillus locum castrorum totum in templum ait versum, & hic & cap. 96, 6. Dio in castrorum loco vrbem Nicopolim fuisse ædificatam: templum, de quo loquitur Suetonius, in loco in quo fuerat Augusti tabernaculum. Ego Dionem potius sequar. video enim factum etiam aliás, vt quo in loco castra habuerant, ibi vrbem mox conderent Romani. Strabo lib. 4. pag. 142. m. de Augusta apud Salassos:* Augustus Cæsar missis Romanorum tribus millibus vrbem condidit, quo loco Varro castra habuerat. *Sunt & exempla alia non pauca. Non enim aliunde est, quod tam multæ Hispaniæ, Africæ, aliarumque regionum vrbes sub* Castrorum *appellatione reperiuntur. Casaub. Locus Dionis est initio libri 51. & consentit Zonaras t. 2. pag. 158. m. Dubites tamen, an hoc sibi velit Suetonius,* totum *castrorum locum in templum fuisse conuersum.*

Ibid. (*r*) Exornatum naualibus spoliis] *Beroaldus & Sabellicus hæc referunt ad naues illas decem, quas Augustum ex captis nauibus Apollini Actio consecrasse, scribit cum Dione lib. 51. pr. Strabo lib. 7. pag. 224. f. & seq. Et sane mos antiquus erat, post victoriam nauibus partam, captas naues deo qui fauisse videbatur, dicare, Neptuno plerumque: vt apud Thucydidem 2, 16, 11. Athenienses, & 2, 19, 14. Peloponnesii fecerunt. Sic Herodotus 8, 121. Veruntamen hæc* naualia spolia, *quibus locus castrorum exornatus, non nisi* rostra nauium *fuisse, cùm Dio ibidem asserit: tum patet ex hoc epigrammate Philippi, Anthol. 6, 25.*

Ἔμβολα χαλκογένεια, φιλόπλοα τείχεα πόντου,
Ἀκτιακῆ πολέμου κείμεθα μαρτύρια. h. e.

Ærea rostra, vagæ Neptunia mœnia classis,
Actiacæ cladis heic documenta sumus.

Sic Florus I, II, 10. Extant & parta de Antio spolia, quæ Mœnius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit. *Nam & ea spolia nihil aliud fuere quam rostra nauium. Vide ibi Fremshemii notam* s.

Ibid. (s) Neptuno ac Marti] *Videtur errare Suetonius. Nam & Strabo, & Dio aiunt* Apollini *templum hoc fuisse consecratum: quibus potius habendam fidem, assentietur mihi, opinor, qui meminerit & qua semper religione Apollinem Augustus, vt omnium sibi bonorum auctorem vereque parentem coluerit: & contra quàm parum sibi amicum numen Neptunum crediderit, quamque ipse parum Neptuno amicus. Suetonio qui locum, vt puto, non viderat, & Actiacam victoriam in mari quæsitam nouerat, imposuit mos communis, cuius in historiis multa testimonia.* Casaub. *Pro Suetonio dixerim, ei sermonem hic esse non de templo (nam illud vtique Apollini sacrum vt antiquitus fuit, sic postea manfit) sed de castrorum loco spoliis exornato. Nec adeo mirum, Augustum in gratiam rediisse cum Neptuno, cuius numen adeo propitium in hac victoria fuit expertus.*

CAPVT XIX.

TVmultus post hæc, ac etiam rerum nouarum initia, (a) coniurationesque complures, prius quam inualescerent, (b) indicio detectas compressit. (c) & alias alio tempore: (d) Lepidi iuuenis, (e) deinde Varronis Murenæ, & Fannii Cæpionis, mox (f) M. Egnatii, exin (g) Plautii Rufi, Luciique (h) Paulli progeneri sui: ‖ ac præter has L. Audasii, (i) falsarum tabularum rei, ac (k) neque ætate neque corpore integri. item (l) Asinii Epicadi ex gente Parthyna hybridæ: (m) ad extremum Telephi mulieris serui nomenculatoris. Nam ne (n) vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. ‖ Audasius atque Epicadus Iuliam filiam & Agrippam nepotem, (o) ex insulis quibus continebantur, (p) rapere ad exercitus: Telephus, quasi (q) debita sibi fato dominatione, & ipsum & senatum aggredi, destinauerant. ‖ Quinetiam quondam iuxta cubiculum eius (r) lixa quidam ex Illyrico exercitu, ianitoribus

bus deceptis, noctu deprehensus est, (s) cultro venatorio cinctus; impos ne mentis, an simulata dementia, incertum. nihil enim exprimi quæstione potuit.

---

*Num.*1. (a) Coniurationes] *Quarum meminere Seneca de Clem. 1,9,6. & de breuit. vitæ 5,5. Tacitus* 1,10,9. *Velleius* 2, 91. *& 92. Dio diuersis locis. Toties insidiis petitam Augusti vitam, inter eius infortunia Plinius enumerat* 7,45.

Ibid. (b) Indicio detectas] Index *est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Beroaldus ex Asconio.* Indicium, *talis delatio detectio que: quæ &* indicina *dicitur Apuleio.* Indicare *pro indicium facere, Sallustius habet Cat.* 47. Indicium *est etiam ipsa merces indicis (τὸ μήνυτρον) l. 4. in fin. & ibi Gothofr. de condict. ob turp. causs. non aliter ac* vectura *pro naulo seu vectura mercede sumitur apud Senecam Benef. 6,15,5.*

Ibid. (c) Et alias] *Copula & non visitur in Palat. pr. aut sec. Gruterus. nec est necessaria.*

Ibid. (d) Lepidi iuuenis] *A. V. DCCXXIIII. dum Augustus reliquias belli Actiaci conficit: extinctus est vigilantia Mæcenatis vrbis custodiæ præpositi. Casaub. Fuit hic M. Lepidi triumuiri ex Bruti sorore filius, Antonii gener. Meminit Dio lib. 54. pag. 607. E. Liu. epit. 133. Vide Velleium* 2, 88.

Ibid. (e) Deinde Varronis Murenæ, & Fannii Cæpionis] *Sequitur ordinem quem Liuia apud Senecam,* [*clem.* 1,9.] Saluidienum Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Cæpio, Cæpionem Egnatius. *At Dio lib. 54. pag. 598. vnam, non duas facit coniurationes Murenæ & Cæpionis: hunc, præcipuũ machinatorem doli: illum, seu vere seu falso creditum participem. Accidit octennio post superiorem. Casaub. Hosce duos autor ipse quoque iungere videtur, vt complices vnius coniurationis: cuius meminit item infra 66, 6. & Tib.* 8, 3. *præterea Strabo lib.* 14. *pag.* 461. *& Macrobius Saturnal.* 1,11. *Torrentius haud ab re miratur, nullam hic ab autore mentionem fieri coniurationis L. Cornelii Cinnæ, Pompeii ex filia nepotis, ex qua ob insignem clementiam Augustus vel præcipuam laudem tulit. Vide Senecam Clem.* 1,9. *& Dionem lib. 55. pag. 638. & seqq. quamuis de prænomine dissentiunt. ille enim* Lucium, *hic* Cnæum *appellat. Ioan. Brodæus*

Miscellan. 2,27. *ad hanc Cinnæ coniurationem refert locum Valerii Max.* 9, 11. *fin. male. nam ibi de Seiano Tiberioque sermo.*

Ibid. (f) M. Egnatii] *Res nouas molitus est triennio post Murenam & Cæpionem, cos. Q. Lucretio Vispillone, C. Sentio. Auctor Velleius* 2, 91, 3. *Dio lib* 53. *pag.* 587. D. *ad annum* DCCXXVIII. *qui cos. habuit Cæsarem* VIII. *& T. Statilium Taurum* II. *aut certe ad proximum videtur referre, in quo magna est temporum diuersitas, annorum fere septem. Seneca, qui modo* Egnatium [*Clem.* 1, 9, 6.] *modo* Egnatios [*Breu. vit.* 5, 5.] *nominat, innuere videtur, conspirasse cum hoc vel fratrem, vel alium eiusdem gentis. In Mss. plerisque offendimus* Genatii *vel* Genutii. *apud Dionem,* μάρκ@ ὁ Γνάτι@ Ρο@. *Casaubon. Palatinus tert. Grutero teste* Cenati, *prim. & sec. vt & Torrentianus codex,* Genati. *Vnde Turnebus Aduers.* 24, 15. M. Genutii *rescripsit.*

Ibid. (g) Plautii Rufi) *Membranæ* Plantii Rufi. *Tempus coniurationis huius notatum non reperio à veteribus historicis, nec sequentium quoque aliquot. Casaub. Palat. pr.* Plauti: *sec.* Planti: *tert.* Plauci. *Gruterus.*

Ibid. (h) Paulli progeneri] Socer Magnus *dicitur vxoris meæ auus, qui &* prosocer *dicitur, & ego sum illius* progener: *& auus meus socer magnus est vxoris meæ, illa illi* pronurus. *autor Modestinus IC.* [*l.* 4 §. 6. *vers. potest. de gradib. & affinit.*] *Lucium Paullum, progenerum Augusti appellat Suetonius, quia Iuliam illius neptem vxorem habebat, sicut inferius* 64, 1. *declarabitur. Seneca epist.* 21, 6. Tiberium *appellat* progenerum Pomponii Attici, *quia vxorem duxerat Agrippinam illius neptem ex M. Agrippa genitam. Beroaldus. Vtitur hac voce Tacitus* 3, 75, 1. *&* 6, 45, 4. *&* Hist. 5, 9, 8.

2. (i) Falsarum tabularum rei] falsarii. *Ad legem Corneliam de falsis declaratur, eum pœna falsarum tabularum teneri, qui testamentum deleuerit, resignauerit, quiue testamentum falsum scripserit, qui in tabulis falsum fecerit. Ea vero pœna deportatio est, & omnium bonorum publicatio. Beroald.*

ibid. (k) Neque ætate, neque corpore integri] *Senio & morbo confecti. an Taciti, verbo* corpore, infamem *intelligi? vix crediderim.*

Ibid. (l) Asinii Epicadi ex gente Parthyna hybridæ] *Recte sic Pulmannus, auctoritatem Turneb:* (*Aduersar.* 24, 15.) *secutus. De Parthynis enim, quæ gens in Illyrico est, triumphauit Asinius Pollio A.V.C.* DCCXV. *Ex qua-*

gente

gente Epicadus iste, Pollionis seruus, postea manumissus, patroni nomen tulit, & propter obscurum ius ciuitatis, aut aliam forte ob causam, Hybrida *vocatus est, vt Q. Varius tribunus pl. apud Val. Max. 8, 6, 4. Adde de C. Antonio, Ciceronis collega, locum Plinii 8, 53. & si lubet, epigramma Martialis in Cinnam lib. 6, 39. [item 8, 22.] Fuit & Cornelius Epicadus, Sullæ libertus, nobilibus Grammaticis additus à Suetonio. Eiusdem, ni fallor, historiam fabularem citat Macrobius Saturnal. 1, 11. fin. Parthinorum meminit & Liuius 27, 32, 11. & 29, 12, 3. Hæc Torrentius. Casaubonus illud* hybridæ *in Mss. quibusdam non recte omitti scribit: ita vero accipiendum esse, vt in isto Hirtii de bello Africano cap. 19.* Præterea ex fuga prælioque Pompeiano, quos secum à Brundisio transportauerat, equites Germanos Gallosque, ibique postea ex hybridis libertinis seruisque conscripserat. *vbi vocat* hybridas *Numidarum abiectissimum quemque, è libertinis seruisque prognatum.* Hybrida *proprie fœtus est ex imparibus parentibus, vt ex apro & sue, fero vno, domestico altero conceptus: vel canis ex venatico & gregario &c. Ab animalibus ea appellatio ad homines quoque transfertur, vt hybrida sit, qui vel ex ingenuo & seruo, vel ex seruo & libertino natus est: item qui diuersæ nationis parentes habet: sicut Antisthenes patrem Atheniensem, matrem Phrygiam: & hoc loco Epicadus patrem Parthinum, matrem Italicam. Hybridas eiusmodi liberos quos è feminis Indicis Lusitani tollunt*, Mestizos *(quasi mixtitios dicas) appellari scribit Io. Hugo Linscotanus Itinerar. cap. 29. princ. Sed & Gregoras 4, 12.* Gasmulicorum *gentem nominat, quam Pachymerius hist. Byzant. 3, 9. à permistione sic appellatam ait, quod à Latinis viris, & Romanis (h. e. Græcis) mulieribus illi nascerentur. Denique dicitur hybrida, qui mixto sermonis genere vtitur, vt homines peregrini fere solent, indigenis mixti: quomodo exponunt locum Horatii lib. 1. satyr. 7, 2. Dictiones hybridæ quænam dicantur, ad Cæs. 56, 6. indicatum est. Cæterum de vocis etymo non inter omnes conuenit. Primæ notæ Grammatici ab* ὕβρις *aut* ὑβρίζειν *deriuant, quod inter cetera (sicut & Latinis* illudere) *stupri & adulterii significationem habet, eo quod fœtus talis adulterinus quasi videatur. Sed magnus Scaliger ad Varronem de re rust. pag. 218.* Vmber, *inquit, apud veteres significabat spurium. Vnde apud Plinium 8, 49. insititium quoddam genus ouium Vmbri dicuntur, vt apud Græcos* ὀμβρίκαλοι. *Sed* Ibrum *ne, an* Imbrum, *an* Vmbrum *dicas, nihil refert. In veteri Glossario,* Imbrum, ἡμίονον, παρόβαλον. *Item* Iber, ἡμίονος. *Ab eo certe Ibridas spurios vocarunt. Vt & Galli eosdem vocabulo illo dicunt, quo venatores*

nominant canem Lyciscam, ex cane lupoque conceptam. Igitur ab iber *est quasi patronymicum* ibrides, *& Latina terminatione* ibrida: *sicut Pelopides & Pelopida promiscue dicitur. Quæ cum ita sint,* Ibrida *ubique, non* hybrida *scribendum fuerit, nisi alterum hoc per ignoratam, aut male creditam originationem nimis inualuisset.*

Ibid. (m) Ad extremũ Telephi &c.] *Refero illa, ad extremum, non ad insidiarum ordinem. nam si Senecæ fides* [*de Clem. 1, 9, 13. & Dionis lib. 55. pag. 645. A.*] *posti Cinnam nemo Augusti vitæ insidiatus est: sed ad ordinẽ narrationis, quæ in hoc desinit: vel ad personæ vilitatẽ. ideo subiecit,* Nam ne vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. *De his postremis sentit Liuia apud Senecam* [*de clem. 1, 9, 6.*] *quum ait,* Vt alios taceam, quos tantum ausos pudet. *nam si pereundum est,* ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου [*saltem de nobili ligno*] *inquit vetus dictum. In Telepho omnia indigna: quod seruus, quod mulieris, quod fartor, siue, quod idem est,* nomenculator. *ita scriptum in antiquissimis libb. vt in Pandectis quoque Florentinis, pro* nomenclator: *vt* figulinæ, *pro figlina, &* exempulum, tempulum, *ac similia. Hos seruos fere Afros fuisse, coniicio ex Luciano de Mercede conductis, vbi inter miserias degentium in aulis magnatum, hæc ponit:* perdurare cum protruderis, cum excluderis foribus: cum improbus interdum ac importunus videris: cum ianitori male Syrisanti, ac nomenclatori Libyco subiiceris, cumque nominis tui memoriam mercede redimere cogeris. *Quo ex loco id etiam intelligimus, in potentiorum familiis fuisse nomenclatores, vt hostiarios: quos vides à Luciano iungi, vt similis ministerii, & paris dignationis. Similiter Seneca in libello, In sapientem non cadere iniuriam, cap. 14.* Quidam se à cinerario impulsos molestè ferunt, & contumeliam vocant hostiarii difficultatem, nomenclatoris superbiam, cubicularii supercilium. *Nomenclatorum ministerium non ad prensationes tantum candidatorum pertinuit: sed ad salutationes matutinas, & dispositionem conuiuarum, aliaque talia. Plinius 33, 1. fin.* Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac seruorum quoque cauſſa nomenclator adhibendus. *Non tam igitur quisquam miretur cum eruditissimo Torrentio, mulieri seruum fuisse nomenclatorem. Casaubonus. Pro* mulieris *Palatinus pr.* Zulieris, *tert.* militis *Est qui* mulionis *emendat. Sed vulgata nihil verius, iudicio quoque Gruteri.*

Ibid. (n) Vltimæ sortis] *abiectissimæ conditionis. Huc facit adagium,* Scarabæus aquilam.

3. (o)

3. (o) Ex insulis] *Agrippam quidem ex Planasia, Iuliam Pandateria.*

Ibid. (p) Rapere ad exercitus: Telephus] *Vulgo scriptum est*, raperer Ad extremum Telephus. *ineptissime. Emendauimus primum ex coniectura: deinde ex editione Rob. Stephani. nam Viterb. ac vett. alii codd. corrupti sunt. Casaub. Correctionem firmat quoque Palat. secundus. Gruter.* Eadem ratione seruus Agrippæ Clemens, comperto fine Augusti, pergere in insulam Planasiam, & fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non seruili animo concepit. *Tacitus 2, 39, 2. Agrippina quoque monita*, perfugeret ad Germaniæ exercitus, *quorum scilicet præsidio contra Imperatorem protegeretur. Idem. 4, 67, 9.*

Ibid. (q) Debita sibi fato] *Imp. Titi dictum*, Principatum fato dari, *refert autor Tit. 9, 2. E contrario Lampridius in Heliogab. c. 34.* Imperatorem esse, fortunæ est. Nam & minus boni reges fuerunt, & pessimi. *Quanquam hoc ipsum quoque, si rem putes, à fato est. Porro Telephi exemplo simillimum est Lentuli apud Sallustium Catil. 47. m. qui & ipse debiti sibi fato imperii opinione deceptus, res nouas infeliciter agitauit. Quæ causa præcipua, cur olim in Romana Rep. capitale fuerit, promissa Chaldæorum in spem imperii consulere: vel eosdem super salute & Domo Principis interrogare. Exempla sunt in Tacito 2, 27, 3. 3, 22, 2. 12, 22, 1. 12, 52, 1. 16, 14. G. Marcellin. 29, 17. &c. Adde Piccart. Obseruat. decad. 12, 7.*

4. (r) Lixa) *militaris seruus.*

Ibid. (s) cultro venatorio] *Martialis ad lemma* Culter venatorius:

Si desecta gemes grandi venabula rostro,
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Hinc ad cultrum locare se, *est venatorem fieri, apud Senecam epist. 87, 11.*

CAPVT XX.

1 EXterna bella duo omnino (*a*) per se gessit: (*b*) Dalmaticum, adolescens adhuc: & (*c*) Antonio deuicto, Can-
2 tabricum. ‖ Dalmatico etiam vulnera excepit: vna acie, dextrum genu (*d*) lapide ictus; (*e*) altera & crus & vtrumque brachium (*f*) ruina pontis consauciatus. ‖ Reliqua per le-
3 gatos administrauit: vt tamen quibusdam Pannonicis, at-

que Germanicis (g) aut interueniret, aut non longe abesset; Rauennam vel Mediolanum, vel Aquileiam vsque ab vrbe progrediens.

Num 1. (a) Per se] *Suo ductu, non per legatos. Vide mox* 21, 1.

Ibid. (b) Dalmaticum adolescens adhuc] *annum agens trigesimum. Appianus in Illyricis clare arguit. Recte igitur* adhuc: *vt intelligamus de extrema adolescentia. Casaubonus. Appianus sine Illyr. scribit, Augustum è Dalmatico bello rediisse Romam ad ineundum consulatum cum Volcatio Tullo. (vitiose ibi* Barbatio *scriptum) Is consulatus incidit in annum ab V. C.* 720. *Natus autem Augustus anno V. C.* 690. Dalmatæ, *gens Illyrica. Plinius* 7, 45. *hoc bellum* Pannonicum *vocat, ob gentium forte vicinitatem.*

Ibid. (c) Antonio deuicto Cantabricum] *Quod confectum est anno V. C.* 730. *à morte Antonii, sexto, Dio lib.* 53. *Orosius* 6, 21. *auctor est, duraſſe id bellum annos quinque, susceptumque ab Augusto anno V. C.* 726. *Eusebius in Chronico ad annum tertium Olympiad.* 188. Augustus Calabriam & Gallos vectigales facit. *Scribe,* Cantabriam. *Etsi in fastis Graecis, vbi extant verba ipsa Eusebii, sic scriptum reperi:* Ἄγυστος Καῖσαρ Καλαβείαν καὶ Γαλάτας ὑποτέλεις ἐποίησε. *Sed* Καντάβειαν *scribendum. Ex eodem Eusebio discimus, mouisse etiam postea Cantabros. Sic enim scribit ad annum primum Olympiad.* 190. Cantabri res nouas molientes opprimuntur. *Casaubonus. Augusto victori Romam à bello Cantabrico redeunti gratulatur Horatius lib.* 3. *Od.* 14. *eumque diutius eius belli causſa abesset, populi ac senatus ingens desiderium pulcherrime describit lib.* 4. *Od.* 5. *Per se ergo bellum illud Augustus gesſit. Cui tandem Agrippa finem imposuit. Torrentius. De hoc bello consulendi quoque Strabo lib.* 3. *pag.* 107, 47. *Velleius* 2, 90. *Florus* 4, 12, 46. *& Eutropius* 7, 12. Cantabri, *Tarraconensis Hispaniæ populi, ad Septentrionem Oceano, qui* Cantabricus *inde dictus, propinqui.*

2. (d) Lapide ictus] *Ad Setouiam Illyrici vrbem. Appianus Illyr. fin.*

Ibid. (e) Altera & crus] *Abieci vocalem* autem, *quæ sequebatur in vulgatis post* altera; *quod non agnosceret vllus Palatinorum: & testaretur suis etiam ductibus abesſe Torrentius. Grut.*

Ibid. (f)

Ibid. (*f*) Ruina pontis] *Pontem intelligit, qualem describit Vegetius* 4, 21. *Plinius* 7, 45. turrim *appellat: item Dio* [*lib.* 49. *pag.* 471. *D.*] Cæsarem ipsum, à lignea turri quadam murum conscendere conatum, grauiter sauciauerunt. *Sed Appianus* [*in Illyric. pag.* 764.] *expressius: ex quo etiam apparet in verbis Suetonii ὕστερον πρότερον,* [*inuersus narrationis ordo.*] *prius enim acceptum vulnus, quod secundò loco memoratur. Aliter hæc Florus* 4, 12, 7. *Casaub. Putes autorum illa loca non discrepare. nam eodem recidit, seu dicas è turri cecidisse, siue è ponte turris, ad vrbis oppugnatæ mœnia pertinente. In hoc tamen à ceteris Dio dissentit, quod ab hostibus vulneratum Cæsarem scribat: reliqui ruina pontis consauciatum. Florus autem de ponte loquitur, quo flumina iungi solent, non de obsidionali, vt ceteri.*

3. (*g*) aut interueniret] *Respiciunt hùc verba ciuitatis apud Tacit.* 1, 46, 3. An Augustum fessa ætate totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis, sedere in senatu, verba patrum cauillantem? *Nimirum* vbi summus imperator non adest ad exercitum, citius quod non facto est vsus, fit, quam quod facto est opus. *Plautus Amphitr.* 1, 3.

CAPVT. XXI.

1 DOmuit autem (*a*) partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam, (*b*) Aquitaniam, (*c*) Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item (*d*) Rhætiam, & Vindelicos, (*e*) ac Salassos, gentes Inalpinas. ‖ Coërcuit & (*f*) Da-
2 corum incursiones, tribus eorum ducibus (*g*) cum magna copia cæsis; (*h*) Germanosque vltra Albim fluuium summouit: ex quibus (*i*) Sueuos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit. Alias item nationes (*k*) male quietas ad obsequium
3 redegit. ‖ (*l*) NEC vlli genti sine iustis & necessariis cauſis bellum intulit. (*m*) Tantumque abfuit à cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriã augendi, vt quorundam (*n*) barbarorum principes in æde (*o*) Martis Vltorisin-

ris iurare coëgerit, *manſuros ſe in fide ac pace quam peterent*: ‖ (p) à quibuſdam verò nouum genus obſidum fœminas exigere tentauerit: quod negligere (q) marium pignora ſentiebat. & tamen poteſtatem ſemper omnibus fecit, quoties vellent, obſides recipiendi. ‖ Neque aut crebrius aut perfidioſius rebellantes, grauiore vmquam (r) multatus eſt pœna, quam, (s) vt captiuos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſeruirent, (t) neue intra x x x annum liberarentur. ‖ Qua virtutis moderationiſque fama, (u) Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani vltro per legatos petendam. ‖ (x) Parthi quoque, & (y) Armeniam vindicanti facile ceſſerunt; & ſigna militaria quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt; (z) obſideſque inſuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, nonniſi ab ipſo electum comprobauerunt.

Num. 1. (a) Partim ductu, partim auſpiciis] Ductu, *hoc eſt per ſe*: auſpiciis ſuis, *id eſt per legatos. Sic in veteri inſcriptione apud Plinium* 3, 20. *de eodem Auguſto.* QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIIS Q. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QVÆ. A. MARI. SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT. SVB. IMPERIVM. P. R. SVNT. REDACTÆ. *Seneca paullo aliter epiſtola* 33. *de Epicureis, qui omnia ſemper ad vnum ſectæ ſuæ ἀρχηγόν* [*ducem*] *referebant*: Omnia quæ quiſquam in illo contubernio locutus eſt, vnius ductu & auſpiciis dicta ſunt. *Caſaubon. Confundit eadem Soſia Plautinus Amphitr.* 1, 1, 41. *vbi de hero Amphitruone loquens, qui contra Theleboas militauerat, ait*: vt geſſerit rem pub. ductu, imperio, auſpicio ſuo. *& ipſe Amphitruo* 2, 2, 25. eos auſpicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus. *Nam vere Creontis Thebani regis auſpiciis bellum patratum fuerat. Diſtinguit tamen cum auctore noſtro Tacitus* 2, 41, 1. *& Curtius* 6, 3, 2. *Adde Lipſii Militiam Rom.* 2, 12. *princ. & Gruteri diſcurſ.* 1. *ad Tacitum.*

Ibid. (b)

Ibid. (*b*) Aquitaniam] *De Aquitanis triumphum retulit Messala A. DCCXXVI. vt testatur vetus quæ hodieque extat inscriptio. Tibullum vide eleg. 8. lib. 1. & lib. 4. & ibi notata à nobilissimo Scaligero. Casaub. Aquitaniam, Comatæ Galliæ partem, ab Augusto triplicem institutam docet Paullus Merula Cosmograph. 2, 3, 38. primam Biturigum Cuborum: secundam, Biturigum Vibiscorum: tertiam totam Trans-Garumnaam. Istius caput, Auaricum: illius, Burdigala: huius, Augusta Ausciorum.*

Ibid. (*c*) Pannoniam] *Diu tractum bellum. Vide Dionem. Velleius 2, 96. initium eius referre videtur in annum DCCXXXV.* Subinde, *ait*, bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippæ, [*ita docte emendat Lipsius*] M. Vinicio auo tuo consule, magnum atroxque, & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est. *Plura de illo bello, & reliquis quæ deinceps commemorantur, idem Velleius paullo post. Casaubonus. cuius excursum de originatione vocis Pannonum ad finem reiicimus.*

Ibid. (*d*) Rhætiam & Vindelicos] *Hoc ipsum omnes alii: Victor de Cæsaribus, Florus, Eutropius, &c. Nec refert quod Epitome Liuii 136. & Velleius 2, 39, 5. Tiberio subiugationem harum gentium tribuunt: vt fecit autor ipse Tib. 9, 5. Nam vtique Augusti auspiciis hæc gesta fuere. Porrò Rhætos à Vindelicis esse diuersos, contra Welserum ostendit Cluuerius in Vindelicia cap. 3.*

Ibid. (*e*) ac Salassos, gentes Inalpinas] *Fortasse*, Salassos, aliasque gentes Inalpinas. *ex inscriptione quam modò* [*proxima nota* a.] *protulimus. Casaub. Torrentius in suis codd. vt & in Palatinis duobus Gruterus, reperit lectionem quam edidimus: in tertio, pro* Inalpinas *est* Cisalpinas. *Vulgati alii habent* Alpinas, *vt est etiam in Tib. 9, 4.* Inalpinas *restituerunt primi P. Victorius, & Glareanus. Sic & Turnebus legit aduers. 24, 15. Vtitur ea voce Brutus ad Ciceronem in familiarib. 11, 4. Quantum ad Casaub. putem emendationem non esse necessariam, cum & Rhæti & Vindelici sint Alpini. Salassos Augustum funditus delesse, & omnes sub corona ven. id sse, Strabo refert lib. 4. pag. 142.*

2. (*f*) Dacorum incursiones] *Florus* 4, 12, 18. Daci montibus inhærent, Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto, gentem aditu difficillimam submouere. Misso igitur

Lentulo, &c. *Dacia Transsiluaniam, Wallachiam & Moldauiam hodie complecti putatur.*

Ibid. (*g*) cum magna copia] *h. e. multitudine militum. Ita Tacitus* 2, 52, 4. leui cum copia [mit wenig volcks] & 4, 4, 8. Quæ tum Romana copia in armis. *Cicero ad Att.* 8, 17. *m.* Brundusium ducerem hanc copiam. *Ergo male Grammatici vocem eam hac notione pluralem tantum faciunt.*

Ibid. (*h*) Germanosque vltra Albim fl. submou.] *Florus* 4, 12, 26. Victor Drusus, in tutelam prouinciarum, præsidia atque custodias vbique dispossuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. *Cas. Velleius* 2, 106. Duce Tiberio, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium à Rheno vsque ad flumen Albim, Romanus cum signis perductus exercitus. *Strabo lib.* 7. *pag.* 203, 53. *tradit, Romanos Albim fl. non transcendisse.*

Ibid. (*i*) & Sicambros ded. se trad. in Gall.] *Tacitus Annal* 2, 26. *ex epistolis Tiberii ad Germanicum*: Se nouies à D. Augusto in Germaniam missum, plura consilio quàm vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suenos. *Quod ait Suetonius, &* Sicambros & Sueuos *in ripam Gallicam esse translatos; de Sicambris facile assentior. Ea enim gens, sicut & Vbiorum, ad latus Rheni Teutonicum olim sita, perpetuis Sueuorum incursionibus vexata, facilis transduci. Idem & Strabo* [*principio libri* 7.] *videtur sentire, cum scribit de ea ripa Rheni*: Huius partis populos Romani partim in Galliam traduxerunt: reliqui migrauerunt in penitiores Germaniæ partes, vt Marsi. sed & Sicambrorum exigua restat portio. *Aut partem aliquam Sicambrorum remanere in veteri patria: reliquis videlicet in Galliam transductis. De Sueuis vellem parcius locutum Suetonium. nam quis veterum geographorum aut historicorum Suenos in Galliam transisse, præter Suetonium? Sed Pithœi codd. præferunt* Seubos. [*Palat. secundus* Sueos. *Gruter.*] *in qua scriptura vestigium vt puto latet veræ. nam reiecto* [*in finem superioris vocis, minima mutatione feceris* Vbios. *Strabo lib.* 4. *pag.* 134, 17. Vbios Agrippa traduxit intra Rhenum. *Ita igitur legimus, & accuratissimum scriptorem eum absolutimus: præsertim cum testetur Vrsinus ita scriptum in suis Mss. Casaub.. Hanc emendationem probat, & in editione sua repræsentat Gruterus.*

tus; vtut Palatini duo, cum vulgatis Sueuos *præferant. Hæreo tamen adhuc dubius an assentiendum. Præter quam enim quod* Sueos & Seubos *promptius est in* Sueuos *mutare, quam in* Vbios; *etiam locus Dionis, quo maxime Casaubonus nititur, ab Agrippa, non Tiberio, traductos facit Vbios. Iuuat & adductus initio locus Taciti 2, 26. Cum enim certū sit, Sueuos iuxta ac Sigambros a Tiberio in deditionem acceptos; etiam credibile est, vtrosque in alias sedes traiectos. Nam tanta hominum multitudo in suis relicta sedibus, bona fide quietura non fuerat. Quo consilio Carolum quoque Magnum Saxones sæpe rebelles, in Belgicæ oris posuisse, & hac translatione domuisse, Cranzius autor est lib. 2. Saxoniæ, cap. 4. Numerum autem traductorum in Galliam exprimit Noster, Tib. 9, 5. Argutissimæ in his diligentiæ Cluuerius Germ. antiq. lib. 3. cap. 5. pag. 20.* Sueuos *& ipse retinet, sed explicat Catos. quem vide.*

Ibid. (*k*) Nationes male quietas] *h. e. inquietas. dictum vt* male forte genus *apud Ouid. Fast. 3, 102. Nationes eas habes apud Florum 4, 12. & Liu. epit. 138.*

3. (*l*) Nulli genti sine iustis & necess. caussis bell. int.] *Non ea sententia Dionis: qui Pannonios ab Octauio nulla ne minima quidem re lasso, bello petitos scribit lib. 49. pag. 472. pr. Casaub.*

Ibid. (*m*) tantumque afuit à cupidit. quoquo modo imperium aug.] *Hunc Augusti animum testatur eius de Alexandro dictum, quod Plutarchus refert* [*Apophtheg. c. 46. Mirari se, Alexandrum non existimasse maioris esse operæ, imperium partum bene constituere, quam parare.*] *Dederat idem & moriens tale consilium suis: quod tamen non defuere qui secus interpretarentur. Tacit. 1, 11.* Addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per inuidiam. *Dio lib. 56. pag. 677. E.* Consilium iis dedit, vt contenti præsenti fortuna non cuperent fines imperii proferre. *Deinde caussas adiicit. Casaub.* Quippe periculum, *inquit*, erit, ne plura appetendo, parta quoque amitterent. *Quod accidisse sibi fatetur Annibal apud Liuium 30, 30.* Ita aliena appetiuimus, vt de nostris dimicaremus. *Pertinet huc oratio sapientissima Scytharum ad Alexandrum, apud Curtium 7, 8 & factum Scipionis in Val. Max. 4, 1, 10. Porro suum hoc institutum extollit Augustus ipse in Iuliani Cæsaribus*: Qui immodica dominandi libidine non vincerer, haud quaquam profecto id studebam, vti omnia quæ vbique sunt, ad Reip.

Rom. imperium adiungerem: sed duos veluti terminos, quos ipsa dederat natura, posui, Istrum atque Euphratem. Dein Scythis Thracibusque domitis, quod superfuit otium sic egi, vti non bella quærerem ex bellis; sed leges conderem, &c.

Ibid. (*n*) Barbarorum] *Sic Romani vocarunt omnes extra limites Imperii sui, Græcis exceptis: à quibus tamen ipsi vicissim audierunt Barbari. Cato apud Plinium 29, 1.* Nos quoque [*puta Romanos*] Græci Barbaros dictitant. *Et Pyrrhus Romanam conspicatus aciem;* Ordo hic, *inquit*, Barbarorum non est barbarus. *Plutarch. in Pyrrho c. 34. Nec id nomini abnuit Plautus Mil. 2, 2, 56. de Nanio: neque Lucilius, qui de suis historiis dixit*, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quædam & *σόλοικα* dispersisse. *Cicero ad Attic. 1, 19. fin. Ægyptios item, omnes τοὺς μή σφι ὁμογλώσσους, qui alia quam ipsi lingua vtantur, appellare Barbaros, annotauit Herodotus 2, 158.* Ita *D. Paulus ad Corinth. 1. cap. 14, 11. Ouid. Trist. 5, 11, 37.*

Ibid. (*o*) æde Martis vltoris] *De hac infra 29, 1.*

4. (*p*) à quibusdam vero nouum gen. obsid. fœminas exig.] Nouum, *hoc est inusitatum, ea præsertim ætate. alioquin res non erat noua: neque id Suetonio ignotum puto, vt visum quibusdam. Factum olim à Romanis in Cloelia, factum à Græcis non semel; item ab Asdrubale in Hispania. Polybius 10, 32.* Asdrubal suspectam sibi eorum fidem prætexens, pecuniæ vim magnam, atque in locum obsidum vxores ipsorum & filias ab iis exegerat. *Et initio libri 8. eiusdem grauis illa posita est sententia:* Credere quidem prorsus nemini, amittere est facultatem rerum gerendarum: at vbi pignora fidei idonea acceperis, si quod ratio suadeat feceris, culpa omni cares. Sunt autem fidei vincula quibus idonee caueri potest, iusiurandum, liberi, vxores, & maximum omnium anteacta vita. *Tacitus de moribus Germanorũ cap. 8. hoc in ea gente vt ipsi proprium obseruat. Casaub.* Notanda ibi ratio Taciti. *nam efficacius obligantur animi eorum quibus obsides imperata femina: cum infirmum earumque sexum hostili sæuitiæ ac ludibrio nemo facile credatur expositurus. Vnde Cleonymum Spartanum videri sibi secundum naturam fecisse scribit Athenaus 13, 8. quod obsides à Metapontinis, ducentas genere nobilissimas & eximia specie virgines acceperit.*

Ibid. (q) marium pignora] *Memmii, Lilæi & Viterb.* [*item Torrentii*

cum

eum Palat.] marum pignera. *Trogi breuiator 26, 1, 8.* qui nec ætatis, nec pigneris respectu timeret. *Aliter Agræcius, vetus Grammaticus,* pignera rerum: pignora filiorum & affectionum. *Vocat* affectiones, *quos alii* affectus. *Volcatius Gallicanus in Auid. Cass. c. 7.* Nec in eius liberos aut affectus sæuiit. *Capitolinus in Gord. cap. 6.* Affectus suos vnice dilexit: filios & nepotem vltra morem: filiam & neptem religiose. *& sæpe alibi. Casaub.* Pignera *pro liberis simul & vxore aliisque necessitudinibus, sumit Tacitus 15, 57, 4. 16, 26, 4. Germ. 7, 4. Agric. 38, 2. proprie tamen liberi sunt, eidem 12, 2, 1. ita Claudianus in Eutrop. 1, 1.* mequendaque pignora matri.

5. (r) multatus est] *Optimi libri quidam* vltus est. *Casaub. Sed illud bene habet. Ita* punitus es inimicum, *pro puniuisti, habet Cicero pro Mil. c. 13. pr.* communicati sunt, *pro communicauerunt, Liuius 4, 24, 2.* censa est, *pro censuit, Ouidius de Ponto 1, 3, 72. & plura talia collegit Salmasius in hist. Aug. pag. 119. A. 1.*

Ibid. (s) vt captiuos sub lege venund.] *Dio lib. 54. pag. 622. C. de Scordisci:* Iuniorum plerosque in alias regiones abducendos vendidit. *Ex venditionibus mancipiorum tractum, vt docemur à I. C. Casaub.*

Ibid. (t) neue intra XXX. annum liberar.] *Factum in captiuis Salassis à Terentio Varrone. Dio lib. 53, pag. 588. D.* Omnes qui essent iuuenili ætate, comprehendit, diuenditque ea conditione, ne quis eorum ante vicesimum annum liber fieret. *Quo ex loco suspicio est in Suetonio quoque legendum XX. non XXX. Non solum autem sic alienabantur serui, vt non manumitterentur intra certum tempus: sed etiam vt omnino ne manumitterentur. Vide I. C.tos Casaub.*

6. (u) Indos etiam ac Scythas] *Indorum & Scytharum legatos simul venisse ad Augustum Tarraconem vsque, auctor est Orosius 6, 21. Ego obseruo duas legationes à Poro rege Indorum ad eundem Augustum: alteram, quæ ad eum venit in Hispaniis bellum gerentem, cuius Orosius meminit, & cum eo Eusebius in Chronico, qui id annotat ad annum Augusti vt ipse numerat XVIII. qui annus incidit in tempus belli Cantabrici. Hi legati petendæ pacis caussa venerunt. Secuta est deinceps altera legatio, quæ ad Augustum A. V. DCCXXXIV. peruenit, quando ipse, post Græciam Asiamque lustratam, Samum per hyemem venit. Hi legati cum magnis multisque muneribus ad sanciendum fœdus, quod ante petierant, venerunt. De his Strabo lib.*

15. & Dio lib. 54. *Regem Indorum à quo venerunt ad Augustum legati, Eusebius* Pandionem *in Chronico appellat, non Porum.* Pandion, *ait*, Indorum rex, amicitiam Augusti societatemque ambiit. *Venerunt postea eo ad Traianum Indici legati. In historiis autem Impp. Constantinopolitanorum sæpe memini legere venisse ad Imperatores, legatos Indorum: vt ad Constantinum, ad Theodosium, Heraclium, Iustinianum, alios. Casaub. Horatius Od. 14. libri 4. huc respicit, vbi de Augusto:*

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur. —— *Vide Florum, 4, 12, 62.*

7. (x) Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt: & signa mil.] *Et hic Homerica figura est, [scil. hysterologia, siue narratio præposterа.] Nam signa militaria restituta sunt Augusto, ad statum Orientis componendum in Asiam & Syriam profecto, A. V. 734. Armenia autem cessit Phraates quo tempore Caius Cæsar Augusti filius, ad bellum Armeniacum missus est, circa annum Vrbis 748. Casaub.* Vindicare, *est adserere sibi, vel vt suum petere. Vindicabat à Parthis Augustus Armeniam tanquam pertinentem ad ius Romani Imperii. Nam* Armenios, victo rege Tigrane, in hoc vnum seruitutis genus Pompeius assueuerat, vt rectores à Romanis acciperent, *ait Florus 4, 12, 43. Adde Nostrum Tib. 9, 2. De signis receptis (qua inscriptione tot nummi veteres extant, vt appareat, nulla victoria magis gauisum Augustum) vide Florum 4, 12, 63. Iustinum 42, 5, 11. itemque Torrentium ad illud Horatii 4. Od. 15.* Et signa nostro restituit Ioui.

Ibid. (y) Obsidesque insuper obtulerunt] *Strabo lib. 6. & 16. Tacitus Annal. lib. 2. in principio. Causabon.*

Ibid. (z) ab ipso electum] *Quomodo apud Allobrogas, inter certantes de regno fratres, arbiter electus Annibal, teste Liuio 21, 31, 5. & inter Darii filios, Artaphernes. Iustin 2, 10, 9. inter Hircanum & Aristobulum Pompeius. Flor. 3, 5, 30.*

CAPVT XXII.

IAnum (a) Quirinum semel atque iterum à condita vrbe memoriam ante suam clausum, (b) in multo breuiore temporis

temporis ſpatio, (*c*) terra marique pace parta, (*d*) ter cluſit. ¶ Bis ouans ingreſſus eſt vrbem, (*f*) poſt Philippenſe, & rurſus poſt (*g*) Siculum bellum. ¶ Curules (h) triumphos treis egit, (*i*) Dalmaticum, (*k*) Actiacum, (*l*) Alexandrinum; (*m*) continuo triduo omnes.

Num. I. (*a*) Ianum Quirinum ſemel atque it. à cond. vrbe cl.] *De Iano Quirini & portis templi eius, deque more eas aperiendi claudendique res omnibus hodie notas: ſed quoties id acciderit aut ante aut poſt Octauium, paucis habe, quæ quidem in iis memoriis quæ nunc extant, legere meminimus. Prima mentio eſt apud Liuium* 1, 19, 2. *& Plutarchum cap.* 35. *in hiſtoria Numæ: ab eo mos inſtitutus. Huius temporibus per annos* 43. *Iani porta clauſa fuerunt. Anno deinde ab Vrbe condita* 519. *Coſſ. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo* II. *clauſum eſſe iterum Ianum, eodemque anno rurſum apertum multi referunt. Tertium clauſit Auguſtus anno V. C.* 725. *Coſſ. ſe V. & Sexto Apuleio, poſt victum Antonium. Quartùm idem princeps Coſſ. ipſo* IX. *& M. Iunio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediſſet anno Vrbis* 729. *auctor Dio in eius anni actis lib.* 53. *& Oroſius clare lib.* 6. *cap.* 21. *Quintùm quoque clauſit idem imperator circa tempora natiuitatis Regis & Pontificis ſummi IESV CHRISTI Domini noſtri. Dio huius hiſtoriæ non meminit in illius anni rebus exponendis: ſed meminerant veteres alii, ex quibus ſumſiſſe Oroſium, qui diſerte notat lib.* 6. *cap.* 22. *non dubium. Scio viros doctos* [*Lipſ. Elect.* 1, 20.] *hanc tertiam* κλεῖσιν [*clauſuram*] *ad* XI. *eius conſulatum referre ex inſcriptione quæ Emeritæ in Hiſpania* [*Briſſon. Formul. lib.* 1. *pag.* 141. *& Gruter. Inſcript. pag.* 149. 4.] *cuius initium: IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. nobis aliter videtur. putamus enim eo lapide non indicari quo anno clauſus Ianus ab Auguſto fuerit: ſed inter argumenta proſperi ſtatus florentis tum imperii clauſum Ianum eſſe poſitum. Quid autem mirum, ſi priore anno clauſus, nondum fuerat apertus? non enim aperiebatur niſi cauſſa eſſet. Sic tertium ab eodem clauſus per annos multos (fere duodecim, ait Oroſius) ad Varianam uſque cladem manſit obſeratus. tum apertæ eius templi fores ad Neronis uſque tempora patuerunt. Sextum cluſit Nero, ſe* III. *& Valerio Meſſalla Coſſ. anno*

Vrbis

Vrbis 811. *Septimùm* (*Tacitus in fragm. apud Orosium* 7, 3. *& ipse Orosius* 7, 9. *aiunt sextùm, quia Nero sine vera caussa clauserat*) *Vespasianus anno V. C.* 824. *Coss. se III. & Nerua. Magnum deinde altumque silentium apud historicos super Iani portis. Mansisse tamen consuetudinem antiquam, testatur Capitolinus in Gordiano iuniore. Ait enim, Coss. Pratextato & Attico, qui est annus condita Vrbis* 995. *Gordianum Iano aperto, quod signum erat indicti belli, profectum esse contra Persas. Sed & sub Christianis Impp. seruatum aliquandiu vetus hoc institutum, testis locuples Ammianus* 16, 15. *qui in historia rerum gestarum à Constantio, clausi ab eo Iani mentionem facit. Id accidit post victum Magnentium, cum sublatis omnibus tyrannis vnus ille Romani Orbis dominus extitit anno Vrbis cond.* 1105. *Casaubonus.* Ianum Quirinum *hic habent libri omnes quos viderim: nec minori constantia Horatii codices eadem de re lib.* 4. *od. vlt.* Ianum Quirini. *Nec vero eos sequor, qui* Fanum Quirini *ibi legant, quod in vetusto exemplari* Eanum *pro* Ianum *scriptum esse affirmant. Idem enim Eanus qui Ianus est, nempe ab eundo* (*quod Cicero. De nat. deor.* 2, 27. *tradidit*) *sic dictus. Ex quo & transitiones peruiæ,* Iani; *& fores priuatarum ædium,* Ianuæ *appellantur. Ergo* Ianum Quirinum *vocat Suetonius,* [*quasi Bellicosum & Martium, scilicet ab hasta, quam Sabini* curim *vocabant*] *quod & ipse bello præsit: vt* Iunonem *quoq;* Quiritem *in veteri marmore legimus:* Ianum Quirini *vero Horatius, quod à Romulo, quem* Quirinum *vocabant, templum ei Romæ sit conditum, licet illud Numa claudere atque aperire primus instituit. Liuius* 1, 19, 2. *& alii. Torrentius. Freinshemio probabiliter in mentem venit hic legere* Ianum Geminum, *ex Floro* 1, 2, 3. *Velleio* 2, 38, 5. *ipsoque Suetonio Ner. cap.* 13. *& aliis (quo de ceteriique Iani cognominibus Brissonius Formul. lib.* 1. *pag.* 51. *&* 52.

Ibid. (*b*) in multo breuiore temporis spatio] *Hæc verba, tanquam glossema reiecit Langius* (*Lipsius. Elect.* 1, 20.) *& mox legendum censet,* ter tio clusit, *non* ter *vt in quibusdam exemplaribus. Etiam Torrentio non videntur germana: qui tamen* ter *retinendum putat. Sed videntur maximam habere ἐνέργειαν, & insigniter augere gloriam Augusti, pacasse orbem ter, annorum circiter triginta spatio, quod maiores tota Imperii ætate* bis *tantum obtinere potuerint.*

Ibid. (*c*) Terra marique pace parta] *Formula frequens in Augusti nummis & statuis olim. Rostrata statua, quæ ei posita est decreto senatus*

post

post victum Sex. Pompeium, inscriptio fuit hæc. OB. PACEM. DIV. TVRBATAM. TERRA. MARIQVE. PARTAM. *Apud Appianum Ciuil. 5. pag. 746. A. ita hunc locum leges.* καὶ ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος οὗπερ ἔχων εἰσῆλθε, περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων· καὶ ἔστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, ΟΤΙ ΤΗΝ ΕΙΡΗΝΗΝ ΕΣΤΑΣΙΑΣΜΕΝΗΝ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ ΣΥΝΕΣΤΗΣΕ ΚΑΤΑ ΤΕ ΤΗΝ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Vulgo legitur,* περικειμένῳ τῷ κίονι νεῶν ἐμ. *nullo sensu. intelligit rostra captiuarum nauium circum columnam fuisse affixa, cui statua Augusti superposita. Casaub. Sic in nummis Augusti & Neronis, quos repræsentat Torrentius. Lapis Emeritæ in Hispania:* ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. *Videantur Brissonii Formulæ, fine libri 1.*

Ibid. (*d*) ter clusit] *Ita magno consensu codices Mss. testibus Grutero, & Turnebo Aduers. 24, 15. nisi quod Glareanus in vetusto codice scriptum reperit apposito syllabæ* ter *puncto,* ter. clausit. *breuitatis causa pro* tertiò *vel* tertiùm, (*vide Agellium* 10, 1.) *hac sententia, vt qui bis ante Augusti auum clausus Ianus, eum tertiò clauserit ipse. non enim ter ab Augusto, sed semel tantum, idque post Actiacum bellum, clausum fuisse Ianum, ex Liuio* 1, 19. *& Plutarcho in Numa c.* 35. *probari posse. Verumtamen de triplici Augusti clausura iam ex nota superiori a constat. Ad Liuii locum respondet Lipsius Elect.* 1, 20. *Cantabros nondum fuisse victos, quo tempore Liuius ista narrabat: Plutarchum verò Liuii locum exprimere sat habuisse. Putes tolerari posse istud* tertiò, *vt tamen eodem modo explicetur, ac si dixisset ter, aut tribus vicibus. Sic Orosius* 6, 22. Iani portas tertio ipse tunc clausit. *nec aliter Historia Miscella* 7, 18. *Verumtamen hi clausiones Augusti sigillatim enumerant: noster easdem omnes vno complexu priscis clausionibus opponit. itaque* ter *omnino scribendum fuit.*

2. (*e*) ouans ingressus est vrbem] *Ouatio, minor est triumphus. Vsus eius, quum hostium nomen humile est, aut cum incruenta victoria obuenit: ideoque oualis corona, myrtea erat, tanquam non Martius, sed quasi Venereus triumphus foret. Est enim myrtus, arbuscula Veneri dicata. Qui ouabant, introire solebant vrbem, equo vehentes: quamuis Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicat, sequentibus eos non militibus, sicut in triumpho fieri solebat, sed vniuerso senatu [Hæc fere Agellius* 5, 6. *& Pliuius* 15, 29. *fin.*] *De ouatione sic scribit Seruius ad Virgil. Æn.* 4, 543. Qui ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeiis, vel equitibus

Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat: vnde ouatio dicta. qui autem triumphat, albis equis vtitur quatuor, & senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat. [*Similia Plutarchus in Marcello c. 35. & 36.*] *Dionysius Halicarn. 5, 46. in descriptione ouationis Posthumi*: primum, *inquit*, ouans pedes ingreditur, nec in curru, sicut triumphator: deinde non picta veste induitur, nec ornatur trabea, qui peculiaris est consulum ducumque amictus: præterea non eodem vtitur sceptro quo triumphans. *Beroaldus.* Θριαμβος πεζος, triumphus pedestris *Dionysio Halic. 9, 44, vt & Eusebio dicitur, ad quem Animaduersiones Scaligeri pag. 151. de hac duplici Augusti ouatione consulenda. Porro* ingredi vrbem, *vsitata huic rei formula. Plin. 15, 29.* Posthumius Tubertus, qui primus omnium ouans ingressus vrbem est. *Liuius 41, 28, 3.* decreuit senatus, vt ouans vrbem iniret. *Sic 31, 20, 3. Tacit. 3, 47, 6.* censuit vt ouans è Campania vrbem introiret. *Vbi quidem verba duo* è Campania *potius insititia videntur quam nativa. Nostes in Claud. 24, 6.* Plautio ouationem decreuit: ingressoque vrbem &c.

Ibid. (*f*) Post Philippense.] *Est ita: post bellum Philippense ouauit primo Octauius: non tamen verum est quod videtur sensisse Suetonius, ex ea victoria eum ouasse. Nam contra, ea ouatio titulum & causam habuit, pacem factam cum M. Antonio: qui & ipse eundem simul honorem vsurpauit, anno Vrbis cond. 724. auctor Dio, & Fasti Capitolini: in quibus de duabus Octauii ouationibus hæc leguntur.* IMP. CÆSAR. DIVI. F. C. F. III. VIR. R. P. C. OV[illegible]QVOD. PACEM. CVM. M. ANTONIO. FECIT. *& de ouatione ex Sicilia*: IMP. CÆSAR. DIVI F. C. F. II. III. R. P. C II. A. DCCXVII. OVANS. EX. SICILIA. IDIBVS. NOVEMBR. *Casaub.* Philippense bellum *gestum in Campis Philippicis aduersus Brutum & Cassium. sup. 13, 1.*

Ibid. (*g*) Siculum bell.] *Contra Sextum Pompeium, sup. c. 16. vtrumque ergo, bellum Ciuile: proinde contra morem Augustus. Nam vt auctor est Val. Max. 2, 8, 7.* quamuis quis præclaras res maximeque vtiles Reipub. ciuili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est, nec vllæ supplicationes decretæ sunt, neque aut OVANS aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non externo, sed domestico partæ cruore. *Lucanus 1, 12.* Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Scribit

Scribit tamen & Tacitus H. 4, 4, 3. Mutiano data triumphalia de ciuili bello, idque cum multo honore verborum. Adde Freinshemii notas ad Florum 3, 22, 10. 7.

3. (*b*) Curules triumphos] *Magnos veroſque. nam ouationes dicebantur* pedeſtres triumphi. *Dicti* curules, *quod curru deaurato triumphator veheretur. De pompa, ordine & formula triumphi copioſe Beroaldus ad Propertium, Alex. Neapol. 1, 22. & 6, 6. & ex profeſſo Panuinius.*

Ibid. (*i*) Dalmaticum] Illyrium *quidam appellant: in his Appianus: contra hiſtoriam & veritatem. Caſaub. Vicinitate, gentium nomina confundi non eſt inſolens. imo Dalmatiam partem Illyridis aliqui faciunt.*

Ibid. (*k*) Actiacum] *Propter Cleopatram vna cum Antonio deuictam apud Actium pugna nauali. Quomodo autem curulem triumphum ex nauali victoria? Eſt enim & naualis triumphus. Vide Liuium 45, 42, 2.*

Ibid. (*l*) Alexandrinum] *Ob ſubiugatam Alexandriam, vrbem Ægypti clariſſimam opulentiſſimamque. Huius triumphi mentio infra 41, 1.*

Ibid. (*m*) Continuo triduo] *Seruius ad iſta Virgilii Æn. 8, 714.*

At Cæſar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, dIs Italis votum immortale ſacrabat.

Tres, *inquit*, Auguſtus triumphos egit. Nam primo die triumphauit exercitus qui Antoniũ, ſecundo qui Dalmatas deuicerat: tertio ipſe cũ Alexandrino ingreſſus triumpho eſt. *Nõ Ianuario, vt vult Oroſius 6, 20. ſed Sextili menſe ipſum triumphaſſe, & idcirco* Auguſti *nomen poſtea menſem illum fuiſſe ſortitum, confirmat ex Macrobio & Dione Pighius Annal. Rom. lib. 17. pag. 503. m.*

CAPVT. XXIII.

1 GRaues ignominias cladeſque, duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit, Lollianam & Varianam: ſed (*a*) Lollianam maioris infamiæ, quam detrimenti: (*b*) Varianam pæne exitiabilem, tribus legionibus, cum duce (*c*) legatiſque & (*d*) auxiliis omnibus, cæſis.
2 | Hac nuntiata (*e*) excubias per vrbem indixit, nequis tu-

multus existeret: & (*f*) præsidibus prouinciarum propagauit imperium, (*g*) vt & à peritis & assuetis socii continerentur. ¶ Vouit (*h*) & magnos ludos Ioui Opt. Max. (*i*) SI 5
RESPVBLICA IN MELIOREM STATVM VERTISSET: (*k*) quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat. ¶ Adeo namque consternatum ferunt, vt per con- 4
tinuos menses (*l*) barba capilloque summisso, (*m*) caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde*: (*n*) diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.

Num. 1. (*a*) Lollianam maioris infam. quam detrim.] *Velleius* 2, 97. 2. Acceptain Germaniæ clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ, quam rectè faciendi, cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo: amissaque legionis quintæ aquila, vocauit ab vrbe in Gallias Cæsarem. *Dio narrat in anno qui habuit Coss. L. Domitium, P. Scipionem* [*lib.* 54. *pag.* 612. *B.*] *Vnus quod sciam est Eusebius, qui Lollii huius non cladem in Germania, sed victoriam de Germanis commemoret. Notat ille ad annum quartum Olympiadis* 190. Germanos in arma versos M. Lollius superat. *Casaub. Tangit hanc cladem & Tacitus* 1, 10, 6. *De Lollii nece Plinius* 9, 35. *Tale illud Liuii* 5, 18, 10. plus ignominiæ erat quam cladis acceptum.

Ibid. (*b*) Varianam pæne exitiabilem] *Internecinam, quæ Varum Quinctilium, tribus cum legionibus, impatientes Romana superbia sæuitiaque Germani, Arminio duce, oppresserunt in Teutoburgensi saltu, qui etiamnum* Teutberg *dicitur. illius victoriæ nomine insignis campus* Winsfelder *est ad oppidulum Hornam, in Westfalia. Luculente Florus* 4, 12. *& Tacitus* 1, 61.

Ibid. (*c*) legatis] *Scil militaribus, quos* locumtenentes *hodie vocamus, quod vicariam imperatori præstent operam. De his ample Lipsius Mil. Rom.* 2, 11.

Ibid. (*d*) auxiliis] *Auxiliaribus militibus, qui sociorum erant; vt legionarii Romanorum.*

2. (*e*) Ex-

2. (*e*) Excubias per vrbem] *Ita solitum in omni tumultu, & ad omnem cladis acceptæ nuncium, vt sæpe apud Liuium. Tunc vero caussa præcipua fuisse videtur, quod erant in vrbe Germani Gallique milites non pauci. vide infra cap. 49. Casaub. Atheniensium socii, rebus felicibus, imperio eorum acquiescunt: audita vero Sicula clade ipsorum, eriguntur, & defectionem parant. Thucydides* 8, 1, 9. Prosperis rebus certaturi ad obsequium, fortunam aduersam omnes ex æquo detractant. *Tacit. Hist.* 2, 97, 3. Excubiæ, *autore Seruio, diurnæ sunt & nocturnæ*: vigiliæ, *tantum nocturnæ.*

Ibid. (*f*) propagauit imper.] *Sic Palat. pr. ac tert. nam secundus* prorogauit: *quod quidem inuasit editiones recentiores, sed non etiam antiquas. Gruter.*

Ibid. (*g*) vt & à peritis, & assuetis] *Vnus Ms. Pulmani,* vt ab assuetis & à peritis. *Ald. Steph. Rom. & Abb. Gand.* vt à suetis & à peritis. *Incommoda Romanorum instituti, quo prouinciarum rectores annuos faciebant, M. Popilius explicat apud Liuium* 41, 15. *deprecatus, ne Graccho in prouincia succederet. nam* interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime conuenire. Inter traditionem imperii, nouitatemque successoris, quæ noscendis prius quàm agendis rebus imbuendæ sit, sæpe bene gerendæ rei occasiones intercidere. *Adde Liu.* 21, 43, 17.

3. (*h*) Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max.] *Dio lib.* 55. *pag.* 652. *E. prius factum notat ob aliam occasionem. Eum lege. Ait autem,* κατά τε τῆς πανηγύρεως τῆς μεγάλης ηὔξατο. *Eleganter Dio,* εὔχεσθαι κατὰ, *pro* vouere *dixit, vsitato Demostheni & aliis loquendi genere, vt pridem ad Dionysium Halicarnass. notare meminimus. Male igitur interpretes Dionis omnes sinceram lectionem suis emendationibus deprauant. Casaub.* Magni ludi, *qui & Circenses, & Romani, & Plebeii, sic dicuntur, quod vel magnis impensis instruerentur: vel potius ex sententia Festi, quia Ioui potissimum, quem Maximum & deorum principem antiqui fecere, sed & ceteris diis magnis, id est, penatibus Vrbis essent dicati. Crebra horum in Liuio mentio: inprimis* 36, 2, 3. *referuntur ipsa verba, in quæ votum horum ludorum ab Accilio nuncupatum. Sunt qui cum Megaliacis aut Megalensibus eosdem putent. hos erroris conuincit Bulengerus de Circo Rom. cap.* 8.

Ibid. (*i*) SI RESPVB. &c.] *Admisi quod erat in scripto Petri Pithœi;*

præsertim cum eidem scripturæ veniret item adsertor Palat. sec. & tert. nam prim. adhæret vulgatis, in quibus, Rempub. *minus eleganter. Gruterus.* Vertisset *enim his neutraliter & absolute ponitur. quomodo Liuius* 5, 49, 6. iam verterat fortuna, *id est, versa erat. Vide si tanti est, notas ad Iustinum* 36, 2, 15. *h.*

Ibid. (*k*) quod factum Cimbrico Marsicoque bello] *Nempe vt ludi Magni vouerentur sub eadem conditione. nam alioquin sæpe aliàs ex votis ducum,* SI HOSTES FVDISSENT, *iidem ludi sunt celebrati: vt Q. Seruilii Ahalæ Dictatoris apud Liuium* 7, 11, 4. *& Camilli item Dictatoris, ibidem* 5, 19, 7. *& alibi item. Casaub.* Cimbricum bellum, *quod aduersus Cimbros, maxime Septentrionales Germaniæ populos, à Caio Mario gestum, Florus* 3, 3. *& ibi citati in notis Freinshemianis autores describunt.* Marsicum, *quod & Sociale, quum vno tempore plures Italiæ populi a Romanis defecerunt; ita dictum, autore Appiano, quod Marsi defectionem essent exorsi. Florus* 3, 18. *aliique.*

4. (*l*) barba capilloque summisso] *promisso, intonso, quod lugentium erat. Vide si lubet quæ notamus ad Suet. Cæs.* 67, 4. *& ad Iustinum* 36, 4, 2.

Ibid. (*m*) caput foribus allideret] *Istud est quod Græci eleganter dicunt,* τὴν περιπέτειαν οὐ κατὰ σχῆμα φέρειν [*casum non moderate ferre,* sich vngebärdig drüber erzeigen.] *vt Polybius lib.* 3. *cap.* 85. *fin. qui etiam lib.* 6. *idem loquendi genus vsurpat, sed aliter. Marc. Tullius vocat* detestabilia genera lugendi. *In Tusculan. lib.* 3. *cap.* 26. Ex hac opinione sunt illa varia & detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum; pectoris, fœminum, capitis percussiones. *Similis ex impatientia* ἀσχημοσύνης *exempla apud poëtas & historicos passim obuia. Seneca de Ira* 1, 16, 28. Quid opus est mensam euertere? quid pocula affligere? quid se in columnas impingere? *In Ciceronis Oratore c.* 67. incurristi amens in columnas. *quanquam eius facti non tam impatientia quam insania videtur caussa extitisse. Apud Capitolinum in Maximinis, c.* 17. iaciebat se in parietes: nonnunquam terræ se prosternebat. *Ibidem in Gordianis c.* 13. incurrere in parietes, vestem scindere videbatur. *Appianus de Carthaginiensibus, Punic. pag.* 46. *f.* humi se abiiciebant, eamque manibus capitibusque feriebant. *Et similia his multa. Sed quod ait Suetonius* foribus, *nescio an non sit in eo aliquid religionis: vtique si ad fores ædium sacrarum referas. Tibullus* 1, 2, 95.

Non

Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput:
Non ego si merui dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Putabant hac sui iniuria leniri deûm iram. Cicero Tuscul. 3, 29. caussas lugendi enumerans: accedit superstitio muliebris quædam. existimant enim, diis immortalibus se facilius satisfacturos, si eorum plaga perculsi, afflictos se & stratos esse fateantur. *ex qua opinione multa fluxerunt in veteres ritus. Sed Suetonii verba & Florus & Orosius simpliciter acceperunt, &* parietem *pro* foribus *ambo posuerunt. sic apud Græcos,* παίειν τὴν κεφαλὴν πρὸς τὸν τοῖχον. *Casaub. Plura huc pertinentia Des. Heraldus ad illud Martialis 2, 11.* Quod dextra pectus pulsat, & comam vellit.

Ibid. (*n*) diemque cladis quotannis mœst. hab. ac lug.] *Nihil variant alii codd.* [*neque Palatini, nisi quod tertius,* denique cladis: *secundus vero,* denique cladis annis mensium. *Grut.*] *Cuiacii sic:* diemque cladis quem damnis mœstum ac lugubrem habuerat memorans. *Fortasse non male: si modo scripseris,* quem damnis aliis mœst. *Sic fieri solet in omni lamentatione, vt si quid vnquam in longa vita nobis aduersi eodem tempore contigerit, memoremus. Quæ sint autem illa damna, diuinare difficile est. Sed cladis ipsius Variana quis fuit dies? quæsiui enim, & cum cura quidem: frustra. neminem enim veterum historicorum exorare potui, vt id me doceret: non Dionem, non Velleium, non Tacitum, Florum, Zonaram, qui omnes hanc cladem (copiosius alii, alii breuius) commemorant: omnes diem tam insignem quasi ex compecto reticent. Video tamen, Beroaldum, Torrentium, aliosque incompertum nobis diem reperisse: nempe accidisse hanc stragem a. d. IV. Non. Sextil. quo etiam die ad Cannas male olim pugnatum à Romanis. Mirabar quis hoc illos docuisset. nam præter superiores historicos, etiam Plutarchus id nobis inuidit, cum in Camillo c. 30. de diebus atris disputans, similes huiusmodi casus nō indiligenter colligeret. Sed animaduerti postea, manasse hoc* παράκουσμα ἱστορικὸν *ab vno Beroaldo, qui primus id notauit ad hunc Suetonii locum: ex eo reliqui* εὐχερῶς *nimis &* ἀβασανίστως [*temere sineque examine.*] *Beroaldum, qui falso, historicos id tradere ait, decepit hic locus Flori 4, 12, 35.* Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paullus, & fato est & animo secutus. *Putauit Florum hoc dicere, Varum eo die periisse, quo Paullus Cannensi prælio. Atqui Florus eleganter &* εὐφήμως [*honesto nomine*] diem *pro clade vsurpat. Sic plane nos*

ne nos Francocelta, la iournée, *pro clade vel pugna decretoria. Sic idem Florus 2, 6, 58. de Annibale & Scipione loquens*: Non fuit maior sub imperio Rom. dies, quam ille, cum duo omnium & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis cominus signis direxere aciem. *Olim seu ferro, seu iudicio disceptanda controuersia erat, dies certus assignari solitus. ex eo more cœpit vox* dies *pro die prælii, aut clade ea die accepta vsurpari: & similiter pro iudicio: quod in Cilicum id rotissimo familiare fuisse testis Hieronymus. inde illud Pauli Apostoli 1. Corinth. 4, 3.* iudicari ab humano die. *Casaubonus. Sic Apocal. 6, 17.* venit dies magnus iræ eius. *Tacitus Agric. 34.* transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem. *Ceterum de diebus eiusmodi lugubribus, atris, mœstis nominalibus, præter Plutarchum Camill. c. 30. & 31. videndus Agellius 5, 17. & è recentioribus Alexander Neapol. 4, 20. & Polletus for. Rom. 1, 8.*

CAPVT XXIV.

IN (*a*) re militari & commutauit multa, & instituit: atque etiam (*b*) ad antiquum morem nonnulla reuocauit. 1

¶ Disciplinam (*c*) seuerissime rexit: (*d*) ne legatorum quidem cuiquam, (*e*) nisi grauate, (*f*) hiberni sque demum mensibus, permisit vxorem intermisere. 2

¶ Equitem Rom. quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi (*g*) sacramenti (*h*) pollices amputasset, (*i*) ipsum bonaque subiecit hastæ: quem tamen, quod (*k*) imminere emtioni publicanos videbat, liberto suo (*l*) addixit, vt (*m*) relegatum in agros pro libero esse sineret. 3

¶ Decimam (*n*) legionem contumacius parentem, (*o*) cum ignominia totam dimisit: item alias immodeste missionem postulantes, (*p*) citra commoda emeritorum præmiorum (*q*) exauctorauit. 4

¶ cohortes, (*r*) si quæ cessissent loco, decimatas hordeo paruit: centuriones (*s*) statione deserta, itidem vt (*t*) manipulares, capitali animaduersione puniit: 5

¶ pro cetero delictorum genere variis ignominiis affecit: (*u*) vt stare per totum 6

totum diem iuberet ante (*x*) Prætorium; (*y*) interdum tunicatos (*z*) discinctosque; nonnunquam (a) cum decempedis, vel etiam (b) cespitem portantes.

Num. 1. (*a*) In re milit. & commut. multa & instit.) *Exempli gratia, quod notat Isidorus lib.* 18. *cap.* 3. Pilam in signa constituisse fertur Augustus, propter nationes in cuncto orbe subiectas, vt magis figuram orbis ostenderet. *Cuius tamen historiæ βεβαιωτὴν* [*confirmatorem*] *idoneum poscerem libens Isidorum. Casaubonus. Romæ conspici statuam Imp. Augusti, manu tenentem insigne vniuersalis imperii globum,* (*seu pomum, seu pilam*) *confirmat in eruditissimis ad Petrum de Andlo Notis Freherus fol.* 182. *a. Sed & in ipsius Iulii Cæsaris numismatibus expressam talem pilam repræsentat Ful. Vrsinus in famil. Rom. pag.* 113. *&* 118.

Ibid. (*b*) ad antiq. morem] *Si sententiæ Massilienſium accedimus, cuius meminit Valerius Max.* 2, 6, 7. In minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda: *præcipue quia, censente C. Cassio apud Tacitum* 14, 43. super omnibus negotiis melius atque rectius olim prouisum; & quæ conuertuntur, in deterius mutantur. *Limitat tamen Liuius* 34, 53, 6. Nihil motum ex antiquo, probabile est. veteribus, NISI quæ vsus euidenter arguit, stari malunt.

2. (*c*) Disciplinam seu. rexit.] *Vrsini codices, vt ipse testatur,* exegit. *quod etsi non improbo; pluris tamen apud me est tot librorum consensus* [*in his Palatinorum quoque, teste Grut.*] *Sic* regere disciplinam *leges & apud alios inferioris ævi historicos, huius plerumque æmulos.* [*Vide Vopiscum Probo cap.* 2.] *Casaub. Manlius apud Liuium* 8, 7, 11. Disciplina militari stetit ad hanc diem Romana res. *Valerius Max.* 2, 7. *pr.* Præcipuum decus & stabilimentum Rom. Imperii, militaris disciplinæ tenacissimum vinculum; in cuius sinu ac tutela serenus tranquillusque beatæ pacis status acquiescit. *De militari Augusti disciplina meminit & l.* 12. *ff. de re milit.*

Ibid. (*c*) Ne legatorum quidem cuiq.] *Non solum ergo militum vxores, si qui forte per illa tempora vxores habuere, sed ne legatorum quidem, maritos in prouincias comitari solita. Quod postea tamen licentia temporum, viuo adhuc Augusto* (*imò ipsius Augusti exemplo, qui in Occidentem*

atque Orientem sæpius meauit comite Livia) mutari cœpit: & magis Tiberii principatu. Apparet ex ea relatione Cæcinæ, cuius Tacitus meminit Annal. 3, 33, 1. Inter quæ Seuerus Cæcina censuit, ne quem magistratum cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur. *Iuuenalis Satyr. 8, 127. de rectoribus prouinciarum loquens:*

Si tibi sancta cohors comitum; si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus, & cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet à Pico numeres genus. —— *Casaub.*

Muliebrem comitatum exulasse Romanis castris, exacte, vt omnia, Lipsius ostendit ad Tacit. Annal. 14 not. 79. præcipueq; de Mil. Rom. 5. dial. 18. Et est sane ridiculum in exercitu, cum priora omnia terribilia sint, equi, hastæ, arcus, scuta; posteriora si desinãt in meretrices. Plutarchus in Crasso cap. 64.

Ibid. (e) nisi grauate] *Sic prima editio. scripti fere* grauato, *quod idem est.* μόλις, χαλεπῶς [*vix, agre*] *non, vt quidam explicant, grauiter affecto. Casaub. Etiam Pal. pr.* grauato. *sed alterum remanet in reliquis duobus. Gruterus.*

Ibid. (f) hiberniſque dem. mens. perm. vx. interu.] *Liber vnus Tortentu,* hiberniſque permiſit menſibus domum vxorem interuiſere. *Est autem* interuiſere, *ex interuallo reuiſere. Vtitur Plautus Aul. 2, 2, 25. Sic* interquieſcere *Ciceroni ac Senecæ, per interualla quieſcere:* interlegere poma *Palladio, per interualla decerpere. Porro formulam, seu potius exemplum eiusmodi commeatus suppedit at Liuius 21, 21, 3.* Si quis veſtrum ſuos inuiſere vult, commeatum do. primo vere edico adſitis, &c.

3. *(g)* ſacramenti] *Scil. militaris, de quo Lipſ. Mil. Rom. 1, 6. & Briſſonius initio libri 4. Formul. Adde infra Tib. 8, 4.*

Ibid. (h) pollices amputaſſet] *Arrius Menander IC. l 4. de re militari:* Qui filium ſuum ſubtrahit militiæ belli tempore, exilio, & bonorum parte multandus eſt: ſi in pace, fuſtibus cædi iubetur. *Et paullo post:* Eum qui filium debilitauit dilectu per bellum indicto, vt inhabilis militiæ ſit, præceptum Diui Traiani deportauit. *Fortunatianus lib. 2. rhetoric.* Decem milites tempore belli pollices ſibi amputauerunt. Rei ſunt læſæ Reipub. *Marcellinus 15, 29. de Gallorum moribus loquens:* Neque illorum quiſquam, vt in Italia, munus Martium extimeſcens,

pollicem

pollicem sibi præcidit, quos ioculariter *murcos* appellant. *Apud Val. Max. 6, 3, 3. Senatus C. Vettienum, qui sinistræ manus* [*qua clypeus gestatur*] *digitos, ne militaret, abscíderat, publicatis bonis, æternis vinculis puniendum censuit. Idem auctor 9, 2, 8. ext. & Cicero Offic. 3, 11. narrant, Athenienses Æginensium iuuentuti pollicem abscidisse, ne classe potens populus in certamen maritimarum virium secum descenderet. dextrum pollicem, addit Ælianus var. hist. 2, 9. vt hastam ferre non possent, remos vero adhuc agere possent. Hæc fere Torrentius ex Beroaldo. Memorat & Historia Miscella 16, 28. Imp. Iustinianum seditiosis quibusdam Constantinopoli in concitantibus pollices abscidisse, non dubium quin ideo, vt eos armis movendis inhabiles redderet. Est enim, vt in homine manus instrumentum instrumentorum, ita pollex in manu princeps. Vnde Macrobius Saturnal. 7, 13.* Pollex, qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus semper in officio est. vnde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera. *Adde Plutarchum Lysandro c. 14. Quintilianum 8, 5. præter auctores alios, quos in Observationibus 15, 40. laudat eximius ille Cuiacius. De* Murcis (*quos Italis Galliuque* poltrones, *ab hac pollicum truncatione nominatos censet Sauaro ad Appollinar. pag. 12. f.*) *adi Meursium exercit. critic. part. 2. cap. 2.*

Ibid. (*i*) Ipsum bonaque subiecit hastæ) *Vt in aliis, ita in hoc quoque veterem morem retulit Augustus: testes Liuius, Dionysius, Cicero, Valerius Max. & IC.ti lege 4. Dig. de re milit. §. grauius. Vide amplius Festum in* portisculus, *& quæ ad eum locum magnus interpres notat. Vetus scriptor apud Suidam* [*in ἐπ' ἐξαγωγῇ*] virgis cædebatur, & peregre vendebatur, ignauiæ & fugæ precium ferens seruitutem. *Videntur Polybii esse verba, & ad Romanos mores referenda. Sed hæc fuse ad Polybii lib. 1. Casaub. Adde Lipsi Militiam Rom. 1, 4.* Hastæ subiici *dicebantur ea, quæ publice venibant, hasta in foro posita, præconibusque proclamantibus. Hinc* subhastatio, *&* res subhastatæ, *quæ sub hasta venales propositæ.* Emptio ab hasta *dicit Cicero ad Attic. 12, 3. sicut bello capti,* sub corona; *& seruitutem comparati,* de lapide empti *dicebantur, quod illi coronati, hi ex edito lapide pronunciabantur venales. Hasta signum talis auctionis ex eo facta videtur, quod proprie præda hostium aut manubiæ, quippe* ἀιχμάλωτοι *seu* δορυάλωτοι, *h. e. hasta seu prælio captæ, hastâ propositâ venirent, vt apparet ex Val. Max. 5, 1, 7. & 6, 5, 1. postea id ad auctiones alias quoque translatum. An potius à Romulo, qui* Quirinus *à quiris seu hasta dictus, id profectum, vt placet Polleto in historia fori Rom. 3, 14.*

Ibid. (*k*) imminere emptioni publicanos] *Publicani, vt ex equestri erant ordine, fauentes Equiti, emere eum sub hasta, ac continuo dimittere volebant. Quod vt caueret Augustus, suo ipsum liberto addixit. Torrentius.* Imminere emptioni, *est empturire, seu auidum ad emptionem accedere. Noster in Calig.* 19, 4. imminere Germaniæ. *Cicero pro L. Manil. c.* 5. imminent duo reges toti Asiæ. *Horatius* 1. *od.* 12. Parthos Latio imminentes. *Curtius* 3, 1, 10. Alexander Dario imminens. *Tacitus Hist.* 3, 76, 1. imminere excidio vrbis, *h. e. cupide instare.*

Ibid. (*l*) addixit] *Attribuit, possidere iussit. Proprium quidem Prætoris verbum, ex illis tribus, quibus vniuersum eius imperium ac potestas continebatur, DO, DICO, ADDICO: sed postea in magistros auctionum traductũ.*

Ibid. (*m*) relegatum in ag.] *more seruorum qui dominum offenderant. Vlpian. l.* 35. *Dig. de hered. inst.* Si seruus fuerit missus in villam, interim illic futurus quia dominum offenderat, quasi ad tempus relegatus. *Liuia quoque, cata illa femina, apud Dionem lib.* 55. *pag.* 644. *B. inter leuiores pœnas quibus ciuiũ delicta castigari vult ab Octauio, κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ non prætermittit. Casaub.* *Huc pertinet ille locus Ambrosii, apologia Danidis*: plerique diuitum amandare consueuerunt mancipia sua, & in agellulos relegare. *Sed &* læso patrono concessum, vt vicesimum vltra lapidem in oram Campaniæ libertum relegaret, *ait Tacitus* 12, 26. *Adde Fabri Semestria* 2, 5. *sub fin.*

Ibid. (*n*) Pro libero esse,] *Minus est aliquanto. Quare Seneca de vita beat. cap.* 16. *fin.* laxam catenam trahit, non iam liber, sed tamen pro libero. *Sic Sallustius in fragmentis*: neu quis miles, neue pro milite. *h. e. quasi miles.*

4. (*o*) Decimam legionem] *Vt nonam Iulius apud Placentiam, supra* 69, 2. *Torrent. quo loco notata de triplici missionis genere, huic quoque loco faciunt explicando.*

Ibid (*p*) citra commoda emeritorum præmiorum] *Sic omnes codices* [*etiam Palatini, & Casauboniani*] *& tamen non dubito quin dictio* præmiorum *adulterina sit, nisi interposita copula* emeritorum & præm. *præstat legere. Aliud enim* præmia, *aliud* emerita. *Nam* præmia *vltra* emerita *dabantur. Modestinus l.* 3. *de re milit.* Qui militiæ tempus in desertione impleuit, emerito priuatur. *Et iterum*: vt veteranus restituetur,

tuetur, & emerita accipiet. *Item Arrius Menander l. 5. eod. tit.* & præmia & emeritum capiet. *Ipse Suetonius infr.* 49, 4. stipendiorum præmiorumque. *& Calgul.* 44, 2. commoda emeritæ militiæ. *Vide infr.* 49, 4. *Hæc Torrentius, eademque fere Lipsius Excursu G. ad Tacit. 1. Annal. assentiente Grutero: quos fefellit (iudicio C. Barthii Aduersarior. 1, 10.)* emeritorum *verbum, quod hic* meritorum *simpliciter sonat, non tamen sine temporis longi occulta designatione.* Emeritorum *præmiorum, quibus merendis iustum tempus militarant. Sic Lucanus* 5, 687. — nullus ne tuorum Emeruit comitum fatis non posse superstes Esse tuis? —— *Hoc est, tanto tempore merens, non hoc tandem emeruit? Emerita præmia dixit, vt idem Lucanus* 1, 357. *Emeritum donum.*

Lælius emeritique gerens insignia doni.

Sic emerita stipendia, *Liu.* 42, 34, 11. Emeritorum *ergo hic adiectiue genere alterq; sumitur, quod aliàs substantiuum & à* præmiis *diuersum est.*

Ibid. (q) exauctorauit] *Militiæ sacramento soluit. De exauctoratione ignominiosa, quæ detractis militaribus insignibus, teste Vlpiano l. 2. §. 2. ff. de his qui not. inf. fiebat, hoc accipiunt Beroaldus atque Sabellicus. quos erroris admonet Ian. Langlæus Semestr.* 13, 1. *Non enim Vlpianus (iniuria reprehensus à Valla Elegant. 6, 62.) exauctorationem à duce simpliciter factam, ignominiæ notam inurere dixit, sed eam demum, cui nominatim additum fuerit ignominiæ causa fieri: vel quæcunque sit, vt militaria insignia detrahantur. Et sane Augusti hanc exauctorationem, honestam fuisse, vel hinc apparet, quod impleto militiæ tempore & emeritis data fuerit. neque credibile est, Augustum ob tam leuem offensam, nempe missionem paullo immodestius flagitatam, tam graui dedecore coërcere legiones voluisse. Quid quod proxime præcedentia Suetonii verba missionem ignominiosam ab exauctoratione, latius vtique patente, distinguunt? Adde Semestria Fabri* 1, 17. *sub fin.*

5. (r) Cohortes si quæ cessissent loc. dec. hord. pau.] *Habes exemplum in ea cohorte, quæ ad Promonã loca cessit bello Dalmatico. Appianus in Illyricis pag. 766. A. De ignominia κριθοταγίας [comestura hordei] nemo melius Polybio 6, 36. meminit etiam Dio lib.* 49. *non vno loco. Casaub. Ita Liuius* 27, 15, 8. cohortibus quæ signa amiserant, hordeum *Marcellus* dari iussit. *Sed & Vegetius* 1, 13. *notat,* tirones si parum in prolusione & exercitio profeciissent, pro frumento hordeum coactos accipere. *Causa rei, vt indigni viderentur communi militum cibo, sed reiicerentur*

potius iungerenturque cum iumentis. Panem *enim* ex hordeo antiquis vsitatum vita damnauit, quadrupedumque tradidit refectibus. *Plinius* 18, 7, 34. *Porro* Decimationis *antiquissimum exemplum est in Liuio* 2, 59, 11. *vbi de militibus Appii*: sorte decimus quisque ad supplicium lecti. *Rationem eius supplicii Cicero reddit pro Cluentio c.* 46. *scilicet* vt metus ad omnes, pœna ad paucos perueniret &c. *Ac* habet *quidem eiusmodi sortitio* aliquid ex iniquo, *fatente Tacito* 14, 47, 7. *cum etiam* insontes ac strenui *quandoque sic* pereant: *verùm id* contra singulos, vtilitate publica rependitur. *Mitior* vicesimatio, *&* centesimatio, *cuius meminit Capitolinus in Macrino c.* 12.

Ibid. (*s*) statione deserta] *Priscis quoque Romanis id crimen expiatum capite, patet ex Polybio* 1, 17. *f. & 6, 35. f. item Liuio* 24, 37, 9. *Sed postea mitiorem factam militiam, apparet ex hisce Modestini l.* 3. *de re milit.* Qui stationis munus reliquit, plusquam emansor est. itaque pro ratione delicti castigatur, aut gradu militiæ deiicitur. *Augustus hoc delictum capite punit. Torrent.* Statio *locus excubiis agendis assignatus.* corps de garde, *vel* sentinelle *Galli vocant. inde* stationarii *dicti milites. Vide Lipsii Mil. Rom.* 5, 8.

Ibid. (*t*) manipulares] *Gregarios milites. Nam quod Marcellus Donatus* signiferos *hic interpretatur, ratione caret. Dicti* manipulares, *quod primitus hastis alligata fœni manipula pro militaribus signis essent. Plutarchus Romul. cap.* 11. *Ouidius Fastor.* 3, 117.

Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Vnde maniplaris nomina miles habet.

6. (*u*) vt stare per totum diem iub.] *Inter leuiores animaduersiones veterum fuerunt & ἕδρας, & στάσεις ἀτίμους [sedes ac stationes ignominiosæ.] Ac videtur eius moris auctor fuisse Charondas, quem ait Diodorus Siculus* 12, 16. *genus hoc ignominiæ summi supplicii loco in eos statuisse, qui vel ordinem in acie deseruissent, vel qui in dilectu ad nomina non respondissent.* Edixit, *inquit*, vt id genus viri muliebri vestitu amicti, triduum in foro desiderent. *Liuia apud Dionem lib.* 55. *pag.* 642. *B. in præcipienda clementia Augusto, sic loquitur*: Inuenti sunt, qui quum spes ac cupiditates eorum irritæ factæ fuissent, ad sanitatem redierunt: alios sessiones inhonestæ, aut stationes probrosæ, doloresque & terrores ante oblati emendauerunt. *Plato de legib. lib.* 9. *post princ.* sedes stationesque

que deformes *in eandem rem commemorat. cuius locum videtur Liuia, vel Dio potius, imitari. Plutarchus in Antonio c.* 77. loco mensæ despecto suggillari *non dissimiliter dixit. Reperio in disciplina militari Dacorum similem animaduersionis modum. Iustinus* 32, 3, 16. Daci suboles Getarum sunt, qui cum Orole rege aduersus Bastarnas male pugnassent, ad vltionem segnitiæ, capturi somnum capita loco pedum ponere iussu regis cogebantur. *Sed genere isto obiurgandi, quod plus habet ignominiæ quam cruciatus, plurimum vsi veteres Romani in disciplina sancienda. exempla sunt apud Liuium* 27, 15, 8. *& Val. Max.* 2, 7, 9. *de C. Titio equitum præfecto, qui arma hostibus tradiderat: & alibi alia. Causaubon. Mos in Ecclesiam quoque traductus, & notum ex Synesii epistola* 90. στυγνὸν βῆμα, subsellium mœstum, *locus pœnitentium, qui separatim ab aliis in Ecclesia stabant aut sedebant. Quod & nomen & rem in Orientalis Ecclesiæ reliquiis etiamnum vsurpari docuit me vir ob insignem eruditionem pietatemque Græcia sua, sed vetere, dignissimus Metrophanes Critopulus hieromonachus: addidit, eum locum in* Νάρθηκι *esse:* Νάρθηκα *autem, non extra Ecclesiam esse, vt vult clarissimus Glossarii Græcobarbari autor; neque ex eo sic dici, quod ibi pœnitentes, quasi sub* νάρθηκι, *h. e. ferula sint Ecclesiasticæ censuræ: sed à* νέρθε, *seu* νέρθεν *h. e. infra: quia est* τὸ κατώτερον μέρος τῆς ἐκκλησίας: *non quod sit locus depressior (est enim in eadem cum cetero templo planitie) sed quia occidentem spectat, vt dignior templi pars orientem. Adde Plutarch. Quæst. Græc.* 2. *vbi de more Cumæorum, in adulterio deprahensam, in forum producendi, & in lapide omnibus conspicuo (qui nobis* der Lasterstein) *sistendi &c.*

Ibid. (x) prætorium] *Tabernaculum ducis, ita dictum, quod bella administrantes initio prætores essent, qui postea consules, ait Festus.* Augustale *vocat Quintilianus* 8, 2. *Describit Lipsius de Mil. Rom.* 5, 2.

Ibid. (y) interdum tunicatos] *Demptis sagulis, quibus militiæ Romani vtebantur. Lampridius in Alexandro c.* 54. *de exauctoratis militibus loquens,* Depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diuersoria varia recesserunt. *De iisdem sentit Herodianus* 2, 44 *in exauctoratione prætorianorum, qui Pertinacem neci tradiderant:* Zonis, vestituque, & ceteris militiæ insignibus per vim ablatis, nudos ad vnum exautoratosque dimiserunt. *Tunicatum apparere in publico, magnum Romæ & in castris fuit vilitatis & humilis sortis argumentum. Contra, interdum toga ignominiæ caussa sumi iussa: sed abscissis laciniis deformis,*

mis, vt apud Val. Max. 2, 7, 9. Nec dissimilis historia est quæ narratur primo Paralipomenon, cap. 19. nam ibi quoque ignominiæ caussa vestis præciditur. Casaub.

Ibid. (z) discinctosque] *Plutarch.* ἀζώστους, *Polyænus* ἀνεζωσμένους. *Olim qui aliquid seriò facere parabant, cingulo vestes aliàs fluxas constringebant: quod proprie Latini dicunt* accingere se operi. *Inde homo naues* ἀζωνότερος *dictus. Sed si res vrgeret, discincti opus aggrediebantur. Hesiodus Erg. v. 343.*

Τέτρησι ἄζωστος ἅμ' ὀρθρίῃ ἔργον ἐπαύρῃ.

[Discinctus vicinus adest, cingitque propinquus.]

Valet ibi ἄζωστος, *sine mora vlla aut tergiuersatione. Ideo notant Græci litteratores, poni* ζώσασθαι *interdum* ἐπὶ ἀργίας [*de segnitie, cunctatione*] *Adimebantur autem militibus ignominiæ caussa cum cingulo interdum & calcei, siue caliga. Valerius Max. 2, 7, 9. Casaubon. Discinctorum cum ignominiæ militiæ exempla sunt in Plutarchi Lucullo c. 30. Frontino 4, 1, 26. 27. 28. 43. Treb. Pollionis Auidio Cassio c. 6. Huic affine, quod Zosimus lib. 3. de Iuliano scribit:* Amictos veste muliebri per castra duxit, ratus, militibus, qui viri essent, eam pœnam grauiorem morte futuram. *Adde Plutarchi Agesilaum c. 51. Brisson. selectar. antiquit. 2, 7.*

Ibid. (a) cum decempedis, vel et. cesp. port.] *Hoc pacto indicabatur regradatio. In militia Romana sua cuique pro loco quem obtinebat in matriculis dignitas: vt quisque fortiter fecerat, aut flagitium admiserat, ita vel præponebatur aliis, vel postponebatur. vt lege 3. Cod. De commeatu. Infimus gradus erat tironum militiam auspicantium, & caligatorum, quos nullum adhuc facinus egregium in altiorē promouerat gradum. His omnia fere incumbebant militiæ munia. nam in multis eorum opera vtebantur tribuni & centuriones, plane in modum seruorum, vt ipsi queruntur apud Tacitum Annal. 1, 17. Inde sunt isti* munifices *appellati: quibus opponebantur* beneficiarii, *qui vacationem munerum militarium habebant. Qui igitur contra militarē disciplinam aliquid admiserant, ii regradatione puniebantur, fiebantque amisso ordine in quem promoti fuerant, pro beneficiariis munifices. Sic refert Valerius Max. 2, 7, 15. [& Frontinus 4, 1, 44.] senatum permisisse M. Marcello, vt eorum opera in expugnatione Syracusarum vteretur, qui apud Cannas Rempub. deseruerant: sed ita,* dum ne quis ex eis munere vacaret. *Inde est, quod Augustus centuriones ignominiæ caussa iubet cum decempedis stare, & cespite comportantes: quorum multus vsus in tabernaculis conficiendis, aliisque obeundis militiæ muneribus.*

bus. Casaub. Palatinus pr. non habet à manu prima, vel etiam *sec. ac tert. habent quidem* vel; *sed non agnoscunt* etiam. *& poterat sane abesse. Gruterus. Commodiore sensu abest vtrumque, vt accipiamus, illos decempedam simul ac cespitem, fossorum insignia, gestantes stetisse.*

Ibid. (b) cespitem portantes] *Polyænus* [*lib. 8. in Aug. n. 3.*] iussit lateres ferre (πλινθοφορεῖν) totum diem. *non exprimit vocem Latinam* cespes. *neque enim est* πλίνθος, *sed* χῶς ἐκλομὴ βαθεῖα, *vt Plutarchus vertit in Pompeio c. 67. Glossarium: cespes,* χερόπλινθος, χερόβολος, πλίνθος. *legendum* χερόπλινθος, χερόβωλος, πλίνθος. *Poterat omittere tertiam interpretationem. Animaduertimus & alios auctores Græcos in ea voce exprimenda laborare. Casaubon. Videri forte queat* πλίνθος, *non proprie quidem, sed tamen alio deficiente vocabulo (nam βῶλος materiam potius quam formam exprimit) cespiti non male conuenire, quod cespes laterem formá præ se ferat. Vnde & liber Notitiæ vtriusque Imperii* Laterculus *dictus est, quod esset ad lateris instar factus: & geometræ quoduis corpus quadrum, non tamen in cubum perueniens, quale etiam cespes est,* πλινθίον, *hoc est laterculum appellant. certe lateri cespitem assimilat, eiusque mensuram simul exprimit Vegetius in de re milit. 3, 8.*

CAPVT XXV.

1 NEque post bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum, vllos militum (*a*) *commilitones* appellabat, sed
2 *milites*. ‖ Ac ne à (*b*) filiis quidem, aut priuignis suis, imperio præditis, aliter appellari passus est: (*c*) ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua (*d*) domusque suæ maiestas postularet. ‖ Li-
3 bertino (*e*) milite, præterquam Romæ (*f*) incendiorum caussa, & (*g*) si tumultus in grauiore annona metueretur, (*h*) bis vsus est: semel ad præsidium colonia rum (*i*) Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni flu-
4 minis. ‖ eosque (*k*) seruos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, (*l*) sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. ‖ Dona (*m*) militaria
5

aliquanto facilius, (*n*) phaleras & torques, (*o*) quidquid auro argentoque constaret, (*p*) quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, (*q*) & sine ambitione, ac sæpe etiam (*r*) caligatis tribuit. ‖ M. Agrippam in Sicilia post naualem victoriam 6
(*s*) cæruleo vexillo donauit. ‖ Solos (*t*) triumphales, quam- 7
quam & socios expeditionum, & participes victoriarum suarum, nunquam donis impertiendos putauit: (*u*) quod ipsi quoque ius habuissent tribuendi ea quibus vellent.
‖ NIHIL autem minus in perfecto duce, quam (*x*) festi- 8
nationem temeritatemque conuenire arbitrabatur. Crebro (*y*) itaque illa iactabat:

Σπεῦδε βραδέως, &

(*z*) Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

Et, *Sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene.* ‖ PROELIVM qui- 9
dem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumenti spes quam damni metus ostenderetur. ‖ Nam *minima commoda non minimo sectantes discri-* 10
mine, similes aiebat *esse* (a) *aureo hamo piscantibus: cuius abrupti damnum nulla* (*a*) *captura pensari posset.*

Num. 1. (*a*) commilitones] *Auctor Historiæ Miscellæ* 7, 16. *Augustus* auunculi (*Cæsaris*) inuentum vehementer arguebat, qui milites COMMILITONES nouo blandoque more appellans, dum affectabat carior fieri, auctoritatem Principis emolliuerat. *Adhuc longius progressus Imp. Antoninus Caracalla*, commilitonem *se quam* Principem *à militibus appellari malebat. Herodianus* 4, 12. *Sed & ab Imp. Constantino* conueterani *dicuntur l.* 1. *C. de veteran. Adde notata ad Cæs.* 67, 3.

Ibid. (*b*) filiis] *adoptiuis, Caio & Lucio.* Priuignis, *Tiberio & Druso, Liuiæ filiis.*

Ibid. (*c*) ambitiosius) *h. e. blandius & κολακικώτερον. nam appellare milites* commilitones, *eius ducis est, qui per blanditiam suos in officio velit retinere, Iustinus* 14, 2, 8. Itaque Eumenes blandimentis agere: suppliciter

suppliciter singulos alloqui: nunc commilitones suos, nunc patronos appellans. *Casaub.* *Bene noster*, post bella ciuilia *demum hoc Augustum instituisse. nam antea nec ipsum eiusmodi blanditiis abstinuisse, patet ex Appiano Ciuil. lib. 4. & 5.*

Ibid. (*d*) domusque suæ] Domus *pro familia imperante sumitur & apud Iustinum 12, 15, 1. 16, 5, 2. &c. Quomodo Xerxis famuliam Thucydides 1, 22, 8. οἶκον appellat. nec aliter vernacula nostra. Tacito* regnatrix domus est, *Annal. 1, 4, 7.*

2. (*e*) Libertino milite] *Seruis in idipsum manumissis. Vetustiores*, libertos *vocabant: posterior ætas etiam* libertinos. *Casaub.* *Fecit hoc Augustus exemplo non nouo. Videndi Liuius 22, 57, 11. 23, 14, 3. Florus 2, 6, 23. & 30. 3, 21, 11. Iustinus 3, 5, 6. 22, 4, 5. Macrobius Saturn. 1, 11. &c. Vnde apparet, non nisi exigente necessitate, seruos, nec nisi prius manumissos, in militiam fuisse cooptatos. Apud Thucydidem tamen 5, 7, 12. Spartani seruis demum è bello reuersis libertatem donarunt. quod & Romani fecere. Liu. 24, 16, 8.*

Ibid. (*f*) incendiorum caussa] *Pluribus vna die exortis incendiis, septẽ cohortes opportunis locis constituit Augustus, vt binas regiones vrbis vnaquaque cohors tueretur, præpositis eis tribunis, & super omnes spectabili viro, qui Præfectus vigilum appellabatur. Paullus & Vlpianus Digest. de Officio præf. vig. Hos initio libertini generis fuisse, ostendit Suetonius de eadem re loquens, infr. 30, 2. Torrentius.*

Ibid. (*g*) si tumultus in grauiore annona metueretur] *Qui metus frequens in vrbe: vtique postquam populus Rom. suffragii iure amisso, cœpit curare panem & Circenses solum* [*Iuuenal. Satyr. 10, 80.*] *Vide Suetonium in Claudio c. 18. Symmachum locis plurimis, & Ammianum Marcellinũ 14, 21. & 19, 21. Casaub.* *Plebem Byzantinam, ob famem, Imperatori suo insultantem etiam in ipso templo, eumque maledictis & lapidibus insectantem facit Simocatta 8, 4. Vere Lucanus 3, 58.*

— nescit plebes ieiuna timere.

Ibid. (*h*) bis vsus est] *Dio in actis anni* DCCLIX. *& anni* DCCLXII. *Macrobius 1, 11.* Cæsar Augustus in Germania & Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellauit. *Cas.*

Ibid. (*i*) Illyrico cũ contingentiũ] *Vt Aquileia, Concordia in Carnis, Istria finitimarũ: vel Pola, & circumiectarũ Arsia fluminis Italiæ confinio vrbium.*

3. (*k*) seruos adhuc viris pecuniosioribus indictos] *Quæ, malum, ista dementia eorum, qui* periculosioribus *hoc loco scripserunt? quæ porro doctos viros superstitio tenebat, vt ineptissimam lectionem tam diu retinerent? Neque illos probo, qui* peculiosioribus *legunt* [*Faber Semestr.* 3, 25. *& nuper Aurelianus ad Tacitum pag.* 112.] *nam ea vox neque ferri potest, neque vllius ἀξιωσίᾳ libri auctoritate nititur. in omnibus enim, nostris quidem, est vera lectio* pecuniosioribus. *Dio lib.* 55. *pag.* 652. B. A viris feminisque ex ipsorum censu seruos cum semestri victu acceptos manumisit. *Velleius* 2, 111, 1. *in eadem historia:* Viri feminæque ex censu libertinum coactæ dare militem. *Iterum vero testificari cogimur,* pecuniosioribus *scriptum in melioris notæ libris omnibus, vt Viterb. Pithœi, Listæi, ceteris. adeo vt non esset: tamen ex Dione facile erat videre intelligenti harum litterarum, sic legi debere. Hæc nobis animaduersa nuper & liquido probata. Quod nunc repetimus, in causa est vir doctus, quam his ce diebus non sine admiratione legebamus disputatio, contendentis* peculiosioribus *recte scribi. Quæso autem quo argumento? non alio validiore, quam quod Sidonio dicatur* ager peculiosus in pastoribus. *lib.* 2. *epist.* 2. *fin. Sed profecto* aliud noctua, aliud cornix sonat: *aliud, inquam, loquitur Suetonius, aliter Sidonius. Mihi vero is scriptor in re Latinitatis,* improbus intestabilisque est. *Casaub. Omnino* pecuniosioribus *rectum est, etiam ex l.* 5. *& 178. de V. S. iuste factum ab Augusto, scilicet* vt in dites à pauperibus inclinarentur onera, *sicut olim à Seruio Tullio Rom. rege institutum docet Liuius* 1, 43, 10. *& post reges à Senatu, idem* 2, 9, 5. *nec immerito Bodinus de Repub.* 6, 2. *queritur, in Gallia trium hominum genera, Sacerdotes, Nobiles ac Magistratus fere omnes, omnia tributa in miseros opifices & aratores reiicere. Non valde dissimilis huic nostro locus est apud Vegetium* 1, 7. possessionibus indicti tyrones. *Ita namque magnus ille Cuiacius emendat* [*erat antea* possessoribus] *cum tyronum præbitio in patrimoniorum viribus potius, quam in personarum muneribus collocanda sit, ex l.* 7. C. *Theod. de tyronib. Sane nihil iniquius æqualitate illa, cum non ex censu tributa, sed capitibus indicuntur.* κεφαλατικὰ, *q. capitationem vocat Zonaras, & inter scelera Leonis Isauri Imp. numerat, tom.* 3. *pag.* 86, 20.

Ibid. (*l*) sub priore vexillo] *quod, vt arbitror, primæ acie eos collocaret, vti & accensos solebant, ac minimæ fiduciæ manum. Mallem tamen* sub proprio vex. *Torrentius.* sub primore vexillo *placet Casaubono.*

4. (*m*) Dona militaria] *De quibus Lipsius Mil. Rom.* 5, 17.

Ibid. (*n*)

Ibid. (*n*) phaleras & torques] *quorum discrimen apparet ex illo Silii Italici* 15, 255.

——— phaleris hic pectora fulget:
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

nam phaleræ demissæ ad pectus pendebant: torques stringebant magis & ambibant ipsum collum.

Ibid. (*o*) quicquid auro argentoque const.] *Lege* [*cum editione Romana*] & quicquid. *nam omnino ita postulat sententia. Militarium donorum, atque adeo omnium præmiorum duo sunt genera: quædam honoris signum solum habent: vt palma, oleæ ramus, hasta pura, corona graminea, vel querna, & id genus per se nullius pretii vel parui: sed quæ in precio habentur propter id quod per illa significatur. In quibusdam inest & rei largitio, & honoris signum coniunctim. Hæc proprie δῶρα, dona, appellat Aristoteles Rhetoric.* 1. 5. *m. ac notat vere, propterea & opum & gloriæ cupidos donis esse appetentes. ambo enim consequuntur ea quæ requirunt. nam & res dono inest, quam appetunt auari: & honos quem ambitiosi desiderant. Huius generis sunt torques ac phaleræ, aliæque multa, quæ Augustum facilius dedisse notat Suetonius, quàm vallares & murales coronas. Erant ista quoque ex auro: sed vt aperte indicat Suetonius, pauco; vt pretio comparandæ non essent cum torquibus ac phaleris, quare ad prius genus pertinent. amplius enim erat in eis honoris signum, quàm rei largitio: contra in phaleris ac torquibus, aliisque multis. Doctum virum* [*Torrent. h. l.*] *non audio emendantem,* quanquam auro arg. *Casaubonus. Hæc & sequentem expendenti notam non necessaria quoque videbitur emendatio Lipsii Mil. Rom.* 5, 17. *traiecta* quàm *particula sic legentis*: quidquid auro argentoque constaret, vall. ac mur. coronas, quàm quæ hon. præcellerent, dabat. *Pertinet huc Amirati dissertatio secunda libri secundi, Quàm facile minimoque dispendio Principes subditorum virtutem remunerari queant. Adde Piccart. observation.* 1, 6.

Ibid. (*p*) quàm vallares ac mural. cor.] *Quare omisit civicas? Hæ si materiæ æstimationem spectes, omnium vilissimæ. fuerunt enim initio ligneæ, postea ex esculo, tandem querneæ: si honorem eis habitum, omnium gloriosissimæ & superbissimæ, præter obsidionalem. Quare parcissime omnium datæ istæ ab Augusto: quem & alii postea Principes sunt secuti. Videtur civica, postquam cœpit appendi foribus Imperatorum, quasi propria eorum habita, & pars maiestatis ipsorum. Ex his lucem accipit iocus Augusti apud Quinti-*

lianum 6, 3. D. Augustus, *ait*, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella periocum, tentans tamen ioci sui euentum, dixisset: Imperator, torque me dona: malo te, inquit, ciuica donare. *Cum Dolabellæ torquem maximæ indicaturæ petenti, ciuicam potius se daturum ait Augustus, hoc ipso satis indicat quanti faceret donum ciuicæ, quam nisi coactus non daret. Casaub. Cur autem ciuicæ, vt honore amplissimæ, sic materiâ vilissimæ fuerint, à Plinio 16, 4. ratio redditur:* ô mores æternos, qui tanta opera honore solo donauerint: & cum reliquas coronas auro commendarent, salutem ciuis in pretio esse noluerint, clara professione, ne seruari quidem hominem fas esse lucri caussâ. *De hac ceterisque militarium coronarum generibus satis tradiderunt Polybius 6, 37. Plinius 7, 28. 16, 4. 22, 3. & seqq. Plutarchus in Coriol. c. 3. Agellius 5, 6. Zonaras lib. 2. & è recentioribus exactissime Car. Paschalius, operis coronarii libro 6. Pictas earum imagines exhibet Stevechius ad Vegetium pag. 83. 84.*

Ibid. (*q*) & sine ambitione] *non gratia, sed ex merito. Impp. Honorius & Arcadius Stiliconi magistro mil.* Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire. *Casaub. Sin fiat aliter, accidere solet id quod est apud Vegetium 2, 3. princ.* Legionum robur per negligentiam superiorum temporum infractum est, cum virtutis præmia occuparet AMBITIO, & per gratiam promouerentur milites, qui promoueri consueuerant per laborem.

Ibid. (*r*) caligatis] *H. e. gregariis, & ordinis imi, quos antea* manipulares *appellauit. A* caliga *nomen ductum, quod vulgare fuisse constat vel infimi ordinis militum calceamentum. Vnde & Imperatori Caio,* Caligulæ *cognomen tributum Tacitus 1, 41, 4. Diolib. 57. pag. 694. A. & Nostier in Calig. 9, 1. tradunt, quod in castris genitus, & contubernio legionum eductus, plerumque ad conciliandas vulgi studia eo tegmine pedum vteretur. Sic Ventidium Bassum* iuuentam inopem in caliga militari toleralse, *Plinius 7, 43. pr. sic* à caliga Marium ad consulatum perductum *Seneca Benef. 5, 16 scribunt. Hinc* caligatam militiam *dixit Modestinus l. 10. ff. de excus. tut. & l. 21. C. de nupt.* à caligato milite vsque ad protectoris personam, *h. e. ab imo ad superiorem gradum. Nec tamen gregarios solum, sed ipsos centuriones ducesque in castris caligatos fuisse indicio est, quod Iulianum centurionem caligas creberrimis atque acutis clauis ceterorum militum more fixas gestantem, dum strato saxeis crustis solo curreret, pro-*

lapsum

lapsum Iosephus bell. Iud. 7,3. refert. Ex quo coniicitur, commune omnium qui in castris versabantur, id calceamentum fuisse: qua causa & à Dione, citato supra loco στρατιωτικὸν ὑπόδημα *generatim appellatur. Sed enim in caligarum ornatu facile potuit elucere gregariorum & clariorum militum differentia. Clauis enim caliga figebantur, iisque vel ferreis, vel argenteis, vel aureis, vt quisque luxu atque opibus diffluebat. Hac fere Lipsius not. 172. ad 1. Annal Tacit. & Brissonius select. antiquit. 2, 5. Clauorum caligarium formam colligas ex Plinio 9, 18. fin.*

5. (*s*) cæruleo vexillo] *H. e. glauci marinique coloris (quem & cæsium, quasi cælium à cæli colore, & thalassicum, & Venetum appellant) scilicet vt insigne esset maritimi prœlii, naualisque victoriæ. Quomodo Sextus Pompeius, ob multiplices in mari successus, pro purpureo cæruleum paludamentum induit, Appiano teste, Ciuil. 5. pag. 729. D. & Dione lib. 48. pag. 442. A.*

6. (*t*) triumphales] *Qui aliquando triumpharunt: vt consulares, prætorii, qui consules, qui prætores fuerunt.* ὁ δόξαν ἐπὶ τροπαίοις προσγενομένην λαχὼν, *multo verborum ambitu circumscribitur Herodiano 7, 7.*

Ibid. (*u*) quod ipsi quoque] *Id ius libera Repub. penes eos erat, quorum auspiciis bellum gerebatur. postea sublata libertate, duces cum auspiciis hoc quoque ius amiserunt: non tamen repente, nec* ἀθρόως, *sed primum ea desierunt donare, quæ honore præcellebant: deinde etiam alterius generis. Ciuicam sane sub Augusto iam & Tiberio rarò dederunt. Tacitus Annal. 3, 21.* Quo prœlio Rufus Heluius gregarius miles seruati ciuis decus retulit, donatusque est ab Apronio torquibus & hasta. Cæsar addidit ciuicam coronam: quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. *Casaubon.*

7. (*x*) festinationem temeritatemque] *Fabius apud Liuium 22, 39, 14.* Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio improuida est & cæca. *Et Paullus Æmilius apud eundem. 22, 38, 5. ait,* temeritatem præterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse. *Antonius in Tacito hist. 3, 20.* Duces prouidendo, consultando, contatione sæpius quàm temeritate prosunt. *Et Corbulo legionibus præcipit apud eundem Annal 15, 3.* compositius cuncta quam festinantius agerent. *Plutarchus in Sertorio c. 29.* Oportet ducem respicere magis quam prospicere. *Scipio Africanus* turpe esse *aiebat* in re militari dicere, Non putaram: videlicet quia explorato & excusso consilio, quæ

ferro

ferro aguntur, administrari oportere arbitrabatur. Inemendabilis enim est error, qui violentia Martis committitur. *Valer. Max.* 7, 2, 2. *Sed hæc in consultando quidem locum habent. nam in exequendo laudatur, qui* extra dilationes positus, consultis facta coniungit. *Velleius* 2, 79.

Ibid. (y) Crebro itaq; illa iact.] *Vetus codex*, crebroq; ita iact. *Lego*, crebroque illa iactabat, *quæ sequuntur scilicet, præsertim quod in sermonibus & in epistolis sæpe vsurpabat,* σπεῦδε βραδέως, *vt ad rem agendam adhiberetur & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Sic Agellius* 10, 11. [*adde Macrobium Saturnal.* 6, 8. *m. & Polyænum strateg. lib.* 8. *pag.* 594.] *Quod dictum Augustus nummis quoque suis expressit, cum Terminum fulmini coniunxit, vt anchoram delphino Titus, Imperator Augusto similimus. Versus autem Græcus Trochaicus est ex Euripidis Phœnissis num.* 602. *quo Augustus illud suum* Festina lente *confirmabat, quemadmodum & Catonis verbo,* Sat cito, si sat bene, *cuius meminit & D. Hieronymus, epist. consol. ad Pammach. t.* 1. *pag.* 165. *A. Torrentius. Erasmi circa hunc locum errorem aperit Paulus Leopardus Emendation.* 9, 20.

Ibid. (z) ἀσφαλὴς γὰρ] *Dux* ἀσφαλὴς *Latine* cautus, *cui opponitur* audens, *vt in Cæs.* 58, 1. dubium cautior an audentior. *Tacit Hist.* 2, 25. *de Suetonio Paullino*: Contator natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent. *Am. Marcellinus* 16, 3. Iulianus nec itinera nec flumina transiri posse sine insidiis putans, erat prouidus & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus & salutē. *Appianus Annibalicis pag.* 321. *B. refert, Augustum, Fabii Maximi, qui cunctator dictus est, factum in ore sæpe habuisse. Idem Ciuil.* 5. *pag.* 720. *E. verbum Augusti memorat,* οὐκ εὔβουλον εἶναι τὸ ῥιψοκίνδυνον: inconsultum esse, se periculis obiicere. *In Viterbiensi, vbi pleraque Græca eleganter sunt perscripta, hic tamen versus desideratur, relicto vacuo eius spatio. In ora vero hæc adscripta est interpretatio ad verbum, vt vbique Græci quod abest*: Accelera tarde sciens optime manentia in pugna bellatorem. *Quid dicemus? an nugas esse meras hominis Græce indocti? an talem aliquam Græcam lectionem reperit auctor huius interpretationis?* —— σπεῦδε βραδέως, τοῦ τὸ γιγνώσκων ἔτι

Τὰ λῶστα μίμνει ἐν μάχῃ τοὺς ἀσφαλεῖς.

Sed recta est lectio vulgata, quam & Memmianus confirmat. Casaub. Versum illum Gruterus scribit abesse Palatino tertio; conspici tamen in primo

&

& secundo, sed litteris miserrime detortis: ad oram verò primi adscriptam illam quasi Latinam interpretationem à Casaubono modò relatam.

9. (a) aureo hamo pisc.] *Hoc frequenter vsuenit iis, qui scrutantur abditas terræ venas: sed frequentius qui vulgo dicuntur Alcumistæ, de quibus apud Athenæum 6, 4. venuste dixit Phalereus Demetrius, quod frequenter certis consumptis incertorum gratia, quæ se capturos sperabant, non ceperint: quæ verò habebant, perdiderint. Estne huic simile, aut quid tandem sibi vult illud oraculi pronunciatum apud Thucydidem 5, 3, 14.* vomere argenteo arare? *Quæ mox sequitur vox* capturæ *pro præda piscando venandoue capta, vsurpatur etiam à Plinio 9, 8. f. & 9, 59. m. & 10, 40. f. &c. Frontino strateg. 3, 3, 6. non aliter ac* venatio *feram ipsam significat Livio 25, 9, 6. Ita Columella 9, 1.* venationem voluptati suæ claudūt. *Sic ἄγρα Græcis.*

CAPVT XXVI.

1 MAgistratus atque honores & (*a*) ante tempus, & quosdam (*b*) noui generis, perpetuosque cepit.
2 ‖ (*c*) Consulatum vigesimo ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad vrbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus depoſcerent: cum quidem cunctante senatu, Cornelius centurio, princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere;
3 *(d) Hic faciet, si vos non feceritis.* ‖ Secundum consulatum (*e*) post IX. annos; tertium anno interiecto gessit: sequentes vsque ad vndecimum (*f*) continuauit: multisque mox cùm deferrentur recusatis, duodecimum (*g*) magno, id est septemdecim annorum interuallo; & rursus tertiumdecimum biennio post vltro petiit: vt Caium & Lucium (*h*) filios, (*i*) amplissimo præditus magistratu, (*k*) suo quemque tirocinio deduceret (*l*) in forum. ‖ Quinque medios
4 consulatus à sexto (*m*) ad vndecimum, annuos gessit: (*n*) ceteros aut nouem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus; secundum verò paucissimis horis. Nam (*o*) die Ka-

lendarum Ianuarii, (p) cum manè pro æde Capitolini Iouis (q) paululum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. ‖ Nec (r) omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula (s) Samo, octauum & nonum (t) Tarracone iniit. 5

NOTÆ IN CAPVT XXVI.

Num. 1. (a) Ante tempus] *Tacitus* 11, 22, 3. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctisque ciuium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima iuuenta consulatum ac dictaturas inirent. *Sed hoc apud maiores illos antiquissimos. Postea legibus latis effectum est, vt consulatus ante 42. annum peti, ante 43. geri non posset: prætura nec peti ante 39. nec geri ante 40. annum: ædilitas nec peti ante 36. nec geri ante 37. annum iure posset, nisi quis legibus solueretur, vt ostendit* Nicol. *Gruchius de Comitiis Rom.* 1, 3. *pag.* 63. *&* seqq. *Legem hac de re à L. Villio Trib. pl. latam, indeque cognomen familiæ inditum, vt* Annales *appellarentur, affirmat Liuius* 40, 43, 6. *Ad has leges annales, siue annarias (quæ* comitiales *Pacato panegyr.* 6. 7. *) respexit Ouidius in Fastis* 5, 65, *cum ait:*

Iura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, vnde petatur honos.

Soluendi legibus hisce potestatem Populo Rom. tribuit memorabile dictum Scipionis apud Liuium 25, 2, 5. *cui cum ædilitatem petenti tribuni plebis obsisterent, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima ætas esset:* Si me, *inquit*, omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo. *Adde quæ supra* 12, 1. *d. animaduersioni Casauboniana subiecimus.*

Ibid. (b) noui generis] *vt triumuiratum.* Perpetuos] *vt tribuniciam potestatem, & censuram.*

2. (c) Consulatum XX. ætatis anno inuasit] *ad. XIIII. Kal. Septembr.* [*iuxta Dionem lib.* 56. *pag.* 676. *A.*] *nec amplius deerant XX. anno Octauio, quam XXXVI. dies. non enim errant, neque Dio, neque Suetonius, vt scribit vir magnus: sed vt opinor, aliud agens: nam res clara est & certa. Factum*

ta. Factum autem hoc ab Octauio sine exemplo vllo, ait Dio lib. 46. pag. 365. B. recte sanè: nisi vnum Marium iuniorem excipias, qui & ipse consul ante annos viginti per vim creatus est, inquit Florus lib. 86. sed quia mera vi id factum, cum eo noluit fortasse Dio Augustum comparare: qui per speciem saltem aliquam liberorum suffragiorum consul est creatus. Solinus; Cæsar Augustus consul creatus est nonum decimum annum agens. Tirom in historia Romana non imponant centuriones Cæsariani, qui apud Appianum Ciuil. 3. pag. 582. C. petitionem illius defendere conantur, exemplo Coruini & Scipionis, qui inferiores ætate facti sint consules. nam id falsum est & commentitium: siue Appiano hoc imprudenter exciderit, siue centuriones impudenter iactauerint. M. Valerius Coruinus annorum saltem duorum & viginti fuit: Scipio Africanus superior (nam illum intelligit) tam ferè vltra ætatem Octauii, quàm citra legitimam. Casaub. Appianum si recte capio, νέος & ἔτι non significat Augusto iuniorem fuisse, sed simpliciter iuniorem adhuc, id est, ætatis ad capessendos honores immaturæ, quod verũ est. Florus Epitome Liuii 119. fin. tradit, Augustum consulem creatum, cum annos 19. haberet, puta completos. Nam quod cum Nostro Plutarchus in Bruto c. 38. fin. ex ipsius Augusti commentariis refert, cum viginti annos natum iniisse consulatum, nondum exactos illos intelligendum est. Et Causabonus quidem Dionem secutus (quam rationẽ & Lipsio ad Tacit. 1. not. 64. placere video) dies 36. ad annum 20. defuisse statuit; at Velleius 2, 65, 4. vnum tantum. Consulatum iniit, inquit, pridie quam viginti annos impleret, 10. Kal. Octobres. Et constat exacte ratio. Natus enim est Augustus, Cicerone consule, 9. Kal. Octob. à quo tempore ad 10. Kal. Octob. tempus initi consulatus, numerantur anni viginti, vno die minus.

Ibid. (d) Hic faciet] Iulium Cæsarem aiunt, cum audiret negari sibi consulatum, dixisse, manu ad gladii capulum admota, Hic impetrabit. Appianus Ciuil. 2. pag. 443. A. Alii hoc aliter. Casaub. Plutarchus autem in Cæs. c. 44. fin. non Cæsarem, sed missum à Cæsare centurionem idipsum dixisse refert. Nec minus de Augusto variant. Nam Dio lib. 46. pag. 363. D. non in curia, vt Noster, sed extra eam, legatum ista dixisse refert, cum gladium, quem curiam ingressurus deposuerat, resumpsisset. sed illud credibilius, ac militari ferocia conuenientius est: vt ad morem Romanum forte Dio respexerit. Et sane gladio accinctis aliás introire curiam haud licuisse,

colligitur ex Cicerone Phil. 2, 8. & Familiar. 10, 2. Tacito 4, 21, 3. & 6, 15, 5. ipsoque Suetonio in Tib. 30, 5. & Claud. 12, 3. Quomodo Charondas Thuriis legem & tulit, & suo ipse supplicio sanxit, ne quis cum ferro in concionem prodiret. Val. Max. 6, 5. ext. 4. Aliter tamen Galli apud Liuium 21, 20, 1. & Germani apud Tacitum Germ. 11, 5.

3. (*e*) post nouem annos] *A primo scilicet consulatu. Lege cautum erat, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet. autores Liuius 7, 42, 2. & Cicero de legib. 3, 3, 7. Sed Augustus huiusce legis fuit praeuaricator. Beroaldus. Sit amen is dicendus praeuaricator est, qui legibus per quas oportet solutus hoc facit. Augustus certe non nouo id fecit exemplo. Nam ita T. Manlius consul fuit II. anno V. C. CCCCXI. & III. anno CCCCXV. L. Papirius Crassus anno CCCCXIX. & CCCCXXV. Marius aliquot consulatus continuauit.*

Ibid. (*f*) continuauit] *Sine aliquo temporis interuallo, sine interruptione gessit.* Continuare consulatus *dixit autor & Ner. 14. & Domitian. 13, 6. Sic in Claud. 14, 1.* Consulatus quatuor gessit, duos iunctim, sequentes per interuallum.

Ibid. (*g*) magno, id est 17. an. int.] *Liber Torrentii :* magno decem & septem an. int. *sine* id est, *quod hoc loco valeret* nempe.

Ibid. (*h*) filios] *Adoptiuos, de quibus infra 64, 2.*

Ibid. (*i*) amplissimo praeditus magistratu] *Pessime antea legebatur,* amp. praeditos mag. *neque enim tyrones illi vllum gerebant magistratum, sed Augustus ipse tempus illud captabat, vt amplissimo praeditus magistratu, hoc est consulatu, suos in forum deduceret.* Amplissimorum *titulo, Consules honorantur etiam l. 50. ff. de condit. & demonst. l. 1. §. si quis. ff. de appellationib. & relat.* Amplissimus ordo *Senatus est, cum in iure sepius, tum apud nostrum in Oth. 8, 4. & Vespas. 2, 6. Symmach. epist. 4, 4.*

Ibid. (*k*) suo quemque tirocinio deduceret in forum] *Mos ex Cicerone, Suetonio & aliis multis Latinorum notus, Appiano notatur Ciuil. 4. pag. 607. A.* Attilius, qui tum primùm virilem togam sumpserat, sacra ex more petebat amicis deducentibus. *Idem Mos per prouincias seruatus, vt docet Apologia Apulei. At Sparta longe aliter. Trogi breuiator lib. 3. c. 3. cum allusione ad morem Romanum :* Pueros puberes non in forum, sed in agrũ deduci praecepit. *Casaubonus.* Suo quemq; *dicit autor : scilicet maiorẽ natu in duodecimo consulatu, minorẽ in sequente.*

Ibid. (*l*) in forum] *Scribit vir doctus, à Nostro in Claudio 2, 4. vt insolens*

leus notari; quod togæ virilis die non in forum, *sed* in Capitolium *fuisset deductus. Atqui simul vtrumque solemne fuisse, patet cum ex citato modò Appiani loco (sacra enim illa vtique in Capitolio peracta) tum etiam ex hoc Propertii* 4, 1, 131.

Mox vbi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga.

Clare Valerius Max. 5, 4, 4. M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus vt è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit; peractumque reum iudicio afflixit, & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus. *Adde Claudian. de 6. consulatu Honorii v.* 73. *E Capitolio igitur in forum deducti, primum eloquentiæ tirocinium edebant. Hinc* tirocinii diem *hunc vocat autor Tib.* 54, 1. *&* togæ virilis diem, *Claud.* 2, 4. *In sumenda porro virili toga denarium in ædem Iuuentutis delatum, vt sciretur, quam multi per ætatem idonei militiæ essent, refert ex Pisone historico Dionysius Halicarn.* 4, 19.

Ibid. (*m*) ad vndecimum] *Palatini tres annum detrahunt, supposito,* ad decimum. *Gruterus.*

Ibid. (*n*) ceteros aut nouem, aut sex] *Haud aliter Palatini. Retro vulgati,* ceteros autem sex, aut nouem, aut sex &c. *minus recte; sane contra membranas, à quibus ne latum quidem vnguem abeundum. Gruter. Ita quoque Mss. quidam Vrsini, Torrentii, Casauboni, & ex editis optimus quisque, vt Roberti Stephani: quos non sequi religio fuit.*

Ibid. (*o*) die Kalend. Ian.] *Nam is dies solennis erat ineundis magistratibus. Ex quo Martialis iocus* 10, 41. *in eam, quæ à marito prætore designato Calendis Ianuariis diuerterat, quò, sumptus qui in purpuram noui magistratus impendendi erant, vitaret.*

Ibid. (*p*) cum mane pro æde Cap. Iou.] *Ex more omnium consulum, consulare sacrum facturus ascenderat in Capitolium. Casaub.* Proæde *est ante ædem. Sic in Cæs.* 61. *&* 78. pro æde Veneris. *Sallustius Iug.* 94. non castelli mœnibus se tutabantur: sed pro muro agitabant.

Ibid. (*q*) paullulum curuli sella præsedisset] *Vt magistratum auspicaretur, præsedit curuli sellæ, & sui adeundi potestatem fecit. Viro docto* [*Torrentio ad h. l.*] *qui ad strenas refert, non assentior. non enim ea caussa consuli veniendi in Capitolium. quæ autem de Augusti strenis alibi* [*infr.* 57, 2.] *narrantur, nihil huc pertinent. Casaub.*

De sella curuli (quod Beroaldo notatur) accipiendum illud Ouidii, Fastor. 1, 82. Et noua conspicuum pondera sentit ebur.
Et Horatius Epist. 1, 6, 53.

—— dabit, eripietque curule
Cui volet importunus ebur. ——

Curulis *autem sella ob eam causſam appellatur, quod* curru *honoris gratia soliti erant in curiam vehi senatores, qui curulem magistratum, hoc est, maiorē honorem gessissent. in quo curru sella esset, cui insiderent. Agell. 3, 18. Ceterū* præsedit *Augustus auspicandi gratia, pro more Romano, vt quicunque munus aut magistratum caperent, primo eius die leuiter aliquid & quasi dicis gratia delibaret. quo de more plura Lipsius not. 96. ad lib. 4. Annal. Taciti.*

5. (r) Nec omnes Romæ] *Contra vetus institutum scilicet. Qua eadem causſa senatus apud Liuium 21, 63. Flaminium increpat, quod* contra maiestatem imperii, Arimini potius quam Romæ magistratum inierit, & in diuersorio hospitali quàm apud penates suos prætextam sumpserit. *Adde Plutarch. in Cæs. c. 17. & Florum 4, 2, 16.*

Ibid. (s) Samo] *Vide suprà 17, 6. 0.*

Ibid. (t) Tarracone] *Citerioris Hispaniæ oppido, vnde & ipsa* Tarraconensis *appellata.*

CAPVT XXVII.

TRiumuiratum *(a)* Reip. constituendæ per decem annos administrauit: in quo *(b)* restitit quidem aliquandiu *(c)* collegis, ne qua fieret proscriptio; sed incœptam vtroque acerbius exercuit. ‖ namque illis in multorum sæpe personam per gratiam & preces exorabilibus, solus *(d)* magnopere contendit, ne cui parceretur: ‖ proscripsitque etiam *(e)* C. Toranium tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octauii in ædilitate. ‖ Iunius Saturninus hoc amplius tradit; cum peracta proscriptione, M. Lepidus in senatu *(f)* excusasset præterita, & 1 2 3 4

& ſpem clementiæ in poſterum feciſſet; quoniam ſatis pœnarum exactum eſſet, hunc è diuerſo profeſſum, *ita modum ſe proſcribendi ſtatuiſſe, vt omnia ſibi reliquerit li-*
5 *bera.* ‖ in (*g*) cuius tamen pertinaciæ pœnitentiam, poſtea (*h*) T. Iunium Philopœmenem, quod patronũ ſuum proſcriptum celaſſe olim diceretur, (*i*) equeſtri dignitate de-
6 corauit. ‖ In (*k*) eadem hac poteſtate multiplici flagrauit inuidia. (*l*) nam & Pinarium equitem Rom. cum concionante ſe admiſſa (*m*) turba paganorum apud milites (*n*) ſubſcribere quædam animaduertiſſet, (*o*) curioſum ac (*p*)
7 ſpeculatorem ratus, coram confodi imperauit: ‖ et (*q*) Tedium Afrum cos. deſignatum, quia factum quoddam ſuũ maligno ſermone carpſiſſet, tantis (*r*) perterruit minis, vt
8 is ſe præcipitauerit: ‖ et (*s*) Q. Gallium prætorem, in (*t*) officio ſalutationis, (*u*) tabulas duplices veſte tectas tenentem, ſuſpicatus gladium occulere, nec quidquam ſtatim, ne aliud inueniretur, auſus inquirere, paullo poſt per centuriones & milites raptum è tribunali, (*x*) ſeruilem in modum torſit; ac (*y*) fatentem nihil, iuſſit occidi, prius (*z*) oculis eius ſua manu effoſſis, *quem* tamen (a) ſcribit *colloquio petito inſidiatum ſibi, coniectumque à ſe in cuſtodiam, deinde* (b) *vrbe interdicta dimiſſum, naufragio vel latronum*
9 *inſidiis periiſſe.* ‖ Tribuniciam (c) poteſtatem perpetuam recepit: in qua ſemel atque iterum per (d) ſingula luſtra col-
10 legam ſibi cooptauit. ‖ Recepit & (e) morum legumque regimen, æque perpetuum: quo iure, (f) quamquam ſine cenſuræ honore, (g) cenſum tamen populi ter egit; primũ ac tertium cum collega, medium ſolus.

Num. 1. (*a*) Triumuiratum Reipub. conſtituendæ] *Græci hiſtorici* triumuiros Reip. conſtituendæ ἁρμοστὰς *appellant: notatque Appianus Ciuil. 4. pag. 593. A. ſimilem magiſtratum fuiſſe eorum, quos Lacedæmonii mittebant*

mittebant in captas à se vrbes. Verius dixeris, decemuiros illos quos Romani in subactas prouincias ad earum ordinationem mittere soliti, similes fuisse ἁρμοστῆς Spartanorum, τοῖς καθισταμένοις σφῶν τὰ ὑπήκοα, vt idem autor loquitur. at triumuiris istis, vt & dictatoribus similes apud Graecos fuisse, qui turbato intestinis malis Reip. statu, ad eam constituendam soliti creari: hos Thessali ἀρχὰς, Lacedaemonii ἁρμοστὰς (sed qui a superioribus harmostis longe differrent) appellarunt. nam reges & tyrannos nominare verebantur, ait Dionysius Halicarnassaeus, etsi reuera tyrannica aut regia potestate erant praediti. Agathias lib. 1. πράγων ἁρμοστὰς imitatione veterum vocat, quos Francs captis à se vrbibus in Italia praficiebant: sic accipiendum & lib. 4. eiusdem. Istos verò triumuiros Graeci Latinorum imitatione τειῶν ἀνδρῶν appellant, vt in nummis Augusti. Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. item in alio. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ Σ. Δ. Extant & alii ad hunc modum. Dio lib. 4. pag. 191. A. triumuiratum vertit τριαρχίαν. Casaubonus.

Ibid. (*b*) Restitit quidem aliquamdiu] *Ad tertium vsque diem, Plutarchus in Cicerone cap. 67. m. causſam pete ex Dione lib. 47. pag. 377. Casaub.*

Ibid. (*c*) collegis] *Antonio & Lepido.*

2. (*d*) magnopere contendit, ne cui parceretur] *Si prudentia ab honestate & probitate separari potest, dicam consilium prudentissimum fuisse, etsi impium & saeuissimum. Geminum huic illud fuit, quod olim sapientissimus senex Herennius Pontius pater filio dedit, consultus ab eo cum ad Furculas Caudinas, inter duos saltus, clausos exercitus Romanos teneret. Adi ad Liuium lib. 9. c. 3. At de Octauio longe alia narrat Dio ibid. nempe seruatos ab eo quotquot seruari potuerint. Casaub.*

3. (*e*) C. Toranium tutorem suum] *Dubitanter Appianus Ciuil. 4. pag. 596. A.* Quem aiunt tutorem fuisse (ἐπίτροπον) Caesaris. *Vir doctus* [*Torrent. ad h. l.*] *quinotat* procuratorem *vocari ab Appiano, non attendit ad significationem vocis Graecae. Casaub.* Iudicio Torrentii, Toranius hic idem est, ad quem extant Ciceronis epistolae duae sub finem libri 6. familiar. ex quibus magnum & sapientem virum fuisse colligitur. Ab eo diuersus est Toranius mango, cuius meminere Plinius 7, 12. fin. Macrobius Saturnal. 2, 4. ipseque Noster infra 69, 3. Alius item, cuius in patrem pietas commendatur a Dione lib. 53. pag. 590. C.

4. (*f*) ex-

4. (*f*) excusasset præterita] *Quippe, verbo Annibalis apud Liuium* 30, 30,7. præterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. *Tacitus Annal.* 1,10. *in hac ipsa re*: proscriptionem ciuium, diuisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere, laudatas.

5. (*g*) In cuius tamen pertinaciæ pœnit.] *Sic fere loquitur de eodem Augusto Appianus lib.* 4. *pag.* 619. B. Quo auerteret à se Ciceronis proditi dedecus, filium eius augurem fecit, & paullo post consulem. &c. *Casaub. Nimirum vbi concitamentis turbulenta resedit tempestas, iterumque incipit animus obsequi clauo rationis, dilabimur ad aquitatem, ac ne quidem ipsi probamus quod fecimus. Quomodo de Alexandro Iustinus* 12,6,5. Postquam satiatus Cliti cæde animus conquieuit, & in iræ locum successit æstimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit. *Menander apud Stobæum serm.* 4. Οὐδεὶς ξυνὼν ἐξαμαρτάνων, πόσον
Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ.
At nemo peccans, criminis sui modum
Peccando nouit: reperactâ respicit.
Adde Tacit. 11,26,5. *&* 14,10,1. *Iuuenalem satyr.* 3,237. *Huc proprie pertinent & Ouidii loca citata supra ad* 17,4. *l.*

Ibid. (*h*) T. Iunium Philopœmenem] *Dio tantum* Philopœmenem *vocat, Appianus* Philemonem, *quomodo scriptum offendi in quibusdam optimæ notæ Latinis codicibus.* [*Sic etiam est in editione Aldina*] *Patronum huius Dio lib.* 47. *pag.* 377. T. Vinium *nominat: quam lectionem probo, & lego hic quoque* T. Vinium. *atque ita iam inueni in codice Memmiano. Liberti enim,* duo ex manumittente nomina assumunt, *ait Artemidorus* [*fine libri* 5. *Oneirocrit. & exempla quædam sunt vel in Grammaticis autoris nostri*] *& hodie omnibus notum. Quare omnino ita hic edendum fuit. Lego etiam apud Appianum Ciuil.* 4. *pag.* 614. E. Οὐίνιον δὲ ἀπελεύθερος ἀτῦ Οὐίνιος φιλοποίμην. Hæc Casaubonus, cuius iudicium secutus T. Vinium *in textum recepi, præsertim approbantibus Vrsino & Torrentio ad h. l. item Lipsio not.* 1. *ad Tacit. hist.* 1. *& Pighio annal. Rom. tom. vlt. pag.* 606. *pr. vtut Palatini* Iunium *præferunt.*

Ibid. (*i*) decorauit] *nostri quoque Mss.* [*& tres Torrentiani*] honorauit, ἐτίμησεν: *sed prima editio* decorauit. *Cas.*

6. (*k*) potestate] *Viterb.* tempestate καιρῷ. *ferri potest. Cas.* Potestate, *fuerit triumuiratu.* Potestate *Ibid.*

Ibid. (*l*) Nam & Pinarium] *Lego*, nam & T. Pin. *ac de eo T. Pinario interpretor, cuius non infrequens apud Ciceronem mentio.* [*vt ad Q. Frat.* 3,1. *sub fin.*] *ex quo auctore satis liquet, bonarum artium & partium fuisse hunc virum. Casaub.* Æque hic esse potuit ille Lucius Pinarius, *quem Augusto coheredem facit Noster in Cæs.* 83,3. *& Appianus ciuil.* 3. *pag.* 540. *A.*

Ibid. (*m*) turba paganorum] *Sic in Galba* 19,5. *Vbi* Pagani *non sunt, vt Sabellico placet, agrestes, rustici: sed quicunque Romani* non-milites, *quomodo non solum in Iuris Ciuilis libris* pagani *sæpius* militibus *opponuntur: sed & apud Iuuenalem Satyr.* 16,32. *item Tacitum Hist.* 1,53,6. *&* 77,3. *Hist.* 2,88,1. *&c. Et quamuis idem Hist.* 3,24,5. *Antonium milites ipsos,* paganos *appellantem faciat: id tamen ea ratione factum videtur, vt Cæsar exauctoratos milites* Quirites *dixit, quod eos militum appellatione non dignaretur. Ita* cultu pagano *homines,* armatis *opponit Plinius* 7. *epist.* 25. *Cur autem pagani dicantur, qui tamen vrbani sunt, caussam inuenies in Dionysio Halic.* 4,19. *Appiano* ἀπόλεμοι *sunt: Plutarcho & Herodiano* ἰδιῶται. *Atque hinc in Constitutionibus Impp. Christianorum, & Patribus, alieni à fide Christiana,* Pagani *quoque dicuntur, quod scilicet Christi militiæ nondum nomen dederint. Ineptit enim suo more circa vocis huius etymon Isidorus* 8,10.

Ibid. (*n*) subscribere] *subnotare.*

Ibid. (*o*) curiosum] *Proprie* curiosus *est* πολυπεφήμων. *Plautus Sticho* 1,3,55. Curiosus nemo est, quin sit maleuolus: *hoc est,* πᾶς πολυπεφήμων κακοήθης, *ex Plutarcho de Curiosit. cap.* 2 *pr. Nolo excusare scelus Augusti: sed & ille peccauit, qui vel curiosus fuit: vel cur existimaretur, commisit. Casaubonus. Verbum hoc fere semper in reprehensione ponitur: vt apud Ciceronem de fimb.* 1,1. *& pro Dom. c.* 12. *Catull.* 1,7. *&c. Est tamen &* Curiosus *officii nomen. Tertullianus de fuga in persecut. c* 13. In matricibus beneficiariorum & Curiosorum. *Suidas ex Chrysostomi vita notat,* ab vrbis Curioso tractum per mediam vrbem. *Hos crimina iudicibus nunciasse, indicat l.* 1. *C. de curios. & curius publici curam habuisse l.* 13. *C. de cursu publ. Magistrum Officiorum habuisse sub se Curiosum cursus publici præsentalis vnum, & Curiosos per omnes prouincias, docet Notitia Orientis & Occid.*

Ibid. (*p*) speculatorem] Speculatores *fuisse milites, quos Plutarchus in Galba cap.* 30. διασπορεῖς καὶ διαγγέλους [*h. e. exploratores, & annunciatores*]

res] *vocat, pridem docti sumus à doctis. Horum munus erat, vt vbicunque essent, vicem fungerentur* ὠτακουστῶν, [*h. e.* auriculariorum, *vt vertunt Glossæ priscæ, seu delatorum, corycæorum*] *ac si quid ducum vel principum cognitione dignum intellexissent, ad eum statim iter instituerent. Iidem à celeritate qua vtebantur in conficiendis itineribus,* πτεροφόροι [*aligeri, pinnigeri*] *dicti. Hesychius:* πτεροφόροι τέλος τι στρατιωτικόν. *Plutarchus Othone cap.5.* Καὶ πτεροφόροι συνεχῶς ἐφοίτουν, ἀεί τι προσχωρεῖν ἐκείνῳ φράζοντες. *Iuuenalis Satyra* 4. *v.*146. —— festinare coactos,

Tanquam de Cattis aliquid, toruisque Sicambris
Dicturus: tanquam è diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola pinna.

Somnia sunt, opinor, quæ ad hunc locum effudit editus nuper à doctissimo Pithæo scholiastes, de pinna *in literis coss. super re tristi Vetus tamen id commentum est: & cui fingendo ansam Virgilii locus hic dedit, è libro nono, v.* 473. Interea pauidum volitans pennata per vrbem
Nuntia fama ruit. ———

Nam ad eum locum sic notatum inuenias in veterum interpretum farragine. Quidam volunt ideo hic famam pinnatam à poëta inductam, quæ tumultum & res aduersas nuntiat, vt illud tangere videretur, quod qui bellum nuntiaret, *pinnatas litteras* diceretur afferre. *Melius Aristides tom.1. pag.361. fin. in illo excellentissimo Romæ panegyrico: epistolas quæ de publicis rebus mittebantur, tanta celeritate perlatas, vt pennis ferri viderentur. Imperatori, ait,* εὐμαρία πολλὴ καθημένῳ πᾶσαν ἄγειν τὴν οἰκουμένην δι' ἐπιστολῆς. αἱ δὲ μικρὸν φθάνουσι γραφεῖσαι, καὶ πάρεισιν, ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερόμεναι. *Speculatores Dio vocat* διόπτας, *&* ἐρευνητὰς, *& separat eam militum* τάξιν, *ab ordine tabellariorum, quibus cum videntur docti illos confundere. locus est in fragmentis Vrsini LXXXIII. pag.* 423. *m.* ταῦτά τε οὖν, αὐτοῦ πολλοὶ ἠτιῶντο, καὶ ὅτι καὶ τὸν Ἄδουεντον ἐν τοῖς διόπταις τε καὶ ἐρευνηταῖς μεμισθοφορηκότα, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τάξιν λελοιπότα, ἔς τε τοὺς γραμματοφόρους τελέσαντας καὶ πρόκοιτον ἀποδειχθέντα. Speculatores *vt ex hoc loco apparet, inferiores ordine* tabellariis: *quos etiam milites fuisse declarat alter locus eiusdem,* ὀχημάτων τε ἐνταῦθα, ὡς καὶ στρατιώτης τὶς τῶν ἀγγελιαφόρων ὢν ἐπέβη. *Hæc Casaubonus.* Speculatores, (*quos* hemerodromos *vocari Græcis, ingens vno die cursu emetientes spatium, ait Liuius* 31, 24, 3.) *male cum* pterophoris *hoc loco confundi, monet Salmasius ad hist. Augustā pag.* 30. *E.* 1. *Idem pag.* 235. 2. *interpretamenta vetera super Iuuenalem Virgiliumque*

de pinnatis litteris, *contra Casaub. sat probabiliter tuetur. Vtut sit, ad mentem autoris parum interest: cum* speculator *hoc loco non officii esse nomen, sed generatim exploratorem significare videatur.*

7. (*q*) Et Tedium Afrum] *Scripti quidam* Rhedium. *Est sane obscura haec gens* Tedia. *Legi tamen apud Iuuenalem* 2, 49. *in antiquis membranis,* Tedia non lambit: *non* Media, *vt in editione optimi doctissimique Pithoei. vulgò* Tædia. *Casaub. Palat. pr.* Et tedium Afectu. *forsan* Atedium Afrum, *omisso illo &. Gruterus.* τὸ & *omnino necessarium videtur, cum in hac narratione manifeste* πολυσύνδετον *affectetur.* Tedium *placet & Lipsio not.* 77. *ad Tacit.* 1. *Annal.*

Ibid. (*r*) perterruit] *Al.* conterruit.

8. (*s*) Q. Gallium prætorem] *Sic legendum ex Mss. & Appiano Ciuil.* 3. *pag.* 587. *A. apud quem solum hanc historiam legas. periit anno* DCCXI. *extremo. Casaub. Perperam alii,* Q. Gallum. *Fratrem eius M. Gallium, Cicero Philipp.* 13, 12. *numerat inter praetorios qui in Antonii castris ad Mutinam erant: cuius heredem Tiberium facit auctor infra Tib.* 6, 4. *Horum patrem Torrentius arbitratur Q. Gallium, & ipsum praetorem, eum qui per M. Calidium de ambitu accusatus, à Cicerone defensus est. Cuius orationis (est enim amissa) meminere Quintilianus* 8, 3. *Asconius Verrina* 2. *& in Corneliana, & in Toga candida: Valer. Max.* 8, 10, 3. *ipseque Cicero in Bruto c.* 80. *sed & D. Hieronymus epist. ad Nepotianum de vita cleric. post med. his verbis:* M. Tullius in oratione pro Q. Gallo (*scribe* Gallio) quid de fauore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur attende.

Ibid. (*t*) officio salutationis] *Moris fuit apud Romanos, vt prima & secunda hora matutina salutatum irent potentiores principes. Martialis* 4, 8. Prima salutantes atque altera continet hora. *Gellius* 4, 1. In vestibulo ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo opperientes salutationem Cæsaris constiterant. *Beroaldus. Apud Dionem lib.* 57. *pag.* 698. *A. Imp. Tiberius* se vult à senatu collecto salutari, ne iactarentur in turba. *Apud Tacitum annal.* 4, 41, 5. *Seianus:* minui sibi inuidiam, adempta salutationum turba; sublatisque inanibus, vera potentia augere. *Vbi legerim, vera potentiæ, sicut paullo ante,* tacita suspicionum: *&* augere *sumo neutraliter, pro augescere. Tangitur idem publica salutationis officium à Nostro in Vesp.* 4, 9. *&* 21, 2.

Ibid.

Ibid. (u) tabulas duplices veste tectas] *Omnes fere libri* tabellas. *Romana editio*, tabellas duplicatas. *Vir doctus, omisso* tabulas *aut* tabellas, *legit*, duplices veste tectos: *in qua lectione, praeter Mſs. autoritatem, nihil desidero.* Duplices *absolute, subaudi* pugillares, *inueniuntur & apud Ouidium Am.* 1,12,27. triplices *apud Martialem saepius. Ita* quadruplices, quincuplices: *non à numero foliorum, vt Beroaldus opinatur, ita dicti: sed quod bis, ter, vel pluries, vtrinque in se plicati essent, vt ex Herodiano* 1,52. *docet Turnebus aduersar.* 28, 32.

Ibid. (x) ſeruilem in modum] *Liberos enim homines torquendos non esse, tradunt Iurisconsulti. Vt l.* 12. *D. de quaestion. item Quintilianus declam.* 7. *Quod tamen fallit in caussa maiestatis, in qua sola omnibus aequa conditio est. l.* 4. *C. ad l. Iul. Mai.*

Ibid. (y) fatentem] *Duo libri*, fantem. *Torr.*

Ibid. (z) oculis eius ſua manu effoſſis] *O feritatem! Sed fecit non primus. Sulla, ait Valerius* 9,2,1. *M. Marium* non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret. *Caſaub. Sullae imperio, Catilinae ministerio id factum docet Seneca de ira* 3, 18. *Multo saeuior Imp. Basilius,* 15000. *hostibus captiuis omnibus oculos effodit, singulis centuriis vno monoculo duce relicto: eosque sic ad suum ducem abire iussit. Zonaras tom.* 3. *pag.* 180, 28.

Ibid. (a) ſcribit] *ſcilicet in libris de vita ſua, de quibus infra,* 83,3.

Ibid. (b) vrbe interdicta dimiſſum] *Appianus Ciuil.* 3. *pag.* 587. *A. ex Augusti libris, vel alicuius Caesariani:* Caeſar eum iuſſit ad fratrem abire: qui naue conſcenſa nuſquam poſtea comparuit. *Caſaub.*

9. (c) Tribuniciam poteſt. perpetuam recep.] *Tribunicia potestas Augusto decreta anno* DCCXXIV. *post victum Antonium. Dio lib.* 51. *pag.* 523. C. *susceptа tamen ab eo, anno tantùm* DCCXXXI. *idem lib* 53. *pag.* 594. B. *& veterum fastorum fragmenta. Species tamen quaedam tribunatus iam ante fuerat eidem tributa, victo Sexto Pompeio, anno* DCCXVIII. *Dio lib.* 49. *pag.* 458. D. *Exemplum primum est à Iulio, cui S. C. to delata tribunicia potestas per omnem vitam. Dio lib.* 42. *pag.* 219. A. *& lib.* 44. *pag.* 275. B. *Huius dignitatis ea fuit vis, vt sacrosanctus Augustus efficeretur instar tribunorum; vtque appellantibus ipsum & intra pomoerium, (quod ius tribuni habuerunt) & intra proximum milliare, (quod nulli vnquam tribuno ius fuit) opem ferre posset. Tacitus annal.* 3, 56. Tiberius poteſtatem tri-

bunitiam Druſo petebat. id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret: ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. *Caſaubonus, cuius ad hunc locum excurſus alibi refertur. Taciti locus hic cum Dionis indicatis locis pugnare videtur, nec pugnat. nimirum tribunitiæ poteſtatis titulo primus vſus Auguſtus: etſi ante cum res ipſa Cæſari delata. Peraſſute Auguſtus apud Tacitum* 1, 2. ſe ad tuendam plebem tribunicio iure contentum *ait, modeſtiæ cauſſa, ſcilicet vt honore plebeio: qui tamen* imperii regalis pars *erat* maxima. *Vopiſcus in vita Imp. Taciti, cap. 1. fin.*

Ibid. (d) per ſingula luſtra] *Luſtrum à Seruio Tullio rege primò conditum refert Liuius* 1, 44. *& Dionyſius Halic.* 4, 26. *Ita dictum a* luendo, *id eſt, ſoluendo, eo quod quinto quoque anno vectigalia & tributa per cenſores ſoluerentur, vt eſt apud Varronem lib.* 5. *de L. L.*

10. (e) morum legumque regimen] *Hinc illud Horatii ad Auguſtum epiſtolæ initium*:

Cum tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes. —— *Et Carm. 4. Od. 5.*
Mos & lex maculoſum edomuit nefas.

Præfecturam autem morum ſuſcepit Auguſtus anno V. C. DCCXXXII. cùm triennio ante, Cenſuram in perpetuum repudians, creari tunc cenſores curaſſet Paullum Æmilium Lepidum, & L. Munatium Plancum. poſt quos nulli ſub Cæſaribus fuere cenſores. infra cap. 37. *Torrentius ex Dione, principio libri* 54. *Suſceptam & a Cæſare perpetuam morum præfecturam, ſed inutiliſſimus in eo conſpectam, & inter cadis cauſſas fuiſſe, tradit autor in Cæſ.* 76, 2.

Ibid. (f) quanquam ſine cenſuræ honore] *Diſcriminat hæc quoque Plinius panegyr. cap.* 45. *vbi de Traiano*: Non Cenſuram adhuc, non Præfecturam morum recepiſti. *Nam hæc illius pars quædam fuit. Vide Caſaub. ad Cæſ.* 76, 2.

Ibid. (g) cenſum tamen populi ter egit] *Habes in Monumento Ancyrano, quod in fine ſuarum in Auguſtum animadverſionum refert Caſaubonus, eius ferie ſecunda. Eundem & in exercitationum Baronianarum prima, diat.* 28. *cum ſeqq. de Auguſti cenſibus accurate diſputantem adire operæ pretium eſt.*

CAP.

CAPVT XXVIII.

1 De (*a*) reddenda Rep. bis cogitauit: primo post oppressum statim Antonium, memor obiectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret ne redderetur: ac rursus (*b*) tædio diuturnæ valitudinis: cum etiam (*c*) magistratibus ac sena-
2 tu domum accitis (*d*) Rationarium imperii tradidit. ‖ Sed reputans, & (*e*) se priuatum non sine periculo fore, & illam plurium arbitrio (*f*) temere committi, in retinenda perseuerauit: dubium (*g*) euentu meliore, an voluntate.
3 ‖ Quam (*h*) voluntatem cum præ se idemtidem ferret, quodam etiam edicto his verbis testatus est. (*i*) *Ita mihi saluam ac sospitem* (*k*) *remp. sistere in sua sede liceat, atque eius rei fructum percipere, quem peto, vt optimi status auctor dicar: & moriens, vt feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta Reip. quæ iecero.*
4 ‖ Fecitque (*l*) ipse se compotem voti, NISVS omni modo (*m*) neque noui status pœniteret.
5 ‖ Vrbem (*n*) neque (*o*) pro maiestate imperii ornatam, & (*p*) inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo, vt (*q*) iure sit gloriatus *marmoream se relinquere quam*
6 *latericiam accepisset.* ‖ Tutam (*r*) vero, (*s*) quantum prouideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit.

NOTÆ IN CAPVT XXVIII.

Num. 1. (*a*) De reddenda Rep. bis cogitauit.] Intellige τὸ cogitauit *cum effectu: nam alioquin & simulauit ipse semper, se Reipub. velle reddere: & tandem, vt posset, optauit non simulate, sed ex animo, si fides vlla ipsi habenda. verba eius extant apud Senecam, in lib. de breuitate vitæ, cap.* 5. Diuus Augustus, cui dii plura quàm vlli præstiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem à Repub petere. Omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi pararet otium. *Mox.* In quadam ad senatum missa epistola, cum requiem suam non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloria discrepantem pollicitus esset, hæc verba inueni. sed ista fieri speciosius quàm promitti possunt: me tamen

men cupido temporis optatissimi mihi, prouexit, ut cum rerum lætitia moretur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine. *Suetonio* reddere Remp. *est quod pluribus* Dio lib. 53. pag. 570. c. 574. c. *dicit*, restituere populo & arma, & leges, & prouincias, & reditus. *Sic apud Senecam* possidere Remp. *Casaubonus. Apud Dionem lib. 52. de reddenda ab Augusto Repub. extant orationes duæ contrariæ, suadentis Agrippæ, dissuadentis Mæcenatis: quas sententiarum diuersitate fluctuanti, Virgilium persuasisse retinendam, autor est in eius vita Donatus. non tam absurde, quam viro docto videtur. Nam & qua gratia valuerit apud Augustum ille poëta; & quid hæc natio consiliis politicis extra ordinem saltem adhibita posit, ætate patrum exemplo Buchanani, & nostra Taubmani, constat. Porro pro* cogitauit, *Freinshemius coniicit legendum* dubitauit, *quomodo Tacitus 4, 57, 6. 6, 46, 1. 13, 50, 1. H. 4, 63, 1. & Curtius 4, 10, 16.*

Ibid. (b) Tædio diuturnæ valitudinis] *Septimo suo Consulatu, vt narrat Dio initio lib. 53. nisi aliquis malit ad ea referre quæ in XI. consulatu gesit. de quibus Dio in eodem libro extremo. Casaub.* De valitudine, *hoc est infirmitatibus Augusti, infra cap. 81.*

Ibid. (c Magistratibus ac senatu domum accitis] *Dio lib. 53. fin.* magistratibus, & senatorum equitumque primoribus ad se conuocatis. *Errat igitur vir eruditus* [*Torrent.*] *cum emendat* magistr. è senatu. *Casaubonus.*

Ibid. (d) Rationarium imperii] *ita dictum, quod rationes in eo publicæ continerentur. Autor infr. cap. 101, 7. vocat* Breuiarium imperii: *& in Vespas. 8, 11.* Instiumentum imperii. *Tacitus explicat ac describit Annal 1, 11. cum* prolatum *à Tiberio* libellum *scribit*, quo opes publicæ continebantur: quantum ciuium sociorumque in armis: quot classes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & largitiones ac necessitates. quæ cuncta sua manu pertcripserat Augustus. *Appianus talem librum in fine præfationis ad Histor. Rom. promisit.* Vltimus liber, *inquit*, habebit copiam militarem, quam & quantam Romani habeant: tum prouentus pecuniasque, quas per singulas gentes capiunt: item quid in classes impendant, & si quid erit huiusmodi. *Sed is liber periit. Dubites, an, quod censet Langlæus Semestr. 5, 5. idem cum Imperii Rationario sit* instrumentum regni *apud Ciceronem Brut. epist. 4, 12. & 15, 9.*

2. (e) se

2. (e) se priuatum non sine peric. fore] *Ob offensas scilicet in triumuiratu ac principatu contractas. Eadem inculcat Augusto Maecenas apud Dionem lib. 52. pag. 544. B. Eodem argumento Athenienses, cur imperium in socios deponere non possint, vtuntur apud Thucydidem* 1,12,17. *Sic Periander apud Laertium*, rogatus aliquando, cur in tyrannide persisteret; quia, inquit, & sponte, & inuitum cedere, æque periculosum est. *Imò, voce Phalaridis in epist. ad filium*, periculosius est, Principatum deponere, quam occupare. *Apud Liuium tamen* 34, 33, 2. *Aristaenus Nabidi proponit exempla tyrannorum*, qui depositio imperio, restitutaque libertate suis, non tutam modo, sed etiam honoratam inter ciues senectutem egissent. *Nimirum honestos praetextus quaerimus: ipsissima est imperii retenti caussa*, cupido dominandi, cunctis affectibus flagrantior. *Tacit. Annal.* 15,53. *Porro* priuatus *hoc loco dicitur quisquis non est Princeps, vtut magistratibus aliis praeditus: vt apud Tacitum Hist.* 1,49, 9. *Suet. Domit.* 9,2. *Iustinum* 2,10,4. *Plin. panegyr. c.* 7. 9. 21. *& pluries.*

Ibid. (f) temere] *In duobus optimis libris deest haec dictio: neque eam ego desiderauerim. Sensus enim est, vnius loco plures dominos Rempub. inuasuros. Res enim Romana eo deuenerat, vt aequabili ac ciuili more regi non posset tantum imperium. Haec Torrentius. Sed propter hanc ipsam quam allegat caussam, vocem* temere (*Palatinis quoque codd. probatam*) *necessariam putem. Tenerarium scilicet fuisset, rem Romanam, hoc statu, plurium arbitrio committere. Vnde quoque Seneca Benefic.* 2,20. *Bruti consilium de occidendo Caesare damnat, quod* aut Regis nomen extimuerit, cum optimus ciuitatis status sub Rege iusto sit: aut ibi sperauerit libertatem futuram, vbi tam magnum praemium erat & imperandi, & seruiendi: aut existimauerit ciuitatem in priorem formam posse reuocari amissis pristinis moribus: futuramque ibi aequalitatem ciuilis iuris, & staturas suo loco leges, vbi viderat tot millia hominum pugnantia, non an seruirent, sed vtri. &c. *Adde Tacit.* 1,9,10. *&* H. 1,1,2.

Ibid. (g) euentu meliore] *Hanc bigam verborum probabiliter eliminat Freinshemius in Indice Floriano, voce* Dubium *Nam hoc dubitabat* r, *an serio voluerit Rempub. reddere: an vero voluntatem illam* (*quod mox sequitur*) *tantum* praese tulerit.

3. (b) Quam voluntatem cum praese ident. fer. quodam] *Non aliter optima exemplaria scripta & edita. Pulmanni tamen codex vnus,* Quam voluntatem quodam, &c. *omissis intermediis.*

Ibid. (i) Ita mihi saluam ac sospitem Remp.] *Dignum Principe iusiurandum. Ammianus lib. 24. cap. 10. princ.* Animabat Iulianus exercitum, cùm non per charitates, sed per inchoatam negotiorum magnitudinem deieraret assiduè, *Sic sub iugum mitteret Persas: Ita quassatum recrearet ciuem Romanum.* vt Traianus fertur aliquoties iurando dicta consueuisse firmare: *Sic in prouinciarum speciem redactam videam Dasiam: Sic pontibus Istrum, Euphratem superem*: & similia plurima. *Hactenus Ammianus. Tale illud Planci Imperatoris in epistola ad Ciceronem, Famil. 10, 9.* Ita ab imminentibus malis Resp. me adiuuante liberetur. *At in Octauio, quando Remp. primùm capessebat, damnatum illud à bonis,* Ita mihi parentis honores consequi liceat. *Casaubonus. Hoc postremum extat in Cicerone ad Attic. 16, 15. Sic idem Catilinaria 4, 6.* Ita mihi salua Repub. vobiscum perfrui liceat. *Plura exempla vide in Brissonii Formulis lib. 8. pag. 809. 810.*

Ibid. (k) Remp. sisterein sua sede] Sedes *est basis, κρηπὶς.* Sistere *ἀνορθοῦν, ἱστάναι. Est enim (quod non aduertunt interpretes) translatum à columnis vel colossis, qui magno nisu in suam basim (βαθρὸν interdum Graeci vocant) restituuntur, vt in eo exemplo quod narrat Socrates lib. 1. cap. 20. Ita loquitur Isocrates Archidamo, sub finem*: Si virtuti nostræ fortuna fauerit, vt Rempub. in pristinum amissæ dignitatis gradum restituamus. *Eadem translatio in illis mox,* mansura in vestigio suo fundamenta Reip. *Symmachus ep. 46. lib. 3.* Ita voluenda attulit dies, vt Domini nostri Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia Reip. pondera fulciantur. *Sic obiter emendabis illum locum: nam vulgò* gratiam *pro* Gratiani. *Hæc Casaubonus aduersus Torrentium, qui sedem interpretatur firmum ac stabilem rerum statum: quomodo Horatius Epod. 13.* Deus hæc fortasse benigna Reducet in sedem vice. *Quæ interpretatio à Casauboniana tam parum abest, vt eadem prope videatur.*

4. (l) Fecitque ipse se compotem voti] *Audax dictum. Statius 9. Thebaid. de Capaneo, vers. 550.*

Sic ait, & voti sese facit ipse potentem.

Vetus dictum est Romanorum, Sapiens ipse fingit fortunam sibi. *apud Plautum, Ciceronẽ, Sallustiũ Orat. de rep. 1, 2. & Cornelium Nepot. Seneca epistola 31.* Quid votis opus est? fac te ipse felicem. *& ad hoc exemplum multa apud Stoicos impietati proxima. Casaubonus. Abeadẽ arrogantia pendet illud Mezentii apud Virgilium Æn. 10, 773.* Dextra mihi Deus, &

telum

telum quod missile libro, Nunc adsunt. *Et illud Herculis in Oetæo Senecæ vers.* 1290. Nunquam ad tuas (*Iouis*) confugit Alcides manus, Non cum &c. non tamen vultus meos In astra torsi: semper hæc nobis manus Votum spopondit. *&c. Ita* Finni *olim, referente, imo laudante Tacito Germ.* 46, 10. Securi aduersus homines, securi aduersus deos, rem difficillimam assecuti sunt, vt illis ne VOTO quidem opus sit. *Adde supra* 16, 5, 5. *& Freinshemii notas ad Florum* 2, 6, 44. *a.*

Ibid. (m) ne quem noui status pœnit.] *Liuius* 8, 21, 6. Credi non potest, vllum populum, aut hominem denique, in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quam necesse sit, mansurum. *Ex hoc loco non euincitur, Augustum Imperatorum primum fuisse. Monarchia quippe Romana etiam Tiberii tempore* noua *fuit habita, vt clare perspicitur ex Tacit.* 1, 7, 5. *&* 1, 8, 11. *imo sub Vespasiano*, multos adhuc in Gallia vixisse ante tributa genitos, *Ciuilis ait apud Tacit. H.* 4, 17, 8. *nec illi tamen propterea fundatores Imperii. Quid multis? Cæsar Dictator perpetuus fuit, hoc est, quid nisi Rex & Imperator? Addenda quæ notauimus ad Suet. Cæs.* 61, 1. *b. &* 76, 2. *e.*

5. (*n*) Vrbem neque pro] *Corruperant hunc locum qui putabant à superioribus ista pendere: falsò. nam si in capita secari debuit Suetonius, hinc erat ducendum principium eorum quæ ex vulgata diuisione capitibus continentur* 29. *&* 30. *More enim suo auctor, toti illi sermoni istud veluti caput & breue præposuit. Casaubonus.* Vrbem neque *& Palatini codices duo habent, & poscit id plane sententia autoris: vt mirum sit, in Torrentii Mss. omnibus, & in veteribus editionibus, præter Stephanicam, extare,* Vrbem namque.

Ibid. (o) Pro maiestate imperii] *Sic in veteri lapide posito in honorem Augusti ob munitas vias,* PRO. DIGNITATE. IMPERI. *Casaub.*

Ibid. (p) inundationibus incendiisque obnoxiam] *Tacitus* 15, 38, 5. *de incendio Neroneo*, Ignis anteiit remedia velocitate mali, & obnoxia vrbe arctis itineribus huc & illuc flexis, atque enormibus vicis qualis Roma fuit. *Sed vide Strabonem lib.* 5. *pag.* 162. *& seq. De inundationibus subit mirari, cùm ea res causas naturales & manifestas haberet, semper tamen Tiberim exundantẽ pro magno prodigio habitum, & in Acta relatum. Casaub. Vide Liu.* 24, 9, 6. *&* 30, 38, 10. *&c. Tacit.* 1, 76. *& H.* 1, 86. *Capitolinum in Imp. M. Antonino c.* 8. *item Plinium* 3, 5, 27.

Ibid. (*q*) Iure sit gloriatus marmoream se relinquere quam latericiam accepisset.] *Aliuorsum trahit Dio* [*lib.55.pag.676. A.*] *Augusti dictum: quem morientem dixisse refert*: Romam se terream (γηίνην) accepisse, lapideam (λιθίνην) relinquere, *& addit suum interpretamentum*: eo dicto non ædificiorum elegantiam, sed imperii firmitatem ipsum innuere voluisse. *At Suetonius non de firmitudine, sed de publicis ædificiis accipit. Iulianus in Cæsaribus ad Dionis mentem accedit, qui sic gloriantem inducit Augustum, respiciens haut dubie illius hoc dictum.* Cùm civilibus dissidiis rem Romanam sæpe in extremo sitam cernerem, sic omnia ordinaui, vt vrbs in posterum iam adamantina tota sit. *Idem Iulianus Augusti vocem spectasse videtur cum diceret Antiochenis*, Velle se ipsorum vrbem facere marmoream. *Libanius Legatione ad Iulianum de Antiochia*: Tu quippe nuper de vrbe reprehensus; ego vero marmoream (hoc enim verbo vtebaris) eam efficere constitueram. *Notabis quomodo verterit illa Dio* latericiam & marmoream: *alii Græci pro* latericiam *dixerunt* πηλίνην. *Allusit autem Augustus ad antiquissima Romanorum ædificia, de quibus Varro* Ταφῇ Μενίππου. Antiqui nostri domibus latericiis paullulum modò lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant. *De iis Plinius lib.35.cap.14. Casaubonus. Augustus non ipse modo* φιλοκτίστης (*ædificandi studiosus*) *sed & talium fautor erat. Quomodo, Pisone domum à fundamentis vsque ad summum tectum accurate exædificante*, animum, *dixit*, exhilaras meum, ita ædificans, quasi Roma sit futura sempiterna, *referēte Plutarcho in fine apophtheg. Rom. Ceterum vrbis Romæ splendorem plurihus exsequitur Lipsius Admirandor.3,5. Quid vero maxime splendidam reddat ciuitatem ornatamque, disserit Piccartus Decad.12. c.4.*

(*r*) Tutam.] *scilicet ab incendiorum inundationisque periculo.*

Ibid. (*s*) Quantum prouideri humana ratione potuit.] ὅσον οὖν προορατὸν ἀνθρωπίνῃ προνοίᾳ. *Xenophon. hoc autem ideo additum, quia* fati necessitas humanis consiliis rumpi non potest, *vt ait Liuius 1,42,2. Cas.*

CAPVT XXIX.

Publica opera plurima exstruxit: ex quibus vel præcipua, (*a*) Forum cum (*b*) æde Martis Vltoris, templum (*c*) Apollinis in Palatio, (*d*) ædem Tonantis Iouis in Capitolio.

lio. ‖ Fori exstruendi causſa fuit, hominum & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, et-
3 iam *(e)* tertio indigere. ‖ itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque vt separatim in eo *(f)* publica iudicia & *(g)* sortitiones iudicum fierent.
4 ‖ AEdem Marti *(h)* bello Philippensi *(i)* pro vltione paterna susceptо vouerat. Sanxit ergo *(k)* vt de bellis triumphisque heic consuleretur senatus : prouincias cum imperio petituri, *(l)* hinc deducerentur : quique victores redissent, huc *(m)* insignia triumphorum inferrent. ‖ *(n)*
5 Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari *(o)* à Deo haruspices
6 pronuntiarant. ‖ *(p)* Addita porticus cum *(q)* bibliotheca Latina Græcaque, quo loco iam senior sæpe etiam senatum habuit, *(r)* decuriasque iudicum recognouit.
7 ‖ Tonanti Ioui ædem consecrauit, liberatus periculo, cùm *(s)* expeditione Cantabrica per nocturnum iter *(t)* lecticam eius fulgur perstrinxisset, seruumq; *(v)* præluentem
8 exanimasset ‖ Quædam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet & vxoris sororisque, fecit : vt porticum *(x)* basilicamque Lucii & Caii : item *(y)* porticus Liuiæ &
9 *(z)* Octauiæ, *(a)* theatrumque Marcelli. ‖ Sed *(b)* & ceteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisque monumentis vel nouis, vel *(c)* refectis & excultis, vr-
10 bem adornarent. ‖ Multaque à multis exstructa sunt : sicut *(d)* à Marcio Philippo, *(e)* ædes Herculis Musarum : à L. Cornificio, *(f)* ædes Dianæ : ab Asinio Pollione, *(g)* atrium Libertatis : à Munatio Planco, *(h)* ædes Saturni : *(i)* à Cornelio Balbo, theatrum : à Statilio Tauro, amphitheatrum : à M. verò Aggrippa, *(k)* complura, & egregia.

NOTA AD CAPVT XXIX.

Num. 1. *(a)* Forum cum æde M. Vl.] *De Augusti foro apud Ovidium*

in 5. Fastorum, v. 552. atque apud scriptores alios multa. [*vt Plin. 16,39,5. & 35,4,13. & 36,15,6. Dionem in Traiano 245. B. Spartianum in Adriano c. 19. Macrobium Saturn. 2,4,8. & rursus Ouid. de Pont. 4,5,10 & forte Tacit. 4,67,9. &c.*] *Sed notanda verba Seruii recens à Daniele edita, ad illa, Æn. 1,298.* Furor impius intus Sæua sedens super arma, &c. *notat enim Seruius:* In Foro Augusti introeuntibus ad sinistram fuit bellum pictum, & furor sedens super arma æneis vinctus, eo habitu quo poëta dixit. *Casaubon. De hoc caterisque foris accuratissime Lipsius Admirand. 3,7.*

Ibid. (*b*) æde Martis vltoris.] *Huius edis magnificentiam multis celebrat Ouid. Fast. 5,549. &c. Meminerunt & Iuuen. sat. 14,261. Tacit. 2,64,2. Plin. 34,8,2. iterũ Ouid. trist. 2,295. Eam hodie* Diuæ Martinę *templo cepisse, & cum Foro Augusti, in hortis post Marforium nunc positis extitisse, Martianus topograph. Rom. 3,9. scribit. Vtrumque in VIII. Vrbis Regione collocat P. Victor. Diuersa ab hac fuit (quam tamen autorum interpretes plerique cum ea confundunt) ædes* Martis Vltoris, *seu potius vt Ouidius Fastor. 5,595. appellat,* Bis-ultoris, *in Capitolio, ab Augusto, post illam demum extructa, in qua ad exemplum Iouis Feretrii, signa Populi Rom. de Parthis recepta, & spolia militaria Parthorum adfixa, currus etiam triumphalis Augusti repositus, vt apparet ex Dione lib. 54. pag. 602. A. & vett. Numis.* Bis-ultor *autem dictus hic Mars, quod, vt prius in vindicanda nece paterna (Cæsaris) ita nunc* secundùm *Parthica Crassi clade* vltorem *Augusto sese præstitisset. Porrò* ædem Martis vltoris (*dubium an illam in Foro Augusti, an vero hanc Capitolinam: nec tam lubet expendere*) *memorant quoque Tacitus 3,18,3. & 13,8,1. Plinius 34,14,5. Martialis 7,50,4.*

Ibid. (*c*) Apollinis in Palatio.] *Qui Apollo* Palatinus *inde cognominatur infra 31,1. & 52,3. & à Propertio 4,6,11. cum Horatio 1. epist. 3,17, itemque Plinio 34,3,7. Ideo autem hoc templo structo deueneratus Apollinem Augustus videtur, quod vellet eius haberi filius, vt apparet infra cap 94, 4. vel quod eiusdem beneficio, ad Actium prælio nauali profligasset Antonium. Apollinem Palatinum à Scopa statuario factum autor est Plinius 36, 5,19. iuxta hoc templum conuenire solitos Iurisconsultos, de litibus ambiguis disceptaturos, refert antiquus scholiastes Iuuenalis ad satyr. 1,128.*

Ibid. (*d*) ædem Tonantis Iouis.] *Quam Dio sub initium libri 54. dedicatam refert, Capionis & Varronis coniuratione in Augustũ detecta: & quidẽ ipso dedicationis sacro multa tonitrua exaudita, quasi Augustale opus Tonans & Fulgens Iupiter sanciret. Parietes in hac æde solidas glebas marmo-*

reas

reis constitisse tradit Plinius 36,6,9. Statuam Iouis Tonantis, Leocrē opus facit idem 34,8,35. Iouis cognomina varia curiose collegit Brissonius de Formul. lib. 1. pag. 53. & seq.

2. (*e*) tertio indig.] *Romæ antiquitus solum erat* Forum Romanum, *quod &* Latinum, *&* vetus *dicitur, in quo Rostra, quodque Cato Censorius* muricibus sternendum *censuerat, vt est apud Plin. 19,1,23. Additum deinde* Forum Iulium, *de quo autor in Cæs. 26,4. Tertium nunc accedit* Augustum, *quod Plinius 36,15,6. inter operum pulcherrima refert. De hoc numero Seneca de Ira 2,9.* Infitiationes, furta, fraudes, quibus trina non sufficiunt fora. *Statius Sylvar. 4,9,15.*

Quæ trino iuuenis foro tonabas. *Martialis 3,38.*
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Postea quartum inchoauit Domitianus, Transitorium: *absoluit Nerua, ab eo* Neruæ *etiam dictum. Suet. Domit. 5,2. Lamprid. in Alex. cap. 28. De hoc accipiendum illud Martialis 10,28.*

Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.

Quintum denique Vlpium, *ab Vlpio Traiano conditum, de quo Marcellinus 16,17. Agellius 13,24. &c. Sed hæc nimirum de* foris ciuilibus *intelligenda sunt, vbi res ac lites agebantur. Alia fuere* vænalia, *à rebus quæ illic vendebantur, appellata: vt* Forum Boarium, Suarium, Piscarium, Pistorium, Holitorium &c.

3. (*f*) publica iudicia] *vt repetundarum, ambitus, maiestatis, & cetera quæ enumerantur in l. 1. ff. de publicis iudiciis.*

Ibid. (*g*) sortitiones iudicum] *Moris erat, nomina iudicum conscribi & in vrnam mitti, vt de pluribus necessarius numerus per sortitionem confici posset: tunc ex illo delectorum iudicum numero permittebatur accusatori ac reo, reiicere quos putarent sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Reiectione celebrata, prætor in locum eorum qui reiecti fuerant, subsortiebatur alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur, & hæc* sortitio *dicebatur, qua perfecta iudices in leges iurabant, vt obstricti religione iudicarent. Hanc iudicum sortitionem significauit poëta maximus* scribens *Æn. 6,432.* Quæsitor Minos vrnam mouet. —— *Beroaldus ex Pediano fere. Plura Sigonius de iudiciis 2,12. & Polletus in Historia Fori Romani 5,7.*

4. (*b*) bello Philippensi] *in Philippicis campis aduersus Brutum & Cassium gesto. Supra cap. 13.* *Ibid.* (*i*)

Ibid. (*i*) pro vltione paterna] *vt vlciſceretur Cæſaris patrui adoptiui necem Ouidius Faſt.* 5,569.

Vouerat hoc iuuenis tunc, cum pia ſuſtulit arma.
A tantis Princeps incipiendus erat.

Ibid. (*k*) Vt de bellis triumphisque h. conſ. ſen.] *Ouidius de hoc templo Faſt* 5,556. Hinc fera Gradiuum bella mouere decet. *Olim in Capitolio. Appianus de bello Punico pag.* 42. *D.* Senatus mentem ſuam aperuit: & in Capitolium, vbi de bello deliberare ſolent, conueniens, decreuit &c. *Caſaub.*

Ibid. (*l*) hinc deducerentur] *à comitantibus ac proſequentibus officii honoriſque gratia: vt factum Cæſari in Hiſpaniam proficiſcenti. Suet. Cæſ.* 71,3. *Legitur apud Rufum atque Victorem in Vrbis Regione prima* Mutatorium Cæſaris, *quod Guido Pancirolus in libello de XIV. Vrbis regionibus interpretatur domum illam publicam, à Cæſare poſt pontificatum maximum habitatam, teſte Autore in Cæſ* 46,1. *ſic appellatam,* quod eam Cæſar mutauerit: *quæ quid ſibi velit originatio, mihi non liquet. Veroſimilius C. Barthius Aduerſariorum* 2,22. *Mutatorium, locum fuiſſe putat, in quo Cæſar Togam Sago* commutaret, *aut in procinctum abiturus, illic ſaga militibus diſtribueret, ipſe paludamentum ſumeret. Cui rei propria ædificia dicata fuiſſe, liquere cenſet ex hoc Autoris loco, de Martis ade, ita ab Auguſto deſtinata, qui cum imperio in prouincias irent, vti inde producerentur.* Mutare *autem de veſtimentis ſæpe dicitur: quomodo etiam Græcis* ἀλλάγματα (*ab* ἀλλάττειν, *mutare*) *ſunt indumenta: &* ἀλλαξιμάχιον, *veſtiarium, in qua voce, Meurſii Gloſſarium videre pretium eſt operæ.*

Ibid. (*m*) inſignia triumphor.] *vrbium captarum præliorumque imagines, titulos, fercula, & alia triumphorum inſtrumenta.*

5. (*n*) Excitauit.] *Vir doctus* [F. *Vrſin.*] *qui* exertauit *pro* excitauit. *repertum in vno fortaſſe aut altero cod. amplectitur, non magis mihi ſententiam ſuam probat, quam doctus alter ille, qui apud A. Gellium mauult legi in verbis Quadrigarii lib.* 9. *c.* 13. lingua exerrare, *quàm* linguam exertare. *Quæ lectio & elegantiſſima eſt, & omnium aliorum hiſtoricorum narratione confirmatur, qui in ea re vſi plerique verbo* exerere. *nec aliter Plinius quoque* 4,9,35. *Nec moueor ſi in vno aut altero cod. ſic ſcriptum extat: nam in pluribus multò aliter eſt. Sic ſane antiquiſſ. exemplar quod ipſi vidimus. Caſaubonus.* *Cicero in Oratore* 2, 66, 6. *memorans eandem Hiſtoriam, Gallum facit* diſtortum, ejecta lingua: *vbi iſidem legere malim* exerta.

Ibid. (*o*)

Ibid. (o) à Deo] *Apolline, cui dicatum templum illud. Non enim Iouis tantum, sed & aliorum deorum est, emittere fulmina, vt è Thuscorum litteris tradit Plinius 2,52,1.*

6. (p) Addita] *Al.* addidit. *al.* additæ.

Ibid. (q) Bibliotheca Latina Græcaque] *Quam exstruere destinauerat Cæsar. Sueton. Cæs. 44,4. sed nunc demum perfecit Augustus, anno Vrbis cond. DCCXXVI. vt ex Dione, principio libri 53. cognoscitur. Noster in Grammaticis cap. 20. C. Iulium Higinum*, Bibliothecæ Palatinæ (*nam ita dicebatur hæc à loco, quia in ipso Palatio*) Præpositum *siue* Custodem *facit, quem nos* Bibliothecarium *appellamus. Quod non de tota, sed alterutra putem accipiendum.* Græcam *enim seorsim custodem suum habuisse, &* Latinam, *apertum est ex Inscriptionibus Romanis Gruteri DLXXVI, 9. DLXXVII, 8. DLXXVIII, 5. DLXXXIIII, 6. Hanc D. Gregorii æuo, id est, sexto post N. Chr. seculo, Romæ adhuc extitisse, ex Ioanne Sarisberiensi de nug. Curial. 2,26. & 8,19. apparet. Fuit & heu quondam Germaniæ Palatina sua Bibliotheca, quæ suis nuper auulsa sedibus (vah pudor!) Alpes transuolauit. Quod inæstimabile damnum, Custos eius, ἔμψυχος illa* Βιβλιοθήκη, *Gruterus, optimis quibusque autoribus ad illos Codices emendatis publicatisque, tolerabilius aliquanto fecit. Sed profecto macula Palladii huius non erepti nobis, sed eiecti relegatique, (venia sit in libera ciuitate libere loquenti,) ἀνεπόνιστος, ἀνήκεστος, ἀνανόητος erit, quamdiu litteris suus constabit honos.*

Ibid. (r) decuriasque iudicum recog.] *De hac recognitione Plinius lib. 33. fine capitis 1. De Decuriis iudicum idem 33,2,1. & fuse Polletus Histor. fori Rom. 3,8. & 9.*

7. (s) expeditione Cantabrica] *De qua suprà 20,1. c.*

Ibid. (t) Lecticam eius fulgor perstrinxisset.] *Vel, vt alii libri*, præstrinxisset. Fulgur *autem pro fulmine, vt in Domitiano 15,2.* Tot fulgura facta auditaque sunt. [*& iterum 16,4.* haruspex consultus de fulgure.] *& ita semper in libris olim aruspicum: sæpe etiam Plinius, & optimus quisque Latinitatis auctor. Glossarium,* κεραυνοβόλιον ἡμερινὸν, fulgurium. *Lege* fulgur dium. *Festus*, Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iouis, vt nocturnum Summani. [*ita Plin. 2,52,1.*] *Glossæ,* κεραυνοβόλιον ὑπὸ πρωὶ γινόμενον fulgur submanum. *Ita accipe vocem* fulgor *in Constantini constitutione, Cod. Theodos. De paganis sacrificiis & templis*; Si quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis

degestatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiæ, quid portendat ab haruspicibus requiratur. *Casaub.* Fulgur *pro fulmine quoque sumi, pluribus ostendit Salmasius in exercitationib. Plinianis pag.* 1135. 2. *Seneca tamen quæst. natural.* 2,12. *&* 16. *Fulgurationem a fulminatione distinguit, quod illa, comminatio sit sine ictu: hæc autem, iaculatio cum ictu: in illa late ignis explicetur: hæc igne coacto ferias. Pro* perstrinxisset *Palatinus prim. ac tert. habent* præstrinxisset, *rectius, opinor. Sic Ammianus* 23,18. *de Euphrate flumine*: præstrictis pluribus insulis *Nos dicimus*, vorüber streichen. Transcursum fulguris *Auctor vocat infra fine capitis* 90.

Ibid. (*v*) prælucentem] *Rectè: non, vt alii*, præducentem. *Nam viatores noctu faces gerere solitos, Turnebus Aduersar.* 3,22. *ostendit ex illo Varronis de re rustica* 1,14. quod habet radices viuæ sepis, ac viatoris prætereuntis lasciui non metuet facem. *Adde Casaub. ad Suet. Cæs.* 31,3. *Non videtur (quod viro docto visum Semestr.* 8,10.) *hoc matuò sumptum ab Atheniensibus, quibus per legem Solonis (de qua Plutarchus Sol. c.*35.) *noctu non licuit iter suscipere, nisi prælato lumine in vehiculo deferrentur. Nam lex ista Solonis ad feminas tantum pertinet, quarum pudori & famæ consultum ille voluit.* 29,11.

8. (*x*) basilicam Lucii & Caii] *nepotum Augusti ex Iulia filia & M. Agrippa. Hanc in X l. Vrbis regione collocat Rufus. De Basilicis videnda nota ad Cæs.* 10,1.

Ibid. (*y*) porticus Liuiæ] *vxoris Augusti. Hanc porticum in tertia Regione Vrbis, iuxta templum Concordiæ Virilis, collocat cum Victore Rufus. Huius meminerunt Ouidius Fast.* 6,639. *& in Arte* 1,72. *Plinius lib.* 1. *epist.* 5. *m.*

Ibid. (*z*) Octauiæ] *sororis Augusti. erat hæc porticus in regione Vrbis nona. Mentio eius apud Plinium* 34,6,13. 35,11,23. 36,5,18. 32. 41. *Circumscribit Ouidius in arte* 1,69. Ὀκταβίας περιστάτους *appellat Iosephus bell. Iud* 7,24. *m. Festus in* Octauiæ, *duas Romæ porticus fuisse tradit, appellatas Octauias, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octauia soror Augusti fecerit: alteram theatro Pompeii proximiam Cn. Octauius: quam combustam reficiendam curauerit Augustus.*

Ibid. (*A*) theatrum Marcelli] *In regione Vrbis nona item, capax locorum* 30000. *Victor Marcellus Octauia Augusti sorore genitus, cuius obitum poeta describit Æn. sexta fine.*

9. (*B*) Sed & ceteros viros principes sæpe hortatus est] *Notemus igitur in his Taciti verbis magnam μείωσιν* [*extenuationem*] *Annal.* 3,72.

Erat

Erat etiam tum in more publica munificentia: nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostileis exuuias, aut exundanteis opeis, ornatum ad Vrbis, & posterûm gloriam conferre. *Casaub.*

Ibid. (C) refectis] *ex vetusto renouatis, instauratis.*

10. (D) à Marcio Philippo] *Augusti vitrico. supra 8,6.*

Ibid. (E) ædes Herculis Musarum] *Sustulimus τὸ &, secuti libb. nostros & historiam. Haec aedes in regione nona fuit. Vide Vrbis descriptionem. Ouidius de ea, Fastor. 6,799.*

——— Clari monumenta Philippi
Aspicis: vnde trahit Marcia casta genus. *Casaub.*

De iunctis huic aedi porticibus Plinius 35,10,3. & Martialis 5,50,12. Eandem vetustate collapsam restituit tantùm ille Philippus. nam primus condidit M. Fuluius Nobilior, anno V. C. DLXIX. triennio postquam de Ambracia triumphauit. quo de triumpho Liuius 39,5. De primo illo conditore, simulque de causa, cur dictus Musarum Hercules, *Eumenius rhetor oratione de scholis instaurandis cap. 7.* Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio, Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse litteris, & summa poëtæ [*Ennii, de qua & Cicero pro Archia c.11.*] amicitia duceretur sed quod in Græcia cum esset imperator, acceperat Herculem Musageten esse, id est, comité ducemq; Musarum. Idemq; primus nouem signa, hoc est, omnium Camœnarum, ex Ambracienſi oppido translata [*Plin. 35,10,3.*] sub tutela fortissimi Numinis consecrauit; vt res est, quia mutuis opibus & præmiis iuuari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis; & virtus Herculis voce Musarum. *Quae ratio multo probabilior, quam illa Plutarchi problem. Rom. 59. Musis Herculem ideo iunctum, quod Euandrum litteras docuerit Hercules. Nam Ennio potius hoc pulcherrimum firmissimae inter doctos ac fortes viros amicitiae symbolum deberi, scribit etiam Auctor libelli de viris illustribus cap. 52.*

Ibid. (F) ædes Dianæ] *Multa tales Romae. haec videtur in Auentino fuisse, de qua Martialis 6,64,13. & Plutarchus problem. Rom. 4.*

Ibid. (G) Atrium Libertatis.] *Fuit in Auentino. Vide Liuium & Ouidium in Idib. Aprilis. Eò docti tanquam ad λέσχην conuenieb ant. Ouid. Trist. 3,1,71.*

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria, Libertas tangere passa sua est.

[*Aliter, & rectius, opinor, Ouidii locum hunc exponit Lipsius de Bibliothec. cap. 5. fin.*] *Ibidem fuit tabularium, in quo seruata acta publica. Liuius lib. 43,16,10.* Censores extemplo in Atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis publicis

seruis,&c. *Hinc etiam intelligimus loci formam: erat enim similis atriis ædium priuatarum, quæ habebant tablina & pinacothecas adiunctas: in medio erat area sub dio, columnis cincta: ideò is locus etiam* peristylium *appellatus. Idem quoque,* impluuium *dicebatur. Atque hoc propriè atrium est, non atrii pars: nam* atrium *ab ἄιθριον, significat locum in ædibus sub dio. Græci ὑπαίθριον frequentius vocant: sed ἄιθριον pro atrio notauimus sæpe apud LXX. & Iosephum. Tertullianus in loco Ezechielis cap. 9. subdiual vertit. Extat & apud Lucianum, neque dubium esse potest inde dictam vocem Latinam. Nam Varronis aliorumque veterum notationes* [atrium *dictum ab Atriatibus Thuscis: vel quasi* aterrarium, *quod à terra oriatur: vel quod fumo esset atrum.*] *quis non rideat? Etiam illi errant, qui atria fuisse tecta volunt, quia dixit Ausonius,* [*in Mosella, versu* 49.] laqueata atria. *neque animaduertunt, eam vocem, vt apud Græcos μέγαρον & αὐλὴ, pro palatiis procerum poni: at in iis quæ propriè atria dicebantur, non aliud tectum erat, præter alas ædificii, quæ velut porticus circa medium subdiual efficiebant. Ideò docte auctor Glossarum,* atrium περίστωον, μέσαυλον. *Casaubonus. Atris Libertatis meminit quoq; Tacitus Hist. 1,31,3. Id primo condidit è multatitia pecunia Gracchus. Liu. 24,16,17. Deinde refecerunt amplificaruntq; Patus & Cethegus Censores. idem 34,43,5. Et hic iterum Asinius Pollio. non enim is primus autor. Atria dimetitur ex arte Vitruuius architect. 6, 4. Adde Agellium 16,5. Seruium ad Virgil. Æneid. 1,729.*

Ibid. (H) ædes Saturni] *De primo huius ædis conditore (nam Munatius hic Plancus refecit tantùm) vide Liuium 2, 21, 2. & Macrobium Saturnal. 1,8. Post reges vrbe exactos ærariũ in ea Publicola constituit, vt scribit Plutarchus in eius vita cap. 18. & innuit Lucanus 3,155. cuius rei causſam tradunt Plutarch. quæst. Rom. cap. 42. & Macrobius Saturn. 1,8. Inscriptio antiqua, quæ Saturni ædem è manubiis à Planco factam testatur, extat in Hercule Prodicio Pighii, pag. 442.* Plancus *orator, Ciceronis discipulus: cuius adhuc extant ad eum epistolæ, familiarium libro 10. quibus nihil absolutius, castius, elegantius, rotundius, sine vlla putiditate & cacozelia, censet Scaliger ad Eusebii chronicon pag. 154. Sed in Cicerone,* Cnei *prænomen vitiosè gerit.* Lucius *enim hic ipse est, de quo & Velleius 2,63,4.*

Ibid. (I) à Cornelio Balbo &c.] *De Balbi theatro videndus Dio lib. 54. pag. 616. E. De Tauri amphitheatro, idem lib. 51. pag. 527. D.*

Ibid. (K) complura] *Quænam illa? Tradit Plinius 36, 15, 6.* Pan-

theon

théon à M. Agrippa Ioui vltori factum. *Et mox n.28.* Agrippa in ædilitate sua, Romam ducta Virgine, (*aquæ nomen est, cuius meminit & Seneca epist 83,9.*) ceteris aquis corriuatis atque emendatis, lacus 700. fecit: præterea salientes 105. castella 130. complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa 300. ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore 400. eaque omnia annuo spatio: gratuita præbuit balnea 170. *De aquæductibus, præter Plinii testimonium, extat & Augusti elogium illud infra 42,1. Agrippam generum suum satis prouidisse, ne in vrbe siti laboraretur. Adde Dionem lib. 49. sub finem, & lib. 53. pag. 590. Frontinum de aquæductibus post princ.*

CAPVT XXX.

1 Spatium (*a*) Vrbis in regiones vicosque diuisit: (*b*) instituitque vt illas annui magistratus sortitò tuerentur; hos
2 magistri è plebe cuiusque viciniæ (*c*) lecti. ‖ Aduersus incendia (*d*) excubias nocturnas vigilesque commentus est.
3 ‖ Ad coërcendas inundationes, (*e*) alueum Tiberis laxauit, ac repurgauit, completum olim (*f*) ruderibus, & ædi-
4 ficiorum prolapsionibus coarctatum. ‖ Quò (*g*) autem facilius vndique Vrbs adiretur, desumta sibi (*h*) Flaminia via (*i*) Arimino tenus munienda, (*k*) reliquas triumphalibus viris ex (*l*) manubiali pecunia sternendas distribuit.
5 ‖ Ædes (*m*) sacras vetustate collapsas, aut incendio absumtas refecit: easque & ceteras opulentissimis donis adornauit: vtpote qui in (*n*) cellam Capitolini Iouis (*o*) sedecim millia pondo auri, (*p*) gemmasque ac margaritas (*q*) quingenties sestertiûm vna donatione contulerit.

NOTÆ IN CAPVT XXX.

Num. 1. (*a*) Spatium Vrbis in regiones vicosque diuisit.] *Regiones quidem XIV. vicos verò CCCCXXIV. si satis certa hæc in fragmento Rufi lectio: nam Victor aperte vitiatus. Non assentior interpretibus* [*vt Beroal. & Torr.*] *qui Augustũ negant fuisse diuisionis Vrbis in regiones XIV. auctorẽ. nam si ea partitio Augusto antiquior, cur eius non meminit Varro De lingua Latina lib. 4. Dionis tamen ambigua verba* [*lib. 55. pag. 634. B.*] *ex quibus ex-*

prosè eam sententiam non elicias. Regiones autem ille μέρη vocat simpliciter. Socrates in Ecclesiast. hist. κλίματα. Alii Graeci μεγεῶνας, vnde in Suida μεγεωνάρχαι dicitur, & apud Hesych. ϛ᾽ γεωνάρχου, curator regionis : *nam male ipse interpretatur γειτονιάρχου : is enim est* vicomagister. *Casaub. Vrbis diuisiones hac antiquiores, ac simul hanc ipsam in XIV. regiones partitionem (cuius meminerunt & Plinius 3,5,38. Tacitus 14,12. & 15,40. aliique) plene persequitur accuratissimus Merula Cosmograph. 2,4,22.*

Ibid. (*b*) Instituitque, vt illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri è plebe cuiusque viciniæ lecti.] *Suetonium breuitas interdum reddit obscurum, vt hic. quod enim ait de annuis magistratibus, quibus commissæ regiones vrbis, tam de nouis magistratibus in eam rem creatis potest intelligi, quàm de ordinariis. quæ sententia verior : neque enim noui magistratus creati ex institutione Augusti, qui curarent regiones, vt falsò docti quidam tradunt : sed eam curam curauere, ædiles, tribuni, prætores. Idque ad Seueri tempora seruatum. Hæc omnia Dio in actis anni DCCXLVII. clarissimè docet, lib. 55. pag. 634. cuius verba sic scribenda, καί τοι καὶ ἐκείνων (nempe τῶν ἀγορανόμων, non vt Xylander, τῶν συναγόρων) καὶ τῶν δημάρχων, τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκαδόσας μέρη κατανείμασα, κλήρου προσαχθέντων ὃ καὶ νῦν ἔτι γίνεται. Legitur vulgo κλήρῳ· mendosè : nam vel κλήρων scribendum, vel sic, κλήρῳ σχοίνου κατὰ μικρὸν προσαχθ. In descriptionibus Vrbis Victoris & Rufi, duo* curatores *Vrbis regioni cuique assignantur : quod cuius Principis sit inuentum, nescio. Augusti non esse, hoc scio.* Vicorum magistros *autem, siue* viocuros, *iam inde ab antiquissimis temporibus Romæ fuisse certum est. Fuit & noua Roma in regiones XIV. diuisa, habuitque suos curatores & vicomagistros. Casaubonus.* Magistros vicorum *Noster memorat item in Tiberio, siue capitis vlt. & in Claudio 18,2. nisi* magistratus *istic legi, rectius est. Capitolinus in M. Antonino cap. 11.* De hi, *inquit,* Curatoribus regionum ac viarum potestatem, vt vel punirent, vel ad Præfectum Vrbi puniendos remitterent eos, qui vltra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent. *Lampridius in Alexandro Seuero cap. 33.* Fecit Romæ curatores Vrbis quatuordecim, sed ex consularibus viris, quos audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iussit. &c. *Præter hos singulis Regionibus bini* Denunciatores *apud Rufum & Victorem additi leguntur. Hi erant ministri Curatorum & Vicomagistrorum, quales hodie* Bidelli *in tribubus aut Gymnasiis.*

Ibid. (*c*) lecti] *Ita Palatini tres, aliique Mss. cum editionibus Aldi & Sabellici. alii,* electi.

2. (*d*)

2. (*d*) Aduersus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est.] *Strabo lib. 5. pag. 162, 47. Dio lib. 55 pag. 648. E. in anno* DCCLIX. *& Iurisconsultus l. 5. Dig. de offic. præf. Vigil. Antè Ædiles incendiorum curam habuerunt, vt ex variis eiusdem Dionis & Appiani locis constat. Erant aut em cohortes præfecti vigilum è libertinis conscriptæ: propterea alii milites per contemptum eos vocabant* sparteolos: *vt opinor, à funibus, quorum multus vsus in restinguendis incendiis: vel à sparteis tunicis quibus erant amicti: vel etiam a genere calciamentorum. nam huiusmodi hominum soleæ è sparteis funibus contexebantur interdum, vt docemus alibi. Sic eos nominat vetus Iuuenalis scholiastes ad hæc verba ex satyr. 14,* 305. Dispositis prædiues hamis. *notans,* Per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Vrbis cum hamis & cum aqua vigilias curare consueuerunt vicinis. *Sic accipio apud Tertullianum in Apologia cap. 39.* Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabuntur: de solo triclinio Christianorum retractatur. *Innuit elegantissime scriptor Afer, tantum apparatum cœnæ Serapicæ esse solitum, vt milites cohortium præfecti vigilum, illum locum vbi parabatur, obseruandum haberent. non enim magnum conuiuium sine magno igne paratur: inde incendii metus, quem ait excitare sparteolos. Nihil etiam vetat eam vocem ibi interpretari de gumiis, lurconibus, & parasitis, quos certum est omnes epularum occasiones sectari. Huiusmodi hominum proprium est,* omnis fumi esse non imperitos, *vt ait Apuleius in Apologia; & nos ibi nuper exposuimus itaque sparteoli venustissime dicentur: quia sparteoli, id est, vigiles dum intenti sunt ad omnem incendii casum, fumos caminorum sollicite obseruant. Seneca epist. 64.* Interuenerant quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic qui erumpere è lautorum culinis, & terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui hospites venisse significaret. *Casaubonus.* *De incendii restinguendi cura publica, habet autor noster exempla in Claudio* 18, 2. *& 25, 9. & in Nerone* 16, 1. *Apud Tacitum* 15, 43, 5. *in instauranda Vrbe, post Neronianum incendium,* ædificia certâ sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoque solidabantur quod is lapis igni imperuius esset: *quo de genere lapidum impermorum igni, Vitruuius* 2, 7. *Plinius* 28, 2, 12. etiam parietes, *inquit,* incendiorum deprecationibus conscribuntur. *Vbi Dalechampius* circumscribuntur *legit, hoc est, definiuntur, terminantur, ne flamma longius euagetur. Sed omnino rectum est* conscribuntur, *quod verbi non tantum re-*

fertur

fertur ad rem quæ scribitur: sed etiam interdum ad subiectum in quo scribitur. Ita Noster in Cæs. 81,2. tabula conscripta litteris Græcis. *& Ouid.* 2. *eleg.* 5. conscriptaque vino mensa. *Deprecatio autem illa siue excantatio ex Afranio nota fuit, si in pariete scriberetur* Arse Vorse. *Vide Festum dictione* Arse. *Verum* ἐάσομεν ἂν *ista magica. Felix aui nostri sollertia, siphones versatiles, & quamcunque destinaueris quantumuis alta domus partem perenni flumine perfundentes, arcendis ignibus excogitauit. Hos commentum esse* Kepplerum, *Mathematicum Cæsareum, aut verius Mathematicorum Cæsarem, ex eius litteris mihi constat: etsi mechanici, nil præter manum operamque commodantes, inuenti præclari gloriam sibi pro more vindicant.*

4. (*g*) Quo autem facilius vrbs vndique adiretur] *Dio in anno V. C. DCCXXVII. lib.* 53. *pag.* 585. *& in anno DCCXXXIV. lib.* 54. *pag.* 602. *Strabo lib* 5. *pag.* 150,47. *Extant & nummi in memoriam eius rei cusi, cum hac inscriptione:* S. P. Q. R. CÆS. AVGVSTO QVOD VIÆ MVNSVNT. [*vide Ful. Vrsini familias Romanas pag.* 281.] *Fuerunt & statuæ variis locis cum in Vrbe, tum per prouincias, ob eam curam eidem Augusto positæ, vt Dio quoque testatur. Tale est illud monumentum quod hodieque Emeritæ in Hispania reperitur.* IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. ET REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBVS. ET SANCTISSIMIS. INSTITVTIS. REFORMATA. VIAM. SVPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM. ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII. P. R. LATIOREM. LONGIOREMQVE. GADEIS. VSQ. PERDVXIT. *Casaubonus. Extat cum talibus inter Inscriptiones Romanas Gruteri, pag.* 149.

Ibid. (*h*) Flaminia via] *Viarum straturam, tribus fabricarum Romanæ Reipub. miraculis adnumerat Dionysius Halicarnass. antiq. Rom.* 3,91. *At Flaminiæ quidem viæ (cuius principium à porta Flumentana) auctorem C. Flaminium Censorem facit Epitome Liuii lib.* 20. *fin. Strabo verò lib.* 5. *pag.* 150,47. *C. Flaminium Consulem, superioris filium. Panuinius censet, à patre captam, à filio perfectam. Refecit atque restituit Augustus. Meminerunt præter alios Ouidius de Ponto* 1,9,44. *Martialis* 4,64. *&* 9,58. *Ab hac via, Galliæ Togatæ regio* Flaminia *nominata.*

Ibid.

Ibid. (*i*) Ariminotenus] *vsq; Ariminum, Flaminiæ oppidum.*

Ibid. (*k*) reliquas triumphalibus viris ex manubiali] *Hoc verius quàm vt Dio ait,* [*lib.53.pag.585.E.*] quibusdam è senatoribus: *neque ex pecunia manubiali, sed* propriis impensis. *Casaub.* *Manubialis pecunia, de hostium manubiis confecta, deferebatur in Ærarium.*

5. (*m*) Ædes sacras &c. refecit] *Vide inscriptionem lapidis Ancyrani. Ouidius Fastor.2,59.*

Cetera ne simili caderent labefacta ruina,
Cauit sacrati prouida cura Ducis:
Sub quo delubris sentitur nulla senectus,
Nec satis est homines; obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repertor,
Sit superis opto mutua cura tui.

Versu penultimo puto legendum refector, *non* repertor. *Liuius* 4,20,8. *Augustum* templorum omnium conditorem aut restitutorem *vocat. Imitatus est hunc locum, vt alios multos, ex hoc præsertim libro, Eginhartus de vita Caroli Magni.* Præcipue tamen, *ait*, ædes sacras vbicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur imperauit. *Casaub.*

Ibid. (*n*) cellam Capitolini Iouis] *Dionysius Halicarn.4,69. & P. Victor in descriptione Regionis VIII. tradunt, in templo Capitolino tres fuisse* cellas, (*quas ille* ναούς, *hic* Delubra, *alii* Sacella *vocant*) mediam *scilicet* Iouis, dextram Mineruæ, læuam Iunonis. *Proinde scripsit Ausonius in Grypho v.42.*

Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

De his adi Lipsium in Admirandis 3,5. & Rycquium de Capitol. Rom. cap.13. & seqq.

Ibid. (*o*) sedecim millia pondo auri] *Hæc æstimatione nostra (quæ est centum duodecim aureorum & semissis in singula pondo, si eius indicatura aurum fuit, cuius extant Romana nomismata) duodecies centena aureorum (coronatorum) millia valent. Budæus de Asse lib.3 pag.126.*

Ibid. (*p*) gemmasque aut margaritas] *Manilius lib.5.v.509.*

Hinc augusta nitent sacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina flammis,
Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.

Vide Macrobium Saturnal. lib.3. cap.17. & qua ad Manilii superiorem locum Ioſephus Scaliger de harum gemmarum & margaritarum vſu adnotauit pag.456. Caſaub. Auctores his vocabulu fere ſic vtuntur, vt gemma *omnis lapillus pretioſus ſit,* margarita *concharum partus. Iuriſconſulti vero gemmas eſſe volunt, quæ pellucidæ ſint materiæ, velut ſmaragdi, chryſolithi, amethyſti:* lapillos *verò contrariæ ſuperioribus naturæ, vt Obſidiani, Veientani:* margaritas *autem nec gemmis, nec lapillis annumerant. l.15. de auro & argento legato. Sic Horatius carm.3. od.24.* Gemmas & lapides, aurum & inutile. *Et Plinius initio libri 37.* gemmas violari ſignis, nefas ducebant. *Id enim de pellucidis intelligo. Torrent. Marcellinus autem in fine libri 23. margaritas quoque gemmarum nomine donat. Diſtinguit tamen & Curtius 8,9,19. vbi de India:* Gemmas margaritasque mare litoribus infundit. *Accurate de hoc diſcrimine diſſerit Salmaſius in Exercitationibus Plinianis, pag. 1113. & ſeq.*

Ibid. (*q*) quingenties ſeſtertiûm] *ſubaudiuntur ex conſuetudine loquendi,* centena millia: *ea ſunt duodecies centena & quinquaginta millia. Summa igitur vere Auguſtæ donationis erat, tricies centena & quinquaginta millia* (3050000.) *aureorum, quos Budæus coronatis, Lipſius aluque Philippicis æquiparant.*

CAPVT XXXI.

Poſtquam verò (*a*) Pontificatum maximum, quem nunquam (*b*) viuo Lepido (*c*) auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit, quidquid (*d*) fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique (*e*) cremauit: acſolos retinuit (*f*) Sibyllinos: hos quoque delectu habito: (*g*) condiditque duobus (*h*) forulis auratis ſub (*i*) Palatini Apollinis baſi. ‖ (*k*) Annũ à Diuo Iulio ordinatũ, ſed poſtea negligentia conturbatũ atq; confuſum, rurſus ad priſtinam rationẽ redegit: in cuius ordinatione (*l*) Sextilem menſem (*m*) è ſuo cognomine nuncupauit, (*n*) magis quàm Septembrem, quo erat natus; quia hoc ſibi & (*o*) primus conſulatus, & (*p*) inſignes victoriæ obtigiſſent.

3 gissent. ‖ Sacerdotum & numerum & dignitatem, sed & (q) commoda, auxit: præcipuè Vestalium virginum. Cumque (r) in demortuæ locum aliam capi oporteret, (s) ambirentque multi, ne filias (t) in sortem darent; adiurauit, si cuiusquam neptium suarum competeret (v) ætas, (x) oblaturum se fuisse eam. ‖ Nonnulla etiam exantiquis cærimoniis paullatim abolita restituit: vt (y) Salutis augurium, (z) Diale flaminium, (a) sacrum Luper-
5 cale, (b) ludos Sęculares & (c) compitalicios. ‖ Lupercalibus vetuit currere imberbes: item, Sęcularibus ludis iuuenes vtriusque sexus prohibuit (d) vllum nocturnum spectaculum frequentare, (e) nisi cum aliquo ma-
6 iore natu propinquorum. ‖ (f) Compitales Lares ornare bis anno instituit, (g) vernis floribus, & æstiuis. ‖ Pro-
7 ximum à Diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui imperium populi Romani (h) ex minimo maximum reddidissent. Itaque & (i) opera cuiusque, manentibus titulis, restituit: & statuas omnium (k) triumphali effigie in (l) vtraque Fori sui porticu dedicauit.
8 ‖ Professus est edicto, *commentum id se* (m) *vt illorum velut ad exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum*
9 *principes* (n) *exigerentur à ciuibus.* ‖ Pompeii quoque statuam (o) contra theatri eius (p) regiam, (q) marmoreo lano superposuit, translatam curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

NOTÆ IN CAPVT XXXI.

Num. 1. (a) Pontificatum] *Hoc deerat ad implendum omni ex parte ius ἀυλοκρατορίας. Duobus enim continetur Respub. omnis, religionum cærimoniis, & legibus humanis: quorum vtriusque cura & potestas olim penes reges fuit. Estque is mos antiquissimus, vt ex Aristotelis libro 3. Polit. notare olim meminimus ad 14. Strabonis, pag. 192. pr. Vide eundem Philosophum lib. 6. cap. vlt. & Synesium epist. 121. [Adde Iustinum 36, 2, 14. not. K.] Postea cum rebus mutatis veterà regna defecissent, vestigium nihilominus*

hilominus eius rei in plerisque Rebuspub. seruatum est: in quibus creati sunt reges sacrificuli, qui potestate cetera priuati, religiones curabant: regium vero nomen ὁσίης ἕνεκα [*dicis caussa*] *ait Dionysius lib. 4. cap. 79. retentum est. Hi sunt quos Græci* ἀνακτοτελεστὰς, *&* βασιλεῖς ἱερέας *vocant: quales diu fuisse in multis Græcorum ciuitatibus certissimum est ex Aristotele & veteri historia. Ac barbarorum plerique, ait Clemens Alexandrin. priscum institutum constanter retinuerunt.* Ὅπερ, *inquit, hoc ipsum intelligens,* ἔτι καὶ νῦν παρὰ τοῖς λογιωτάτοις τῶν βαρβάρων σώζεται, τὸ ἱερατικὸν γένος εἰς βασιλείαν προσαγόντων. [*h. e. quod etiamnum a barbarorum doctissimis quibusq; seruatur, qui sacerdotale genus prouehunt ad regnum. Lib. 7. Stromat. pag. 517. c.*] *Romani Græcos per omnia sunt secuti. Nam & primi Reges ipsorum, augures erant: & postea priuati, sacerdotiis præditi Rempub. religionum auctoritate rexerunt, vt scribit Cicero de Diuinatione 1, 40. Augustus ergo, ne quid illi ad summam potestatem deesset, Pontifex maximus anno DCCXLI. Prid. Non. Martii creatus est. Dio lib. 54. pag. 619. A. & Ouid. in Martio* [*Fastor. 3. v. 420*] *Permansit mos ab eo traditus ad Gratianum vsque: qui primus ex Impp. Christianis desciuit ab hoc maiorum instituto, Constantini, Constantii, & ceterorum exemplo neglecto. Auctor Zosimus lib. 4. Casaubon. Sapienter hac de re magnus aui nostri scriptor in laude Asini pag. 71.* Augustus, *inquit,* cum nominibus non aliter quàm talis luderet, ac modo nomen Principis, quod in Senatu libertatis præside ac sequestro, ea adhuc salua & incolumi, obtinuisse non nesciret, lepide assumeret: modo callide plebeiam ideoq; sacrosanctam tribunorum potestatem; ne à Principe ad Populum; nunc Pontificatum, ne ab eius maiestate ad deos & religionem quisquam prouocaret, solus occuparet; solus Romuli nepotes bubalorum instar naribus ductauit. *Quæ vero quantaque Pontificum potestas fuerit, expositum leges à Dionysio Halicarn. 2, 75.*

Ibid. (*b*) viuo Lepido] *Plutarchus Quæst. Rom. 99. auguribus hoc jus proprium esse ait, vt ne damnati quidem Sacerdotio priuentur: de reliquis vero negat diserte. quod miror. Cassiodorus in Patritiatus formula.* [*sub initiũ libri 6. var.*] Mox vt datus fuerit, in vitę tẽpus reliquum homini sit coæuus, ornatus indiuiduus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo homines contingat exire. Credo ad similitudinem Pontificatus vnde venerat rem fuisse formatam: quia sacerdotium non deponunt, nisi quum vitæ munera derelinquunt. *Eo alludunt Imperatores cum scribunt sic:* Hi veluti dicati infulis mysterium

sterium perenne custodiant. *nam* dicati infulis *sunt Pontifices. lege* 122. *De decurionib. in Theodos. Cod. Casaubonus. Nec vero Pontificatus tantum, sed & cetera Sacerdotia perpetua fuere, vt ne exules quidem Sacerdotio priuarentur, quod de Arualibus à Romulo institutis tradit Plinius lib.* 18. *cap.* 2. *Sed aliter eius nepos Plin. Secundus Epist.* 8. *lib.* 4. *Torrentius. Talis & apud Burgundios olim summus sacerdos, teste Ammiano Marcellino* 28, 30.

Ibid. (c) auferre sustinuerat] *De hoc ita Seneca lib.* 1. *de Clem. c.* 10. Lepidi Pontificatum maximum non nisi mortuo illo, transferri in se passus est. maluit enim illum honorem vocari, quam spolium. *At spoliatum exercitu Lepidum ab Augusto, & in perpetuum Circeios relegatum, tradit autor supra c.* 16, 10.

Ibid. (d) fatidicorum librorum] *Populi fata continentium, qui supra Cæs.* 79, 6. *dicti* fatales: *quorum meminit & Liuius* 5, 14 *& 15 &c. Tales sunt, quos* Acheronticos *vocat Arnobius lib.* 2. *aduers. gentes pag.* 109.

Ibid. (e) cremauit] *Exemplo nec nouo, nec malo. De Numæ libris, quod ad dissoluendam religionem pertinere viderentur, Senatus auctoritate crematis, Liuius* 40, 29. *Plin.* 13, 13. *Val. Max.* 1, 1, 12. *Plut. Num. c.* 40. *De Protagoræ scripto impio, idem passu supplicium apud Athenienses, Cicero de Nat. deor.* 1, 23. *& Laertius in Protag. sub init. Adde Actor.* 19, 19. *Quin & jura de libris damnatæ lectionis ita corrumpendis præcipiunt: vt l.* 4. §. 1. *D. famil. erisc. l.* 10. *Mathematicos. c. de Episcop. aud. l.* 6. *damnato.* §. *nec vero. C. de Hæret. & Manich. Item Photius Nomocan. tit.* 12. *cap.* 3. *&c. At eorum ex diuerso, qui non improbandos libros, solo bonorum virorum, bonarum artium odio præcipiunt incendi, sæuitiam multis exagitat Seneca in proœmio lib.* 10. *(qui alius quintus est) Controuersiar. & exempla sunt in Tacito* 4, 35. *& Vita Agric. c.* 2.

Ibid. (f) Sibyllinos] *Non illos qui Tarquinio oblati dicuntur: quippe partim ab auctore, reliqui Capitolino incendio absumpti. Plinius* 13, 13. *Tacitus* 6, 12. *sed qui postea conquisiti sunt. Lactantius* 1, 6. *ex Varrone. Tacitus* 6, 12 *Miror autem, cur non & Martii fatidica Carmina retinuerit, probata olim SCtis, & euentu spectata; quorum meminit Liuius* 25, 12. *Cæterum quæ & quot Sibylla, quibus & temporibus & locis fuerint, non parua est inter scriptores dissensio quam cui cognoscere curæ est, adeat eruditissimos Ludouici Viuis Commentarios ad D. Augustin. de Ciuit. Dei* 18,

23. *& accuratißimum Onuphr. Panuinium, singulari ea de re libello: conferatque Casaub. exercit. Baron.* 1. *cap.* 10. *&* 11. *Salmas. exercit. Plin. pag.* 75. *& seqq. Istorum vero carminum, quæ adhuc hodie Sybillinorum nomine circumferuntur, autorem lusisse de otio suo censet Scaliger animaduers. in Euseb. pag.* 184. *a. Ludunt operam & qui Christianæ religioni præsidium inde petunt.* Μὴ μοι γένοιτο, ἵνα τῷ ψεύδει τὴν ἀλήθειαν συνιστάνω: Absit à me, vt veritatem per mendacium velim ire confirmatum: *ait Chrysostomus in Matthæum.* Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? *Iob* 13, 7.

Ibid. (*g*) condiditque] *Vt in arcano scilicet haberentur, ne vulgati, priuatu & factiosis hominibus occasionem præberent aliquid in patrijs cærimonijs, aut in publica re nouandi. quomodo Lentulum ex libris Sybillinis concepta spe, regnum agitasse Romæ, memorat Sallustius Cat. c.* 47. *Qua caussa etiamtum veteri Repub. fatidici hi libri custodiebantur à Duumuiris initio, deinde Decemuiris, denique Quindecimuiris S. F. nec aperiebantur, aut nihil saltem ex iis in publicum proferebatur, absq; jussu & autoritate Senatus. M. Atilio certe capitale fuisse, Petronio Sabino Sibyllinos libros describendos dedisse, scribunt Dionys. Halicarn.* 4, 70. *& Val. Max.* 1, 1, 13.

Ibid. (*h*) forulis] *capsulis, loculamentis, armariolis.*

Ibid. (*i*) Palatini Apollinis basi] *Apollinem imprimis reueritus est Augustus. honorauit eum igitur, ceu vatum præsidem, etiam horum librorum custodia, quæ prius Capitolino Ioui demandata fuerat, vt contra opinionem Seruii pluribus ostendit Salmasius exercit. Plinian. pag.* 78. *De hoc Apolline Plinius* 34, 7, 11. Factitauit colossos & Italia. videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Thuscanicum, quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine.

2. (*k*) Annum &c.] *Quia anni ratio in potestate Pontificis fuit, propterea hic de emendatione anni agit. Casaub.* *De hac emendatione, & hoc ipso Nostri loco, Magnus Scaliger lib.* 5. *de emend. temp. pag.* 238. *Digito (inquit) indicat Suetonius, quotus annus Iulianus fuerit u. Nam Censorinus ita scribit (de die nat. fine capitis* 22.) Qui autem Sextilis fuerat, C. Martio Censorino, C. Asinio Gall. Coss. in Augusti honorem dictus est Augustus, anno Augustano vicesimo. *Atqui scimus eos Consules cum tricesimo etiano Iuliano comparari. Triginta vero*

ideo

iam fluxerant cum vitiosa Bisexti intercalatione, quorum vltimo Bisextum duodecimum intercalatum fuit. Itaq; anno sequente, hic Coss. periodi Iulianæ 4076. Augustus edicto sanxit: primum, vt duodecim anni sine intercalatione transigerentur: deinde, vt nunquam nisi anno quarto exacto intercalaretur Bisextum VI. Kal. Martias. Tres enim dies plus justo intercalati fuerant, qui per quatuor multiplicati dant annos duodecim. quibus sine intercalatione continuatis, quinquagesimus annus post illos duodecim habuit quadrantem diei. quartus vero ab eo exactus habuit plenum diem ex quadrantibus collectis, anno periodi Iulianæ 4721. Hæc Scaliger, quæ conferantur cum Macrobio Saturnal 1, 14. sub finem, & Ammiano Marcellino 26, 4. itemque notatis supra ad Cæs. 40, 2.

Ibid. (*l*) Sextilem mensem] *Ita dictum, quod à Martio, hoc est, vetere anni principio, sextus esset: sicuti Quinctilis, quod quintus: à quo ordine sequentes quoque menses sua nomina sortiti sunt. Vt autem Quinctilis in honorem Cæsaris transnominatus est* Iulius (*nam id est quod Florus 4, 2, 91. ait, datum ei* mensem in cælo) *ita quoque Senatusconsulto (cuius verba recitantur à Macrobio Saturnal. 1, 12. circa fin.) honori Augusti datum est, vt Sextilis nomen eius ferret. Inconsulta pariter & infelici perpetuæ famæ cupidine Nero Aprilem ex se* Neroneum; *itemque Domitianus Septembrem & Octobrem,* Germanicum Domitianumque, *mox perituris nominibus appellarunt. Noster in eorum vitis, cap. 55. & 13. Imp. Commodo tribuit eandem insaniam Lampridius c. 11. & Regi Demetrio Plutarchus c. 14.*

Ibid. (*m*) è suo cognomine] *Sic Palat. sec. ac tert. nam pr. fauet Torrentii libro, in quo,* è suo nomine. *antea editi,* à suo cognomine. *Gruterus.*

Ibid. (*n*) magis quam Septemb. quo er, natus] *Soliti veteres eum diem, qui sibi ad honores aditum patefecisset, non minore aut etiam maiore colere religione, quam illum quo Solem primùm viderant. Ea causa est cur Sextilem mensem præferat Octauius Septembri. Sic Cicero diem quo redierat ab exilio, & prioribus honoribus fuerat restitutus, modo παλιγγενεσίαν suam vocat, vt ad Attic. VI. epist. 6. modo natalem reditus sui, vt lib. III. epist. 20. Casaub.* *Adde Dionem lib. 55. pag. 632. C.*

Ibid. (*o*) primus consulatus] *In eundem initi consulatus diem mors quoque eius incidit, vt constat ex Tacito 1, 9, 2. & Dione lib. 55. pag. 676. A. vt mensem hunc non immerito fatalem Augusto fuisse posse dicere.*

Ibid.

Ibid. (*p*) insignes victoriæ] *Ex obtentis hoc mense ab Augusto victoriis, de duabus constat, Alexandrina, & Rhatica, vt pridem notauit Welserus in rebus Augustanis pag. 19.*

3. (*q*) commoda] *Videtur hæc vox translata à re militari, ad quam proprie refertur cum ab ipso autore, vt supra 24, 4. infra 49, 4. Calig. 44, 2. Ner. 32, 1. Vitell. 15, 2. tum etiam à Petronio in satyrico, Vitruuio præfat. Vegetio 2, 21. & aliis. Porro hæc Commoda Sacerdotalia superioribus sæculis appellari cœpta sunt* Præbendæ, *vnde & Germanorum vox* Pfrund *nomen habet. De* commodis *Vestalium virginum præcipuis meminit & Ambrosius epist. 2. contra relationem Symmachi:* Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, PRIVILEGIA MAXIMA, LVCRA INGENTIA, præscripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt. *Quo in loco septem Virginum mentio fit, contra aliorum testimonia, qui sex tantum faciunt. nec credibile est lapsum Episcopum in re illustri, & de qua cum maxime agebatur. Vt merito dubitari possit, septimam postremis temporibus adiectam, forte ob alias caussas, sed & dignitatem septenarii numeri. Nam adhuc Plutarchi (id est, Imp. Traiani) auo sex tantum fuisse, patet ex eius Numa cap. 18.*

Ibid. (*r*) in demortuæ locum aliam capit] Κυριολογία (*orationis proprietas*) *vt ex AGellio & aliis notum. Sic* dictus Dictator, flamen proditus *dicuntur proprie, vt notat Curius Fortunatianus lib. 3. etsi hoc non perpetuum. In Glossis scriptum est,* Captam, τὴν ἀπὸ προγόνων οἰκίαν: *mirum interpretamentum. Scio quid sit in ritibus sacris* captus locus: *hic magister quid sibi voluerit nescio. Puto tamen scriptum ab eo non* οἰκίαν, *sed* οἰκείαν. *existimauit* captam *dici eam, quæ per parentes in ea caussa sit, vt capi sacerdos possit. Verum alia quoque multa spectata fuisse in legenda virgine Vestali, liquet. Vide apud AGellium. Non igitur tam male quam parùm dixerit Græcus ille magister. Casaubon. Iste locus Agellii 1, 12. sic habet:* CAPI virgo propterea dici videtur, quia Pontificis Max. manu prehensa, ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur. *Et subiicit ipsa verba solennia, ex libro 1. Fabii Pictoris:* SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAS. QVÆ. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QVIRITIBVS. VTI. Q. QVÆ. OPTVMA. LEGE. FIAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO.

Quod

Quod autem ibidem addit Agellius, AMATAM inter capiendum à Pontifice Max. appellari, quoniam, quæ prima capta est, hoc fuisse, nomine traditur, *id non immerito quis in dubium vocet, cum Plutarchus in Numa cap. 18. primarum Vestalium ista nomina prodat, Geganiam, Veraniam, Canuleiam, Tarpeiam, nec Amatæ meminerit. Ceterum pro capere apud Liuium* legere Vestalem *semel ac iterum inuenias. Sed & capi flamen à Pontifice Maximo dicebatur, & ita Liuius 27, 8. & Valerius Max. 6, 9, 3. loquuntur.*

Ibid. (*s*) ambirentque] *h. e. ambiendo deprecarentur. Nam ægre parentes in hanc velut custodiam, & adactam Virginitatem suas dederunt. Vnde Dio lib. 55. pag. 645. b.* Quoniam haud prompte ii, qui plane nobiles erant, filias suas ad Vestale sacerdotium darent, Lege statutum est, etiam è libertinis natas posse capi. *Sane incommoda quædam adfuisse, satis apparet ex excusationibus, ab Agellio 1, 12. memoratis, quibus aliàs opus non fuisset.*

Ibid. (*t*) in sortem] *Sortitio enim hic adhibita, vt Vestalis quasi diuinitus legi excerpique è pluribus videretur. Id quod & Dio, modò citato loco tangit:* cùm sortitio facta esset, libertina nulla tunc ducta est.

Ibid. (*v*) ætas] *Intra sex & decem annos. nec enim minor sexenni capiebatur, nec decenni maior, vt notat Labeo apud Agellium, citato loco.*

Ibid. (*x*) oblaturum] *Nec enim ad Sortem ventum semper: sed & offerre ad sacerdotium Vestale filiam licuit. Et talis oblationis exemplum apud Tacitum legitur 2, 86, 2. Porro de his omnibus accuratissime, vt solet, Lipsius in libello singulari de Vesta.*

4. (*y*) Salutis augurium] *Intermissum per annos XLIV. à Ciceronis & Antonii Consulatu, ad V. consulem Augustum & S. Appulleium. Auctor Dio, qui sine ratione, vt arbitror, & lib. 37. & 51. (pag. 45. d. & 524. b.)* Ὑγιείας οἰώνισμα *Græce vertit. Nam* Salus *hîc, vel ipso teste, non erat* ὑγίεια, *sed* σωτηρία. *Casaubon.* *Est autem Salutis augurium, vt ait isto priore loco Dio, Diuinationis quoddam genus, quo exploratur, concedantne ipsis dii, vt populo salutem postulent: quasi ne salutē quidem à diis, nisi annuentibus ipsis, fas sit exposcere. Meminit & Festus in voce* Maximus prætor, *itemq; Cicero de diuinat. 1, 47, 1. & Tacitus 12, 23.*

Ibid. (*z*) Diale Flaminium] *Vide inscriptionem Ancyranam. Casaubon. Est id, flaminis Dialis sacerdotium, de quo supra in Cæs. 1, 1.*

Ibid. (*A*) sacrum Lupercale] *Celebratum paucis diebus ante Iulii*

Cæsaris necem, postea neglectum. Casaubon. *De quo itidem in Cæs. 76, 2. & 79, 4.*

Ibid. (B) ludos sæculares] *Cos. C. Furnio C. F. & C. Iunio C. F. Silano. Casaubon. ex Censorino cap. 17. circa fin. At Zosimus lib. 2. pag. 669. m. hos ludos L. Censorino, & C. Sabino Coss. factos esse auctor est.* *De hisdem accipiendum illud Ouidii Trist. 2, 1, 25.*

Iusserat & Phœbo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos ætas aspicit vna semel.

Meminit & Plinius 7, 48. & Dio lib 54. pag. 610. C. *His ludis in honorem Augusti carmen Horatius condidit, quod Sæculare inscribitur.* *Cæterum de ludis sæcularibus videndi Festus, Val. Maximus 2, 4. Zosimus lib. 2. hist. pag. 669. & seq. Politianus miscellaneor. cap. 58. & qui vberrime ex professo de iis disseruit Onuphrius Panuinius.*

Ibid. (C) compitalicios] *qui &* Compitalia, *ludos ita dictos, quod in viis compitorum per Vrbem agitarentur.* *De his consulendi, Dionysius Halicarn. 4, 18. Macrobius Saturnal. lib. 1. c. 4. & 7. Plinius ipso fine libri 36. Porphyrio interpres Horatianus ad lib. 2. satyr. 3. vers. 281. Meminit & Cicero ad Attic. 7, 7. Cato de re rustic. cap. 5. &c.*

5. (D) vllum noctum. spectac.] *Ludi sæculares continuis tribus noctibus celebrabantur: quia totidem filii Valesii, qui primus fuit horum ludorum institutor, periculo liberati fuerant.* *Vnde ab Ausonio eleganter dictum est in grypho ternarii numeri, v. 34.*

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Hæc Beroaldus, qui & Sæculares ludos Tarentinos *appellatos, Annotationum capite 23. docet ad illud Martialis 10, 63.*

Bis mea Romano spectata est vitta Tarento.

Tarentum, *seu vt alii,* Terentum *hic non illa Magnæ Græciæ vrbs, sed iuxta Tiberim in Campo Martio locus est.*

Ibid. (E) cum aliquo maiore natu] *cuius scilicet præsentiam reueriti, à flagitiis nocturna licentia cohiberentur.* *Nam alioqui*

—— tenebræ minuunt noxque atra pudorem.

Ouid. 10. Metamorph. vers. 454. Quod perditissimus quisq; per diem concupiuerit, per tenebras audet. *Tacit. 14, 20* *Quomodo stupra nocturna, & infanda flagitia Bacchanaliorum luculente describit Liu. 39.*

6. (F) Compitales Lares ornare bis anno instit.] *Veteres quidam,* Compitaliciis, *vt Vrsini, & editi quidam. Placet. repetendum enim ex superioribus,* ludis: *& sic dictum, vt* Lupercalibus, *ac* Sæcularibus.

ribus. *Mos Suetonii fere perpetuus, vt quæ iunctim proposuit, ea exequatur sigillatim eodem ordine. Sed an fuerunt gemina Compitalia? In veteri Kalendario semel notata sunt sexto Non. Mai. in eodem tamen Larentinalia annotantur inter Decembris festos dies: & satis constat ex Dionysio Halicarnaßeo 4, 18. non longo interuallo à Saturnalibus acta quondam compitalia: Varro lib. 5. De lingua Lat.* Compitalia dies attributus laribus: quotanneis is dies concipitur. *Vnde discimus, ætate Varronis non fuisse nisi vna Compitalia: eorumque diem, vt fere conceptiuarum omnium feriarum, fuiße incertum. Proprie autem* Lares ornare *dixit, vel* ornari, *vt in Viterbiensi [& Palatinis Codicibus. Grut.] aliisq; scriptum. In Nerone 46, 5.* Kal. Ianuarii exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt. *quod interpretor de priuato Larium cultu, non publico per Compitalia. [Sicut inter publicos priuatosq; Lares distinguit & Plin. 21, 3.] Festus,* Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ caussa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur. *Casaubon.*

Ibid. (G) vernis florib. & æstiuis] *Nam ver atq; æstas floribus coronariis generandis aptißimæ sunt tempestates. Ideo Theophrastus & alii sapientes* στεφανωματικὰ ἄνθη *[coronarios flores] distingunnt in* ἐαρινὰ καὶ θερινὰ *[vernos & æstiu.] Etsi certum, in* εὐηλίοις *[apricis] præsertim locis, etiam autumno, etiam hieme flores nasci. Idem.*

7. (H) ex minimo maximum] *Ita Cato apud Sallust. Cat. 52, 12.* maiores nostri Rempub. ex parua magnam fecere. *Quales sunt, quorum meminit Iuppiter apud Silium Italic. 2. 586.*

——— Hinc tibi Paullus,
Hinc Fabius, gratusque mihi Marcellus opimis;
Hi tantum parient Latio per vulnera regnum.

Ibid. (I) opera cuiusq. manentib. tit. rest.] *Moderationis hanc laudem tribuit & Imp. Seuero Spartianus c. 23.* Magnum vero illud in vita eius, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instaurauit, nusquam prope suo nomine adscripto, seruatis tamen vbique titulis conditorum. *Hadrianum vero ne suis quidem ipsius operibus, quæ vbique infinita fecerat, nisi Traiani patris templo, nomen suum inscripsisse confirmat idem c. 19. Quanto diuersus ab his Domitianus? de quo Noster. 5. 1.* Plurima opera incendio absumpta restituit: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine vlla pristini aucto-

ris memoria. *Itemq; Lampadius vrbis præfectus, de quo Marcellinus 27, 5.* Per omnia ciuitatis membra, quæ diuersorum Principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non vt veterum instaurator, sed conditor. quo vitio laborasse Traianus dicitur Princeps: vnde eum *herbam parietinam* iocando cognominarunt.

Ibid. (K) statuas omnium] *Ab ipso Æneæ & Romulo. Ouid. lib. V. Fastorum de Marte Vltore loquens, cuius ædes in Foro Augusti, v. 563.*

Hinc videt Æneam oneratum pondere charo,
Et tot Iuleæ nobilitatis auos.
Hinc videt Iliaden humeris Ducis arma ferentem:
Claraque dispositis acta subesse viris. *Casaub.*

Vbi Acta sunt Ouidio, sub quoque viro aut statua sua res gesta breuiter & Index. Inter eos porro locum ipsi etiam Augusto tribuit Velleius 2, 39. Diuus Augustus, præter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis Forum eius prænitet &c. *Quin & Lucilio Longo, quamquam nouo homini, effigiem apud Forum Augusti, publica pecunia patres decreuisse scribit Tacitus 4, 15.*

Ibid. (L) vtraque Fori sui porticu] *Vitruuius Architect. 5, 1.* Græci in quadrato amplissimis & duplicibus porticibus fora sua constituunt, crebrisque columnis, & lapideis aut marmoreis epistyliis adornant, & suprà ambulationes in contignationibus faciunt. *Atque hæc ipsa, vt addit, Romani, nisi quod non quadrata, sed oblonga faciunt, vt fori latitudo duas longitudinis tertias habeat. Situm autem hoc Augusti Forum, supra ipsum Romanum, ad latus Capitolii, post ædem hodie Diuæ Martinæ.*

8. (M) vt illorum velut ad exemplar] *Sic prima editio: Mss. plerique [etiam Palatini. Grut.] sic: vt ad illorũ velut ad exemplar. Scripserim,* vt ad illos velut ad exemplar. *Casaub. Factum Augusti, Catonis quoque iudicio probandum, cuius illa sunt apud Sallust. Iug. c. 4.* Sæpe audiui, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in sese habere: sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit. *Adde Nostrum in Cæs. 7, 1. Ciceronem pro Archia cap. 6. f. Val. Max. 5, 8, 3. f. Plin. 2. epist. 7. m.*

Ibid.

Ibid. (N) exigerentur] *Requirerentur. Hac mente Plinius panegyr. c.* 73. Oneraſti futuros Principes, ſed & poſteros noſtros. nam & hi à Principibus ſuis EXIGENT, vt eadem audire mereantur: & illi quod non audiant, indignabuntur. *An potius* exigere *hic eſt examinare, inter ſe comparare? ſimili ſupra in Cæſ.* 47, 1. exigere manu margaritarum pondus.

Ibid. (O) contra theatri eius regiam] *Pompeius poſt exſtructum famoſiſſimum theatrum, circumdedit ei cum alia opera, quod Velleius ait, tum etiam domum, vt illa erant tempora, admodum magnificam. ipſo mortuo, videtur aut illa, aut aliud quod ædificium ex iis quæ theatro adiuncta (quorum præter Velleium etiam Appianus meminit) regia nomine affectum. Ait autem* regiam Theatri *Pompeiani, quia, vt Plutarchus ait, quaſi appendix theatri fuit ea domus & ἐφέλκιον, vt ipſe nominat,* [*in vita Pomp. c.* 65.] *Sic potius hunc locum interpreter, quam vt Torrentius,* theatri regia, *hoc eſt,* theatrum regale opus. *Cauſaubon. Beroaldus, qui regiam hic* baſilicam *exponit, Græci nominis ſequitur ductum. Certe Baſilicas Foris adiungi ſolitas, è Vitruuio* 5, 1. *patet. Statius quoque Baſilicam Æmiliam,* Regiam *appellat in Equo max. Domitiani v.* 32.

Illinc belligeri ſublimis Regia Paulli.

Sed cum de Baſilica Pompeia nihil vſquam meminerint autores, & vere Statius improprie Regiam *dixerit, quod Græca dictio* Baſilica *commode non caderet in verſum hexametrum; rectior omnino Caſauboni explicatio eſt: & videntur olim operis Regii moles, etiamſi Baſilicæ non eſſent, appellatæ* Regiæ, *vt notat Rycquius de Capitol. Rom. cap.* 7. *pr. Sic Regiam Auguſti memorat autor infra* 76, 3.

Ibid. (Q) marmoreo Iano ſuppoſuit.] *Hæc omnium veterum lectio. Iani, quos* tranſitiones peruias *Tullius* [*De Natura Deor.* 2, 27.] *interpretatur, magna hominum frequentia ſoliti celebrari, vt fora. Ammian. Marcellinus lib.* 38. *c.* 25. potiores auctoritate longæua, per ianos & fora clamitant ſæpe, Rempub. ſtare non poſſe. *Liuius* 41, 27. *f. de colonia quadam loquens:* Fuluius Flaccus locauit forum porticibus taberniſque claudendum, & ianos tres faciendos. *Sunt codices non poſtremæ notæ, in quibus eſt* iano ſuperpoſuit, *vt intelligamus iano ſuperpoſitam Pompeii ſtatuam tanquam arcui triumphali, vel alicui columnæ: quod ſcimus & Romæ & Conſtantinopoli ſæpe factũ in Principũ ſtatuis. Caſaub. Hanc poſteriorem lectionem, Palatinis quoq; codd. teſte Grutero, firmatam, in textũ admiſi, maxime cum eadẽ phraſis compareat in Claud.* 20, 6. ſuperponere pilis turrim. *De his Ianis vide & Domitian.* 13, 5. *item & Turneb. aduerſar.* 6, 10.

CAPVT XXXII.

1 Pleraque pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine (*a*) licentiaq; bellorum ciuilium durauerant, aut per pacem etiam exsti-
2 terant. ‖ Nam & (*b*) grassatorum plurimi palam (*c*) se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui caussa: & (*d*) rapti per agros viatores sine discrimine, liberi, seruique, (*e*) ergastulis possessorum supprimebantur: & plurimæ factiones, titulo collegii noui, ad nullius non facinoris
3 societatem coibant. ‖ Igitur grassatores dispositis per opportuna loca (*f*) stationibus, inhibuit. (*g*) ergastula recognouit: (*h*) collegia, præterantiqua & legitima,
4 dissoluit. ‖ tabulas (i) veterum ærarii debitorum, vel (*k*) præcipuam calumniandi materiam, (*l*) exussit. Loca (*m*) in vrbe publica iuris ambigui, possessoribus adiudicauit. ‖ Diuturnorum (*n*) reorum, &
5 ex quorum (*o*) sordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit; condicione proposita, vt (*p*) si quem quis repetere vellet, (*q*) par pe-
6 riculum pœnæ subiret. ‖ Ne quod autem maleficium negotiumue impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui (*r*) honorariis ludis occupabantur, (*s*) actui rerum accommodauit. ‖ Ad (*t*) tres
7 iudicum decurias, quartam (*v*) addixit ex inferiore censu: quæ (*x*) *ducenariorum* vocaretur, iudicaretque de leuioribus summis. Iudices (*y*) à trigesimo ætatis anno allegit; id est, quinquennio maturius quàm soleb bant. ‖ At plerisque iudicandi munus detrectantibus, vix concessit vt singulis decuriis per vices annua vacatio esset: & (*z*) vt solitæ agi Nouembri ac Decembri mense res omitterentur.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPVT XXXII.

Num. 1. (*a*) licentia bellor. ciu.] Bellorum ciuilium hi semper exitus, vt non solum ea fiant quæ velit victor: verum etiam vt iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta est victoria. *Cicer. Familiar.* 12, 18. *fin.*

2. (*b*) grassatorum plurimi] *Et Roma, & circumiecta Italia perpetuò obnoxia huic periculo, quo ne nunc quidem carent. Refero huc Appiani locum, Ciuil.* 5. *pag.* 746. λῃστευομένης δὲ καὶ τὰ συχνὰ τῆς τε Ῥώμης αὐτῆς, καὶ τῆς Ἰταλίας (*vel* τῆς ἄλλης Ἰταλίας) περιτειχῶν. [quum Vrbs ipsa, ceteraq; Italia, palàm infestaretur latrociniis] *In vulgatis editionibus scriptum est* τῆς Σικελίας, *eamque lectionem videntur confirmare quæ deinceps narrantur: sed qui attentius locum legerint, mihi assentientur. Iuuenalis querela est de suis temporibus Satyr.* 3, 302.

—— nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus postquam omnis vbiq;
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum & ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad viuaria currunt.

Appianus alibi [*lib.* 4. *Ciuil. pag.* 607. B.] *grassatorem hac periphrasi describit:* ἄνδρα λῃστὴν τοὺς παροδίτας καὶ ἐπὶ ἔργῳ καταδεῖν εἰθισμένον [*hominem prætereuntes viatores rapere solitum, & in ergastulum conijcere vinctos*] *Ceterum de huiusmodi latrunculatoribus, & eorum inhibitione, lege quæ obseruata sunt Iacobo Cuiacio lib.* 19. *cap.* 11. *Casaub.*

Ibid. (*c*) se ferebant] *ostentabant. Ita Virgil. Æn.* 11, 779. captiuo siue vt se ferret in auro. Sich erzeigen/ sehen lassen.

Ibid. (*d*) rapti per agros viatores &c.] *Similis improbitas exitit mancipũ panis gradilis, temporibus Theodosii, vt plures illorũ temporũ scriptores ostendunt. Auctor Hist. miscell.* 13, 2. [*ex Socr. hist. Eccl.* 5, 18.] Horũ panũ mancipes tempore præcedente pistrina publica latrocinia esse fecerunt. cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum domuum tabernas instituentes &c *Mox.* Arte mechanica in molam de taberna cadebant. & hoc patiebantur maxime peregrini, & ita latebant clausi, vt multi vsque ad senectutis

eis tempus laborantes, inde non permitterentur exire, existimantibus eorum propinquis esse defunctos. *Casaub.* *Miserabile violentæ fraudis huius exemplum extat in Appiani Ciuilium quarto, pag. 607. B. vbi puer quispiam narratur relatus inter proscriptos, & matrem aggressus, vt adiuuaret se celaretque. repulsus ab ea fugit ad montana: vnde fame depulsus, venit iterum ad plana, captusque ab eiusmodi plagiario, & in ergastulum trusus. Vnde ipse, quippe puer in deliciis semper habitus, laborem hunc insolitum non tolerans, in viam publicam, vt erat compeditus, euasit, seque transeuntibus centurionibus prodidit, ac ita periit. Sed & Achilles Statius suam Leucippen rapi, & in ergastulum conuiciat, compeditam, rasam, terram fodientem. Item apud Petronium Tryphæna decepta specie stigmatũ, quæ solebãt ergastuli mancipiis inuri, sciscitari submissius cœpit, quod ergastulum intercepisset errantes. Ab huiusmodi grassatura infami non alienum illud est, quod hodie quoque ab archipiratis patrari memorant, qui homines incautos in maritimis locis comprehensos, in triremes rapiunt, & ad scalmum alligant, vt sub flagellis remigent: in quos differit Ianus Langlæus Semestr. lib. 10. cap. 5.*

Ibid. (*e*) ergastulis possessorum supprimeb.] *Ergastulum vox Græcæ originis, non Græca* [*Nam ab* ἐργάζομαι *potius* ergasterium *dicendum erat*] *Illi* ἐργάτωας *vocabant. Hesychius:* ἐργάτωας, οἱ ἐν τοῖς ἀγροῖς τόποι, ὕδα οἱ οἰκέται κοιμῶνται [Loca in agris, vbi serui cubant] *Sed accommodatius mori Romano scriptor Glossarum:* Ergastulorum, ἀλλάντων φυλακῶν. Ergastula, τόποι ἐν οἷς σιδῆται ἐργάζονται. δεσμωτήρια, δεσμά. *Vetustiores Græci & vsum horum notant, & ἑρκίτας appellabant. Athenæus lib. 6. cap 19.* Ἀμερίας δ' ἑρκίνας φησὶ καλεῖσθαι τοὺς κατὰ ἀγροὺς οἰκέτας: [Amerias scribit Hercitas vocari eos seruos, qui ruri agunt] *Casaub. Salmasius tamen ad historiam Augustam pag. 50. B. 1. vocem ergastulum non tantum origine, sed etiam formatione esse Græcam, eamq; Romanos a Siculis, vt alia, sumpsisse contendit. Vt enim ab* ἐργατὸς, *est* ἐργάτυλος: *sic ab* ἐργατὸς, ἐργάτυλος, *diminutiua forma, qui in terræ cultu laborat, qua arando, qua fodiendo. Inde* ἐργάτυλος τόπος *adiectiue, locus, in quo eiusmodi* ἐργατοὶ *vincti detinebantur ad opus rusticum faciendum: quod adiectiuum postea in substantiuum transiit, &* ἐργάστυλον *factum. Inde Romanis* ergastulum, *v mutato in u, sicut pro* Sylla *dicunt* Sulla *&c. Plinius 18, 3, 16. ergastuli mancipia ita describit:* at nunc eadem illa (iugera) vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent. *De ergastulario (h. e. iis qui præsunt ergastulis) præcipit Columella lib. 1. De re rustica cap. 8.*

Cæterum

Ceterum Possessores *hoc loco, domini agrorum sunt? quomodo* Possessiones *(ait Festus)* appellantur agri late patentes publici priuatique. *Sic Cæsar. lib. 1. de bello Gall.* Allobroges qui trans Rhodanum vicos possessioneſque habebant. *Et lib. 1. de bello ciu. sub fin.* Res huc deducitur, vt qui habeant domicilium aut possessiones in Hispania. Landgütter.

3. (*f*) stationibus] *h. e. stationariis militibus. Tertullianus apologet. cap.* 2. Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur. *Idiotismo nostro* die rothe ruhr. *Qui his præerant,* latrunculatores *postea dicti, qui nouellâ Iustiniani* 8. *&* 28. *sunt* λῃστοδιώκται, *latronum persecutores:* βιαιοκωλύται, *violentiam prohibentes:* & ἀποπλισταὶ, *exarmantes. Eorum institutum ex hoc ipso Augusti manasse, non ab re censet Cuiacius obseru.* 19, 11. *&* vnâ *commendat illam rationem inhibendorum grassatorum, quam etiam Aristoteles notauit in Admirandis suis, & adhuc quibusdam Italiæ regionibus in more esse scribit Alciatus, vt scilicet, qui ei loco, in quo latrocinium factum est, sunt proximiores oppidani, aut municipes, aut vicani, latrones exhibere, aut damnum sarcire compellantur. Quomodo apud Iosephum lib. 2. de bello Iudaico cap.* 20. *Cumanus Syriæ procurator imputat proximorum vicorum dominis, quod latrones persecuti non comprehendissent,*

Ibid. (*g*) ergastula recognouit] *Per Tiberium, libro sequenti, cap.* 8, 4. *Sed quin hoc sæpius factum etiam per alios, non ambigo.* Casaubon. *Imp. Adrianus denique prorsus ergastula sustulit, vt memorat in eius vita Spartianus cap.* 18. *Quod in perpetuum valuisse, statuit in Electu* 2, 15. *Lipsius: quem refellit ad hunc ipsum Spartiani locum Salmasius, pag.* 49.

Ibid. (*h*) Collegia, præt. ant. & legitima, dissoluit] *Absunt à Mss. duobus Torrentii, & editione Rom. duæ dictiones,* & legitima, *vt sensus sit, Augustum noua omnia collegia dissoluisse, quemadmodum & Cæsar Dictator supra cap.* 42, 5. *Et sane merito suspecta Principibus collegia, quippe factionum nutricula.* Ab nullo genere non summum periculum est, si cœtus, & concilia, & secretas consultationes esse sinas, *ait Cato censor apud Liuium* 34, 2. *pr. Qua caussa Imp. Traianus Nicomediæ nouum fabrorum collegium constitui vetuit. Plin.* 10. *epist.* 43. *Ceterum* antiqua collegia *vocat hic autor ea, quæ Numam Regem instituisse, scribunt Plutarchus in Numa, c.* 31. *Plin.* 34, 1, 2. *&* 25, 12, 13.

4. (*i*) veterum ærarii debitorum] *Tres libri non habent verbum* ærarii, *quos non sequor. Torrentius.* *Nec sunt sane sequendi.*

Nam Dio quoque in horum narratione τῶν τοῦ κοινοῦ τὰ ὀφειλόμενα memini. *sub initium libri 53.*

Ibid. (*k*) calumniandi] τῷ ἐπηρεάζειν, *non* τῇ συκοφαντίᾳ. *Sic in Domitiano 9, 6.* fiscales calumniæ: *& in Iusto 20, 7.* calumniarum metum iniecit. *Quid appellet* calumniandi materiam, *declarat eximiæ lex Impp. Theod. & Valent. AA. in Cod. Theodos. titulo De indulgentiis reliquorum. Casaub.* *Iustino 38, 7, 8. sunt* calumniæ litium. *Cicero Officior. 1, 10.* Calumniam, & nimis callidam ac malitiosam iuris interpretationem *coniungit. Idem de Repub. lib. 2.* cauillas optimas calumniâ ludificari. *Hinc* iuramentum calumniæ *est, quum accusator iurat, se non exagitandi vexandique aduersarii caussa, ad accusandum descendere. Quomodo Gaius l. 233. D. de verbor. signif.* calumniatores *scribit appellatos eos, qui per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus. Est enim ea vox ab antiquo verbo* caluor, *quod in XII. tabb. morari & frustrari significat.*

Ibid. (*l*) exussit] *Partem huius periodi pene ad verbum expressit Dio:* τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν τοῦ κοινοῦ ὀφειλόντων ἔκαυσε [Syngraphas antiquas eorum qui Reipub. aliquid deberent, cremauit. *Sub initium libri 53.*] *Vnde merito probata eruditissimo Torrentio quorundam librorum lectio* exussit: *cum in plerisque scriptum & nos inuenerimus* excussit [*Sic & Palatini. Grut.*] *Confirmant illam scripturam similia insequentium Principum exempla non pauca. Spartianus de Hadriano c. 7.* Ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro diui Traiani, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis. *Flauius Vopiscus de Aureliano c. 39.* Tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit. *Ausonius in Panegyrico*: Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iussisti. Vidère in suis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem salubris incendii: ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. *Vide ad Calig. 15, 7. Appiani narratio lib. 5. ciuil. vtrique lectioni accommodari potest. In antiquis nonnullis est vt dixi,* excussit. *Nobis placet* exussit. *quam scripturam prater allata iam exempla stabilit lex Impp. Arcad. & Honor. AA. Cod. Theodos. De indulgentiis debitorum: Ea lege iubentur chartæ istiusmodi cremari. Etiam Iustini Imp. similem liberalitatem multis versibus decantat Corippus, antiquus & elegans Poeta* [*Sub finem libri 2.*] *In eius verbis caute ista accipe:* quod nullus auorum Augustos vnquam cecinit fecisse priores. *Nam id, nisi commoda interpretatione mollias, falsissimum est. Casaubon.* Pertinet huc

exemplum

exemplum Pati cujusdam, exercendis apud ærarium sectionibus famosi, cui exilium irrogatum, & tabulas quibus oblitterata ærarii monimenta retrahebat, exustas, *scribit Tacitus Annal.* 13, 23.

Ibid. (*m*) Loca in vrbe publica juris ambigui) *Id est, quæ publica esse dicebantur magis quam probabantur: alioquin vel ablata possessoribus, vel non nisi impositio solario* [Bodenzinus] *essent concessa. Simile iudicium Domitiani, vt narrat Suetonius in eius vita 9, 5. Ad hoc controuersiarum genus instituti sunt postea, quos* Curatores locorum publicorum iudicandorum *nominabant. Vetus lapis:*

T. QVINCTIVS CRISPINVS
VALERIANVS.
C. CALPETANVS. STATIVS. RVFVS.
C. PONTIVS. PELIGNVS.
C. PETRONIVS. VMBRINVS.
M. CRASSVS. FRVGI.
CVRATORES.
LOCOR. PVBLICOR. IVDICAND.
EX S. C. CAVSA. COGNITA.
EX. PRIVATO. IN PVBLIC. RESTITVER.

Extat memoria similium iudiciorum in aliis inscriptionibus, quas missas facio. Casaub. *Vide Gruteri Romanas inscriptiones pag.* CC. 5. *& 6. item* CDLVII. 4. *Ceterum videtur Augustus secundum possessores pronuntiasse vitandarum litium, declinandæq; præteritarum calamitatum memoriæ caussa. Nec enim post diuturna bella, maxime ciuilia, in quibus possessiones varie migrant, reducendæ quieti quicquam magis expedit quam edictum* vti possidetis, ita possideatis. *Vnde non immerito Florus* 3, 23, 2. *Lepidi consilium damnat, acta Syllæ rescindere parantis: cum id sine magna clade Reip. fieri non posset, & ablatorum restitutio compositam ciuitatem esset procul dubio labefactatura.* Expediebat ergo (*inquit Florus*) quasi ægræ sauciæque Reip. requiescere quomodocunque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. *Hæc certe quibus nunc premimur mala vix aliud quam hoc ipsum remedium finiet.*

5. (*n*) Diuturnor. reorum] *Variis olim legibus ac S. C. accusantium temeritas & improbitas coërcita fuit, vt lege Remmia, & S. C. Turpilliano: de quibus habes apud I. C. in Pandect. Tandem vero prodiit salubrrima constitutio quæ anno terminari iussit quæstiones criminales.*

Extat ea lex hodieq; in Cod. Theodos. lib. 9. tit. 36. Iustinianus tempus ampliauit, & biennium præfiniit, leg. 3. Cod. Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur. Casaubon. *Armoricorum legibus, criminalem accusationem, quinque annorum lapsu extingui tradit Langlæus Semestr. 12, 1. quem videre fuerit operæ pretium.*

Ibid. (c) sordibus) *Mos erat reorum, vt pro candida sordidam & obsoletam togam induerent in publicum, capillum barbamq; summitterent, essentq; in squalore, vt ita facilius misericordiam mouerent in iudicio, & absolutionem impetrarent. Atq; hunc omnem habitum* sordes *appellat autor. vnde Rei dicti* sordidati, & squalidi. *Videsis Electa Lipsii 1, 13. item annotata ad Iustin. 36, 4, 2. b. Ad hunc modum olim Hebræi, cilicio & sacco cum cineribus capiti insperfis sordidabantur, vt ita abiecti & humiliati misericordiam & opem consequerentur.*

Ibid. (p) si quem quis repetere vellet] *Post accusationis abolitionem, vel ex Senatusconsulto, vel ex indulgentia Principis, vel ob ferias lætitiamue aliquam, aut quamcunque aliam ob caussam,* repeti *Rei possunt* [*h. e. iterum in iudicium trahi.*] *intra dies XXX. de quibus vide Iurisconsult. Dig. ad Senatusconsultum Turpillianum lege 10. & seqq. Huius iuris auctorem facit hîc Suetonius clare Augustum: obscure Paullus Iurisconsultus lege tertia, Dig. De accusat. & rescript.* Si accusator decesserit, aliaue quæ causla impedierit, quò minus accusare possit, & si quid simile, nomen Rei aboletur postulante reo: idque & lege Julia de vi, & Senatusconsulto cautum est, ita vt liceat alii ex integro repetere reum: sed intra quod tempus videbimus. Et vtiq; triginta dies vtiles obseruandi sunt. *Simulem Domitiani constitutionem refert auctor in eius vita 9, 4. Casaubon.*

Ibid. (q) par periculum pœnæ subiret] *Vide in Domitiano 9, 4. Calumniatorum pœna legitima talio, hoc est, similitudo supplicii. lege vlt. Cod. De calumniatorib. Olim lege Remmia calumniæ damnatorum fronti inurebatur litura K. Cicero pro Roscio Amerino, & Plinius in Panegyrie. cap. 35. vnde apud Papinianũ,* calumniæ damnatus, & homo integræ frontis, *opponuntur. lege 13. Dig. de testibus. Casaubon.*

6. (r) tringinta amplius dies actui rer. accom.] *In multis olim rebuspublicis, vt Atheniensi, Tarentina, aliisque, euenisse legimus, vt crescente varia occasionibus dierum festorum numero, tandem plures voluptatibus dicati reperirentur, quam negotiosi & iuridici. Idem Romanis euenerat ante Augustum. quod non vna Ciceronis in Verrinis querela declarat.*

clarat. Augustus primus, sicut hîc narrat Suetonius, huic malo medicinam fecit: idè posteà factũ à Claudio, vt narrat idẽ in Claud. 23, 1. [*& Dio 60. p. 777. B.*] *Simile est quod in vita optimi Principis Marci Antonini Philosophi refert Capitolinus c. 10. Iudiciariã rei singularẽ diligentiã eum adhibuisse: fastis dies iudiciarios addidisse,* ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibusque disceptandis constitueret. *Quod non temere ab eo historico notatum. vix enim vllo alio tempore, si antiquissima excipias, tot dies negotiosi in anno Romano fuerunt. Potest iniri ratio ex Kalendario veteri quod hodieque extat, & historiis. Quid? noster hodie annus quam procul ab eo numero abest? cum quidem iam inde à temporibus Iustiniani, dies feriati in anno essent circiter 160. clara res ex illius Codice, titulo De feriis. Quantum post illa numerus auxerit, videmus. Digna res animaduersione alicuius Antonini, si minus Philosophi, saltem Pii. Casaub.* Dies isti, quibus experiundi iuris sui potestas est, vtiles *appellantur in Iure, & à Græcis interpretibus ἀφισμένοι, de quibus videndus Cuiacius Obseruation. 2, 18.*

Ibid. (*r*) honorariis ludis] *Festi verba sunt:* Honorarios ludos, quos & Liberalia dicebant. *Ego verò hoc loco honorarios ludos interpretor, qui ad honorem edentium pertinerent. Triplex olim ludorum & agonum exhibendorũ causa: deorũ religio, mortuorũ ἐνάγια, [iusta funebria] & edentiũ honos. Qui ex duabus priorib. causis exhibebãtur, sacri fere erant & inuiolabiles, eorumque origo prior est & antiquior: serò enim transierunt ludi ab honoribus deorum & mortuorum, ad honores viuentium: quæsturas dico, magistratus, & flaminia ac sacerdotia, inquit Tertullianus* [*in lib. de spectac. cap. 12.*] *postea autem ita res in frequenti vsu fuit, vt temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in Repub. sortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum impenderet, aut impendisset. Merito igitur Augustus hos potius ludos coërcuit, qui ex ambitione prauа originem habebant, quàm illos priores. Ita hunc locum interpretor ex Tertulliani lib. De spectaculis, vbi hæc distinctio ludorum & agonum aperte explicatur. Potest & alia afferri ratio præter superiorem, cur hi ludi à Suetonio* honorarii *cognominentur. nam quia Augusti temporibus plurimi magistratus prætores erant (sedecim enim ab eo constat fuisse aliquando creatos) à maiori parte honorarii ludi, quasi prætorii, ita potuerunt dici, vt* ius honorarium *κατ' ἐξοχὴν appellarunt ius prætorium. nam alioquin proprie loquendo, etiam ius ædilicium & aliorum magistratuum qui honores obtinebant, iura honoraria dici potuerunt. Sic ipsos prætores* honoratum magistratum *dixerit Ouidius l. 1. Fastorum, vers. 52.*

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

Nos, vt ante diximus, non de solis prætorum ludis accipere debemus: sed eorum omnium, qui eo modo propriæ ambitioni, & populi voluptatib. seruiebant. Cæterũ ad hos ludos refero & eorũ pleroſq; quos vocat Sueton. in Nerone 2. 4. priuatos. *Intelligo enim ludos a magiſtratib. aut ſacerdotib. propriis pecunia honoris ſui gratia edi ſolitos. Na* priuati *omnes dicuntur etiã ſecundum magiſtratus reſpectu Principis. & ita ſæpe accipiendum in Suetonio & Tacito* [*Vt in Tib.* 12, 2. *Claud.* 41, 5. *Veſp.* 3, 2. *præcipue Domit.* 9, 2. *Sic Tacit. Hiſt.* 4, 4, 1. *&* 5, 26, 4. *Agr.* 39, 4. *&c.*] *Sed & eos ludos poſſumus, ni fallor, ad hoc genus referre, quos extra ordinem, in honorem Principis, ex ambitioſo aliquo decreto ſenatus fuiſſe editos legimus: cujus rei exempla in hiſtoriis plurima. Caſaubon.* Hanc poſtremam ſententiam, honorarios dictos, *in honorem Principis ſuſceptos, probat & Lipſius Saturnal.* 1, 10. *eamque confirmat Inſcriptione veteri, quæ extat in Gruteri opere Romanar. Inſcriptionum pag.* 475, 3. *vbi* C. Titio *cuidam Sueſſæ, ab Ordine Decurionum honores decreti leguntur,* QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. EX. PECVNIA. SVA. EDIDISSET. *Sed præcedentem interpretationem, ad ludos à prætoribus edi ſolitos iſta trahentem, Michael Virdungus V. C. fulcit loco Taciti in vita Agric. cap. 6. vbi de Agricola prætore facto:* Ludos, & inania HONORIS, modo rationis atque abundantiæ duxit, vti longe à luxuria, ita famæ propior. *Pertinet eodem illud Iuuenalis ſatyr.* 11, 193. Prædo caballorum prætor ſedet.

Ibid. (5.) actui rerum) *Sic Claud.* 15, 1. *&* 23, 1. *Ner.* 17, 4. *Quibus omnibus locis* rerum actus *nihil aliud quàm tempus ipſum ſignificat, quo iudicia exercentur, ac de rebus agitur: vti & apud Plinium lib.* 9. *epiſt.* 25. Nunc me rerum actus modicè, ſed tamen diſtringit. *idque ſic eſſe apertiſſime oſtendit Capitolinus in M. Antonino c.* 10. Faſtis (*inquit*) dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibuſque diſceptandis conſtitueret. Dies iudiciarios *vocat, quos* negotioſos *alicubi* [*Annal.* 13, 41, 8.] *Tacitus, &* rerum actum *Suetonius. Torrent.* Actus publicos *vocant Capitolinus in Imp. Marco Antonino c.* 21. *& Lampridius in Alex. Seuero c.* 29. *Eſt tamen vbi* rerum actus *pro adminiſtratione quacunque politica generaliter acceptum legas. Luc.* 16, 4. *pro ſemibarbara illa verſione* amotus à villicatione, *Tertullianus pereleganter lib.* 4. *aduerſus Marcionem cap.* 33. *pr.* ab actu ſummotus. *Auguſtinus tract.* 57. *in Ioh. col.* 398. *a.* qui minoratur actu.

7. (5)

7. (*t*) Ad tres iudicum decurias quartam] *Qua ratio Augustum impulit vt tempora iudiciorum amplificaret, eadem vt iudicum numerum augeret. Quot & quales Romæ mutationes in re iudiciaria acciderint, quia ex Cicerone & Asconio diligenter docti viri* [*Carolus Sigonius, Nicolaus Gruchius, alii*] *exposuerunt, pluribus persequi non est operæ. Tandem Octauius ad quatuor decurias omnem iudicum numerum redegit. Decuria in hoc loquendi genere non est δυάς. nam singulæ decuriæ singulæ minimùm millia continebant, quod ex Plinio constat. non est etiam ordo, vt quodam apud Ciceronem loco Asconium exponere memini: nam decuriæ quatuor fuerunt, postea etiam plures: ordines in ciuitate non nisi tres, senatorius, plebeius, & qui illo maxime temporibus constitutus formatusque fuit equester. Est vero decuria hac notione idem fere ac λεύκωμα, album, Quæ fuerit differentia inter has decurias, & vt ita dicam, quæ εἰδοποιὸς διαφορὰ, nondum inueni. nam censum solummodo spectatum non puto: de quo tamen alibi, si Deo placuerit, quæremus: sed quæcunque tandem ea fuerit, per illam quatuor τάξεις diuersæ iudicum sunt constitutæ: quæ ea ratione* decuriæ *dictæ sunt, qua & equitum decuriæ dicuntur apud Tacitum & Sueton. Quod enim apud eos legimus,* ordinare decurias equitum, *id significat, omnes equites recensere, & eum cuique locum assignare, qui ei conueniebat. Erant quippe decuriæ aliæ aliis honestiores: cuiusmodi decuria quæstoria erat, inter equestres vel honestissima. quam si quis erat nactus, eius fuit sedere in quatuordecim inter primores. Scholiastes Iuuenalis ad Satyram. 5. v. 3.* Sarmentus natione Tuscus, è domo M. Faboni, incertum libertus an seruus, plurimis forma & vrbanitate promeritis, eò fiduciæ venit vt equitem Romanum ageret· decuriam quoq; quæstoriam compararet. Quare per ludos quibus primus in quatuordecim ordinibus sedit, hæc à populo in eum dicta sunt. *Casaubon.*

Ibid. (*v*) addixit) *Fulvius Vrsinus è vetere codice legit* addidit *quam lectionem confirmat alius de re simili locus in Calig.16,5.* ad quatuor priores quintam decuriam addidit. *Alii, sed ex coniectura, emendant* adiecit: *quod ipsum etiam autoris exemplo non caret, scilicet in Galba* 14, 5. Iudicibus sextam decuriam adiici precantibus. *Qui tamen* addixit *retinent, præter consensum Mss. codicum, nituntur hoc argumento, quod hoc vnum sit ex illis tribus sollemnibus prætoris verbis,* do, dico, addico, *de quibus Varro lib. 5. de lingua Latina, & Macrobius Saturnal. 1,16. Quorum tamen non tam vltimum quam primum, ad iudicis arbitrique dationem refertur. Et quamuis de vltimo quoque nonnulla sint*

apud

apud ICtos exempla, relata à Brissonio de V.S. vbi addici *dicitur* iudex Arbiterve, *qui ex formula a Prætore dabatur, vel ex conuentione litigatorum sumebatur. (quomodo etiam loquitur Valerius Maximus 8, 2. vbi vulgo male legitur* adduxit *&* adductus, *pro* addixit, addictus) *hoc tamen in exercendo iudicio potius, quàm noua, vt hoc loco, iudicum instituenda decuria locum habere videtur.*

Ibid. (x) ducenariorum) *Budæus de Asse lib. 3. pag. 106. m. & Turnebus aduersar. 29, 16.* ducenarios iudices *interpretantur, qui ducenta sestertia in censu haberent, hoc est, censum Equestrem dimidiatum, quinq; millium coronatorum; cùm solidus census 400. sestertia, id est 10000. coronatos expleret. Quia verò dicit autor, hos non nisi* de leuioribus summis *iudicasse, videri aliqui possit, ex eo sic appellatos, quod de summis 200. sestertia non excurrentibus cognitionem susciperent.*

Ibid. (y) à tricesimo ætatis anno] *Lege,* à vicesimo. *nusquam enim reperio ante Augustum non allectos in decurias iudicum minores annis 25. contra, annum 25. legitimum ei muneri obeundo, vt plerisque aliis fuisse finitum, persuadet mihi lex 8. Digest. De muneribus & honoribus. Ita emendabat hunc locum etiam Iacobus Cuiacius [obseruation. 21, 32.] iudicii vt acerrimi, aquila Iurisconsultorum. Casaubon.*

8. (z) vt solitæ agi Nouembri ac Dec. mense res omitt.) *Hoc est, vt rerum actus, qui certis diebus mense Nouembri & Decembri celebrari solebat, omitteretur; essentque omnes eorum mensium dies nefasti, nulli ἀγόραιοι. Docti viri [vt Torrent. h. l.] quia non animaduertebant,* res agi *sic dici hoc loco, vt paullo ante* rerum actus, *mentem Suetonii non videntes, inani quæstione sese fatigarunt, quænam essent illæ res mense Nouembri & Decembri agi solitæ. atqui vt ad Theophrasti characteres [pag. 176.] notabamus, &* rerum actus, *&* res agi *dicunt Romani de eo tempore,* ἐν αἷς δίκαι εἰσί. *Quinam autem dies illis duobus mensibus essent vtiles, qui feriati, ex Kalendario veteri, & Cicerone, Asconio, ceteriſque scriptoribus potest intelligi. December præcipue voluptatibus deputatus fuit. Senecam lege initio epistolæ 18. Videtur autem Octauius hoc instituto autor fuisse eius quod in Claudio 23, 1. notat Suetonius: vt rerum actus in menses æstiuos & hibernos esset diuisus. nam Octobrem fere cessisse feriis vindemialibus, vetus Kalendarium rusticum, & paullo post Tranquillus suadent. Quin & Septembrem penè totum ludis fuisse occupatum, ex altero Kalendario & Cicerone constat. Idem.*

CAPVT

CAPVT XXXIII.

1 IPse *(a)* ius dixit assidue, & in noctem *(b)* non nunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali
2 collocata, vel etiam *(c)* domi cubans. ‖ Dixit autem ius non diligentia modo summa, sed & *(d)* lenitate: siquidem manifesti *(e)* parricidii reum, ne culleo *(f)* insueretur, quod non nisi confessi *(g)* afficiuntur hac pœna, ita fertur *(h)* interrogasse: *Certe patrem tuum non occidisti?*
3 ‖ Et cum de falso testamento ageretur, omnesque signatores *(i)* lege Cornelia tenerentur: nō tantum duas tabellas, *(k)* damnatoriam & absolutoriam, simul cognoscentibus dedit: sed tertiam quoq;, qua ignosceretur iis quos fraude ad signandum vel errore inductos, constitisset.
4 ‖ Appellationes quotannis vrbanorum quidem litigatorum prætori *(l)* delegauit vrbano at prouincialium, consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciæ negotiis præposuisset.

NOTÆ IN CAPVT XXXIII.

Num. 1. *(a)* Ipse ius dixit assidue.] *Durauit hic mos admodum laudabilis & Romæ & Constantinopoli per multa secula, vt Imperatores non solum in Curia senatorum cognitionibus interessent: verum etiam in foro Prætorum iudiciis interuenirent; ac sæpe in eodem tribunali sederent. de Augusto obseruat Suetonius; de Tiberio Tacitus Annal.* 1, 75, 1. *etsi non cum eius laude. agit enim ibi de lege maiestatis à Tiberio reducta. Sic ille:* Nec patrum cognitionibus satiatus, iudicii assidebat in cornu tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret. *Casaub. Traianus laudante Plinio panegyr.* 77, 6. tam fuit assiduus in tribunali, vt labore refici ac reparari videretur. *Plura cum rationibus exempla notauimus ad Sueton. Cæs.* 43, 1.

Ibid. *(b)* & in noctem nonnunquam] *Contra consuetudinem veterum. nam & in curia & in foro seruata lex* XII. *tabularum* SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. *Similem assiduitatem*

tatem requirit à iudicibus Imp. Iustinianus, Nouella 82, c.3. καθεδοῦνται οἱ διαιτηταὶ διηνεκῶς ἐπὶ τῆς βασιλείου στοᾶς, ἐν οἷς καὶ νῦν εἰκίσκοις δικάζουσιν ὀρθρινί τε εὐθὺς, καὶ εἰς δείλην ἑψίαν [Sedebant autem Iudices continue in Basilica seu regia porticu in quibus nunc conclauibus iudicant & mane statim, & in vesperam] *Agathias Constantinopolitanus caussidicus lib 3 princ.* ἀλλ' ἐγὼ ἥμενος ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ βιβλίδια πολλὰ δικῶν ἀνάπλεα καὶ πραγμάτων ἐξ ἑωθινοῦ μέχρι καὶ ἐς ἥλιον καταδύντα ἐκμελετῶ, καὶ ἀνελίττω [Sed ego in porticu regia sedens libellos multos forensium caussarum negotiorumque plenos, à mane ad solem occidentem vsque meditor & euoluo] *Quin diserte testatur Augustinus, Donatistis respondens, qui noctu prolatam a Marcellino aduersus se sententiam calumniabantur, solitum sæpe fieri*, vt iudices vsque ad multam partem noctis sederent. *Casaub.* *Plinius 4. epist.9, 13.* Theophanes fecit hoc quoque, vt cetera impudentissime, quod post duos & Consulares & disertos, tempus sibi & quidem laxius, vindicauit. dixit in noctem, atque etiam nocte, illatis lucernis. *Idem eiusdem epistola v.9.* Actionem meam nox, vt prœlia solet. diremit. *vbi forsan aspectum ad celebrem illam contentionem Papirij Dictatoris cum Q. Fabio Magistro equitum apud Liuium 8, 33, 1.* nox, velut in prœlio, certamini finem fecit. *Areopagitas tamen litium controuersias nocte & obscura luce, nunquam die iudicasse, Lucianus in Hermotimo tradit*, οὐς μὴ ἐπὶ τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέπειεν: *vt scilicet ab omni procul affectu, qui animos in diuersum agit, tantummodo facta cognoscerent, personas non viderent.*

Ibid. (*c.*) vel etiam domi cubans] *Reperio notatum à Dione in anno penultimo vitæ Augusti lib. 56. pag. 674. c.* οὕτω τὰ πλείω καὶ κατακείμενος ἔστιν ὅτε ἐχρημάτιζε [plerunque etiam decumbens sententiam dixit] *Casaub.*

2. (*d*) lenitate] *Scribit Callistratus Iurisconsultus l. 19. D. de offic. præsid.* obseruandum esse ius reddenti, vt in adeundo se facilem præbeat: neque præsides in cognoscendo excandescere oportere aduersus eos etiam qui mali sunt. *Cicero ad Quintum frat. lib. 1. epist. 1, 7.* Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. *Beroal.* *Tenendum autem hoc loco discrimen à Symmacho lib 10. epist. vlt. suggestum:* Alia est conditio magistratuum (*& iudicum*) quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores: alia Dominorum Principum

potestas,

potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere. *Quomodo idem eiusdem libri epistola 47. fin. de Imp. Theodosio scribit*: legum plerumque duritiam pro clementia vestra decretis moderationibus temperastis. *Nec aliter de Imp. M. Antonino philosopho Capitolinus cap. 24. pr.* Erat mos ipsi, vt omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solent puniret. *Sed & de Imp. Iuliano Marcellinus* 25, 13. Constat eum in apertos inimicos, insidiatores suos, ita consurrexisse mitissime, vt pœnarum asperitatem genuina lenitudine castigaret. *Theodoricus quoque Gothorum Rex apud Cassiodorum Variar. lib. 3. epist. 46. m.* Asperitatem pœnæ, *inquit*, nostra lenitate mollimus. *Quin etiam lib. 2. epist. 9. pr. aperte pronunciat*: Inclinari precibus nostra nouit humanitas; nec pro affectu pietatis fines potest Iustitiæ custodire. Benigni quippe Principis est, ad Clementiæ commodum transilire terminos æquitatis, quando sola misericordia est, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.

Ibid. (*e*) parricidii reum] *Similis in simili caussa clementia eiusdem Augusti, cum Tario affuit in cognitione de filio. Seneca narrat De clementia lib. 1. cap. 15. Cas.*

Ibid. (*f*) ne culleo insueretur] *Res nota. præter ceteros vide Glossarij caput, cui index Ἀδριανῦ ἀποφάσεις, vbi fuse describitur,* [*legem scilicet iussisse, vt, qui parricidium fecisset, publice culleo inditus consueretur cum vipera, & cane, & simia, & gallo, impiis animalibus impius homo: & super plaustrum iunctum nigris bubus deferretur in mare, & proijceretur in profundum. Addendi Auctor ad Herennium* 1, 13. *Festus in* Obuoluere. *Quintilian. Declamat.* 298. *Seneca de Ira* 1, 16. *Iuuenalis satyr.* 8, 213. & 13, 155. *Modestinus l. pœna 9. de parricid.*] *Isidorus vero non audiendus, qui in Glossis ait*, culleum tunicam fuisse ex sparto, in modum crumenæ factam, & solitam liniri à populo pice & bitumine. *Imperite nimis confundit culleum cum tunica. Ille quod certum est, corium fuit & δερὰς, vel βόεος, vel ὄνεος* [*vter è bouis aut asini corio*] *in quem parricidæ insuebantur. Tunica, vt ex ipsius descriptione apparet, ab eis induebatur qui erant igne cremandi. Senec. epist.* 14, 5. Cogita illam tunicam, alimentis ignium & illitam & intextam. *Iuuenalis Satyr* 8, 235. ——— tunica punire molesta. *De hac loquitur Tertullianus ad Martyres cap. 5.* iam & ad ignes quidam se auctorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. *Cas. Aduersus hac Isidorum non sine ratione tuetur Theod. Marcilius ad legem XII. tabular.*

pag.290. Negat enim Isidorum agere de tunica illa, quæ parata incendiis: sed de culleo ipso, qui parricidæ quasi tunica est, lita pice & bitumine non ad incendium, sed vt in aqua duraret: lita, *inquam*, *non* à populo *sed* (*nam ita corrigendus est Isidorus*) à publico, *hoc est, à carnifice. Carnificem enim* publicum *dixere, vt Græci δήμιον & δημικόν. Bene autem & hoc Isidorus*, in modum crumenæ. *Hinc enim culleus* ascopera *dicitur apud Nostrum in Nerone cap.45,3. a specie figuraq; peræ siue marsupij. Nam & Suidæ ἀσκοπήρα τὸ μαρσίπιον, ἤ τοι τὸ σακκοπάθνιον.*

Ibid. (*g*) non nisi confessi) *Olim hoc acerbissimo supplicij genere adfici solitos, non conuictos parricidij, sed tantum vltro confessos, innuit quoque Capitolinus, vbi scribit in Antonino Pio cap.8.* vsque adeo sub eo nullus percussus est Senator, vt etiam parricida confessus in insula deserta poneretur, quia viuere illi naturæ legibus non licebat. *Nec enim otiosum est, quod nomini* parricidæ *hoc* confessi *epithetum adscribit historicus. Ex constitutione tamen Imp. Constantini, qui pœnam illam renouauit, de parricidis sine distinctione, vtrum confessi an conuicti fuerint, supplicium sumptum apparet ex l. vnica C. Th. de parricid. Hæc suggessit præstantissimus ille* (*sic à Grutero vocatus*) *Musarum Faber lib. 2. Semestr. c.7 med.*

Ibid. (*h*) ita fertur interrogasse: Certe &c.) *Iudiciorum criminalium pars non minima erat Rei interrogatio: vnde tota accusatio appellata est* Interrogatio. *Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo esset is qui interrogabat. Exemplum illustre hic in Augusto, qui sua interrogatione tacite viam salutis reo aperuit* [*vide tamen Delrio disquisit. Magic. libr. 5. pag. 109. princ.*] *Hæc enim interrogatio*, Certe patrem tuum non occidisti? *eandem vim habet, ac si ita esset concepta*: non ne verum est, te patrem tuum non occidisse? *At legitima formula ita potius erat concipienda*: Parricidium quod objicitur tibi, fecisti? *Simile est quod narrat Liuius 8,21,2. cum de Priuernatibus tristes sententiæ à Senatoribus plerisque dicerentur, & legatus ipsorum ferociter responderet; Consul, inquit Liuius* benigna interrogatione mitius responsum elicere conatus est. *Simile item quod de Cincio Seuero narrat Tertullianus ad Scapulam cap.4.* qui (*ait ille*) Thistri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, vt dimitti possent. *Contra, qui perditum reum volebant, omnibus modis illum in fraudem suis interrogationibus inducere conabantur Casaub. Sic apud Tacitum Annal.3,67,3. in C. Silano reo peragendo*

non

non temperauit Tiberius, quin *eum* premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat. neque refellere aut eludere dabatur; ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsiuisset. *Ibidem Annal. 6, 47, 5. Arruncij inimicus Macron notatur, tanquam eius euertendi causſa, testium interrogationi, tormentisq; seruorum præfedisset. Porro Gruterus differt. 2. ad Tacit. §. 8. ex hoc Suetonij loco non id solum obseruat, pependisse quandoque Rei salutem atque perniciem ab interrogatione iudicis: sed & illud, Augustum hac interrogatione tam sibi fauisse quam parricidæ; vtpote cui constaret, vitia populi imputari regentibus: itaque nimium quantum denigratum iri felicitatē sæculi sui scelere isto omnium summo. Certe ad infamiam ætatis Claudij pertinet, quod is* plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus sæculis insutos accepimus, *vt refert Seneca de Clement. 1, 23, 1. Et plane monstrum resipit vox Caligulæ, de qua Noster in eius vita cap. 31.* Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Variana; Tiberii, ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: sui obliuionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. *Quomodo Plinius lib. 4. Epist. 11. de simili portento, Domitiano inquam scribit, eum Corneliam Vestalem virginem ideo viuam defodere concupisse, quod* illustrari sæculum suum eiusmodi exemplo arbitraretur.

3. (*i*) Omnesque signatores lege Cornelia tenerentur] *Vt referuntur huius legis verba in Pand. & Institut. nemo ea teneri poterat, nisi qui sciens dolo malo signasset. nam ea verba legi adduntur. Sed vt hic locus docet, ex interpretatione sapientum est illa adiectio: nō minus quam hac altera in eiusdem legis recitatione apud Iustinianum:* qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit. *Nam lege Cornelia de falso tantum quod in testamentis & nummis esset admissum, cautum fuerat: vnde appellatur ab antiquis Cornelia testamentaria, & nummaria. Casaub. Verba legis sic habent.* Qui testamentum amouerit, celauerit, rapuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quive testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit, legis Corneliæ pœna damnatur. *l. 2. D. de l Cornelia de falsis.*

Ibid. (*k*) duas tabellas, damnatoriam & absolut.] *Sententiam*

laturis, ternæ singulis dabantur tabellæ, vna Damnatoria, *insignita impressione elementi D. altera* Absolutoria, *præferens litteram A. tertia (hoc Autoris loco prætermissa)* Ampliatoria, *notata literis N. L. hoc est, non liquet. vnde Rei* ampliati *dicti, quorum caussa non satis cognita differebatur amplius excutienda. His nunc quartam adiecit Augustus extraordinariam, quam* Remissoriam *aut* Ignotoriam *appellare possis. Porro præstet ne voce ferri sententias, an tabellis, Cicero docet lib. 5. de legib. c. 15. & 16. pro Plancio cap. 6. fin. & pro C. Rabirio Postumo c. 5. m.*

4. (*l*) prætori delegauit vrbano] *Omnino doctis viris assentior scribentibus, PR. delegauit VR. interpretantibusque* Præfecto delegauit Vrbis. *nemo in historia versatus negabit. Melius autem membrana* delegabat *quam* delegabit. *Casaub. Correctio illa de præfecto vrbis, est à manu, etsi timida, Lipsii in excursu C. ad Taciti Annal. 14. vbi hoc amplius addit, appellationes illas à minoribus magistratibus iudicibusve, in caussis duntaxat ciuilibus esse factas. Nam quin Augustus ipse, firmandæ dominationi, & iure potestatis tribuniciæ, grauiorum rerum appellationes sibi seruarit, vix sinit ambigere Dio lib. 52. pag. 557. f. vbi Mæcenas ad Augustum:* δίκαζε δὲ αὐτὸς ἰδίᾳ τά τε ἐφέσιμα καὶ τὰ ἀναπόμπιμα, ὅσα ἂν παρά τε τῶν μειζόνων ἀρχόντων, καὶ παρὰ τῶν ἐπιτρόπων, τοῦ τε πολιάρχου καὶ τοῦ ὑποτιμητοῦ καὶ τῶν ἐπάρχων, τοῦ τε τῶν σίτων ἐπισκοποῦντος καὶ τοῦ νυκτοφυλακοῦντος ἀφικνῆται: Ipse autē seorsim de caussis, in quibus prouocatione certatur, iudiciū facies, quæ à maioribus magistratibus, tutoribus, præfecto vrbis, subcensore, præsidibus prouinciarum, annonæ procuratore, & præfecto vigilum ad te referuntur.

CAPVT XXXIV.

Leges (*a*) retractauit, & quasdam ex integro sanxit: 1
vt (*b*) sumtuariam, (*c*) de adulteriis & de pudicitia, de
(*d*) ambitu, de maritandis ordinibus. ‖ Hanc (*e*) cum 2
aliquanto quam ceteras seuerius emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit: nisi adempta demum lenitave parte pœnarum: & vacatione (*f*) triennii data, auctisque (*g*) præmiis. ‖ Sic quoque aboli- 3
tionem eius, publico spectaculo pertinaciter postulante
(*h*) equite, accitos Germanici (*i*) liberos, receptosque
partim

partim ad se, partim in patris gremium ostentauit: manu vultuq; significans, ne grauarētur imitari iuuenis exem-
4 plum. ‖ Cumq; etiam immaturitate *(k)* sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus *(l)* sponsas habendi coarctauit: diuortiis *(m)* modum imposuit.

NOTÆ IN CAPVT XXXIV.

Num. 1. *(a)* retractauit] *Inter retractatas, h.e. emendatas, reductas, reuocatas ab Augusto leges Ios. Scaliger legem Corneliam de sicariis quoque ponebat, quam intelligi volebat hoc Ouidij versu Fast. 2,140. vbi est antithesis Romuli cum Augusto:*

Tu recipis luco: reppulit ille nefas. *D. Heins.*

Ibid. *(b)* sumtuariam] *Est & hæc inter retractatas, vt apparet ex Agellio 2,24. Nam & Cæsar eam exercuit præcipue, vt scribit Noster in eius vita 43,4. vbi de ea nonnulla notauimus huc quoq; facientia.*

Ibid. *(c)* & de adulteriis & de pudicitia] *Deleo prius &, vt in vetusto codice, quo apertius lector intelligat vnam eandemque esse legem quæ de adulteriis & de pudicitia inscribitur. additum enim* & de pudicitia, *quod lege Iulia puniebantur etiam ij qui cum masculis nefariam exercebant libidinem Testis Iustinian. Instit. lib. 4. tit. De publicis iudiciis. Quanquam delictum hoc & alia peculiari lege, Scantinia, coërcebatur, sed leniore pœna, quam lex Iulia capitalem statuit.* Pudicitiæ certe quæstionem *vocat Valerius lib. 6. cap. 1, 7. qua de pueri stupro habebatur: & peculiariter* impudicitia *crimen ipsum dicitur, vt* impudici *qui eo vitio laborant. Infra cap. 71, 1.* Infamiam impudicitiæ facillime refutauit: circa libidines hæsit *Et in Vespas. 13, 2.* Licinium Mucianum, notæ impudicitiæ &c. *Catullus Epigram. in Cæsarem:* Es impudicus, & vorax, & aleo. *Et notum est illud Catonis dictum in effœminatum quendam:* Et aduersus, & auersus impudicus es. *Notum & illud Haterij oratoris apud Senecam lib. 4. Controuers.* Impudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in liberto officium. *Augusti autem hanc legem fuisse, quamquam* Iulia *inscribitur, & Vlpianus attestatur, & Sex. Aurelius probat, Augustum reprehendens, quod cum esset luxuriæ seruiens, eius tamen vitij acerrimus vltor erat. Adde, si lubet,*

bet, Horatiũ Carm 4. Od. 5. 21. vbi in Augusti laudem sic canit: Nullis polluitur casta domus stupris, *& quæ ad eundem poetam annotauimus eiusdem libri Od. 15, 22.* Edicta rumpent Iulia. *Sic enim Augusti leges vocat. Torrent. Non solum enim Iulij Cæsaris Dictatoris, sed & Augusti, quippe in gentem Iuliam adoptati, leges appellatæ sunt* Iuliæ. *Nec nesciendum, Iuliam hanc de maritandis ordinibus, cum Papia Poppæa, si materiam spectes, eandem esse, sed tempore diuersam. Id quod confirmat etiam Tacitus Annal. 3, 25, 1.* Relatum (*inquit*) deinde de moderanda Papia Popæa, quam senior Augustus post Iulias rogationes, incitandis cœlibum pœnis & augendo ærario sanxerat. *Dicta Papia-Poppæa, à M. Papio, & Q. Poppæo, quibus Consulibus ea lata.*

Ibid (*d*) de ambitu] *Diximus ad Suet. Cæs. 9. 1. & 19, 1.*

2. (*e*) Hanc cum aliquanto quam cet. seuerius emend.] *Augustus igitur legem de maritandis ordinibus emendauit: non autem primus tulit, quod video doctos viros* [*Lips. Excursu C. ad Tacit. Annal. 3.*] *affirmare. Reperio sane apud Dionysium Halicarnasseum mentionem legis, quæ ciues Romanos cœlibes esse prohiberet. Locus est lib 9, 27. pr. vbi futile illud* παράκουσμα *de extincta gente Fabia ad Cremeram refellens,* ὁ ἀρχαῖος, *inquit,* αὐτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ, καὶ τὰ γεννώμενα ἅπαντα ἐπάναγκες τρέφειν (*h. e.* prisca lege vxores ducere cogebantur qui per ætatem poterant, cunctosque fœtus educare.) *Casaub. Facit huc & ille Flori locus epitome Liuij 59. m.* Q. Metellus Censor censuit, vt omnes cogerentur ducere vxores liberorum creandorum caussa. Extat oratio eius, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam in senatu recitauit. *Huius orationis Metelli Numidici meminit & Agellius 1, 6, 1. & ipse Noster infra 89, 5. Quæ vero Augustus cum ad coniuges tum in cœlibes perorauerit, referuntur à Dione, initio libri 56.*

Ibid. (*f*) Vacatione triennii data] *Hoc prius: postea biennij tantum. Testis ipse apud Dionem initio libri 56.* [*verbis hisce:* καὶ οὐδὲ ἐς ταῦτα μέντοι κατήποιξα ὑμᾶς, ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον τρία ἔτη ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα, τὸ δὲ δεύτερον, δύο. *h. e.* Nec ad ista festinanter impuli vos, sed primum tres integros annos ad apparatum rei concessi, deinde binos.] *Vtrum vero de viris an de fœminis hoc intelligi debet? an de vtrisque? Nam ex Suetonio quidem & Dione nihil colligas. Ex Vlpiano vero suspicari aliquis possit fœminis tantum hanc vacationẽ datam. Sic enim scribit titulo 14.* Fœminis lex Iulia à morte viri, anni tribuit vacationẽ

à diuor-

à diuortio, sex mensium. Lex autem Papia à morte viri, triennii (*ita lego cum Cuiacio, non* biennii) à repudio, anni & sex mensium. *Casaub. Vacationem ergo hic oportet intelligas non ex mente Beroaldi talem, qualem neogamis concessit legis Mosaicæ benignitas Deuteron.* 24, 5. *sed interuallum illud temporis à morte coniugis vel diuortio, ad coniugium nouum. Neque enim probata legi Iuliæ monogamia: sed ad matrimonia compulsi iterum, vidui, aut disparati.*

Ibid. (*g*) auctisque præmiis] *de quibus Agellius* 2, 15. *& vt solet accurate Lipsius excursu C. ad Tacit. Annal.* 3. *Pertinet huc illud Plinij panegyr. cap.* 26, 5. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ, cohortantur: pauperibus educandis vna ratio est bonus Princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fouet, auget, amplectitur; occasum Reipub accelerat: frustraque proceres Princeps, plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutatumque instabili pondere, tuetur. *Et cap.* 51, 5. auxeras populi numerum congiarii facilitate, maioremque in posterum suscipi liberalitatis tuæ fide iusseras.

3. (*h*) equite] *h.e. Ordine equestri. sic solet noster, vt Ner.* 11, 2. *&* 37, 4. *Galb.* 12, 2. *Vespas.* 9, 2.

Ibid. (*i*) Germanici liberos] *Germanicus Drusi filius, ex Agrippina Augusti nepte nouem liberos tulerat, pronepotes Augusti. Sed ille vidit & abnepotem M. Silanum, genitum quo ipse excessit anno, quod ad reliquam raritatem exemplorum refert Plinius* 7, 13, 2. *Meminit eius & Tacitus* 13, 2, 2.

4. (*k*) cumque etiam immaturitate sponsar.] *Dio lib.* 54. *pag.* 609. *c. in actis anni* DCCXXXVI. Ὡς δέ τινες ἐγγυώμενοι τὰς μὲν πρὸς τῶν γαμηκότων ἐκαρπῶντο, τὸ ἔργον δ' αὐτῶν ἐκ παρείχοντο, θεσπίσαντες μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μετ' ἐν ἐτεσὶ δυοῖν τοῖν δεηθόντων γαμήσειν τινες, τῷ δεῖσθαι πάντως ἐγγυᾶσθαι τόγε τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντες, δώδεκα γὰρ τὰς κόρας ἐς τὸν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πληροῦσθαι νομίζεται. *Hæc Dionis verba si contulissent Xylander & Leunclauius cum isto Suetonij loco, non tam procul abissent ab auctoris sui mente. Saltem Zonaram consuluissent, qui Dionis locum sic refert, vt eius sententiam explicet, ac finem legis manifesto aperiat. Mirum vero, Augustum, qui hanc licentiam ita coercuit, imputare tamen suis ciuibus indulgentiam suam apud Dionem, non secus ac si plane ab eo libera huiusce rei facultas ipsis esset ab eo relicta. Sic enim ait (lib.* 56. *pag.* 660. *D.)* καί τοι καὶ μνηστεύειν ὑμῖν ἀπαλλὰς ἔτη κόρας, καὶ μηδέπω γάμων

ὡραίας ἐπέτρεψα, ἵνα τὸ ὄνομα τῶν μελλονύμφων ἔχοντες οἰκοφελῶς βιώνται. [*h. e.* At ego teneras adhuc puellas, & viris immaturas vt ambiretis vobis permisi, vt quum sponsorum propediem nuptias celebraturorum nomen ferretis, eo magis rem familiarem curaretis) *Casaub. Superiorem Dionis locum ab interpretibus corruptum, emendate conuertit Lipsius excursu. C. ad Annal. 3.* At cum quidam pueras desponderent, & præmia nihilominus ferrent maritorum, rem opusque mariti non præstarent; statuit nullam sponsionem firmam esse, postquã exacto biennio nuptiæ non sequerentur: hoc est, vt omnino decennem despondere opus esset, si quis sponsionis eius vellet fructum. Puellis enim duodecimus annus plenus, ad nuptias definita ætas censetur. *Locum autem Zonaræ tom. 2. pag. 165, 12. Wolfius ita transtulit:* Iam quia nonnulli infantibus sibi desponsis, cum fraudem legi facerent, præmiis coniugum fruebantur; sanxit, ne qua sponsalia rata essent, nisi post biennium nuptiæ celebrarentur: hoc est, vt puellæ non minores 10. annis desponderentur, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur. *Ceterum hæc ipsa sequentibus mutata temporibus apparet ex l. 14. D. de sponsalib.* In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est vt in matrimoniis, quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab vtraq; persona intelligatur: id est, si non sint minores quam septem annis.

Ibid (*l*) tempus sponsas habendi coarctauit) *Biennij spatio tempus illud Augustum definisse, modo narrabat Dio. qua de re vide quæ obseruat Iacobus Cuiacius Obseruationum lib. 16. c. 35. Cas.*

Ibid. (*m*) diuortiis modum imposuit) *At parum profecit, dum eualescens morũ improbitas leges redegit in potestatem suam. Videsis quæ de æuo suo Seneca scribat in De beneficiis 3, 16.* Numquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed maritorum, annos suos computant? & exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii? *Quomodo Iuuenalis Satyr. 6. vers. 228.*

Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos. ———

Imo Martialis lib. 6. epigram. 7. sed more poëtico rem in maius, vt videtur, extollens, Telesinam indies prope maritos mutantem facit:

Aut minus, aut certe vix iam vigesima lux est,
Et nubit decimo iam Telesina viro.

CAPVT XXXV.

1 Senatorum *(a)* affluentem numerum deformi & incondita turba (erant *(b)* enim super mille, & quidam indignissimi, & post *(c)* necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos *Orcinos* *(d)* vulgus vocabat) ad modum *(e)* pristinum & splendorem redegit, duabus *(f)* lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir *(g)* vi-
2 rum segit: secundâ, suo & Agrippæ. ‖ Quo *(h)* tempore existimatur lorica sub veste munitus, ferroque cinctus præsedisse, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam *(i)* suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam sena-
3 torum, nisi solum, & prætentato *(k)* sinu. ‖ Quosdam *(l)* ad excusandi se verecundiam compulit: seruauitque etiam *(m)* excusantibus insigne *(n)* vestis, & spectandi in
4 *(o)* orchestra epulandique *(p)* publice ius. ‖ Quo *(q)* autem lecti probatique & religiosius & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit vt *(r)* prius quam consideret quisque, thure ac mero supplicaret apud aram *(s)* eius dei in cuius templo coiretur: & ne plus quam bis in mense legitimus *(t)* senatus ageretur,
5 Kalendis & *(v)* Idibus: ‖ neve *(x)* Septembri Octobrive mense vllos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum *(y)* numerum decreta confici possent: sibique instituit consilia *(z)* sortiri semestria, cum quibus *(A)* de negotiis ad frequentem senatum referendis ante
6 tractatet. ‖ Sententias de maiore negotio, non *(B)* more, atq; ordine, sed prout libuisset, perrogabat: vt perinde quisque animum intenderet, ac si *(C)* censendum magis quam assentiendum esset.

NOTÆ IN CAPVT XXXV.

Num. 1. (*a*) Senatorum affluentem numerum) *Adi lib.52. extremum & 54. Dionis. Erant Romæ Senatorũ omnium nomina in album relata, vnde citati ordine suo quisque procedebant publicarum solemnitatum diebus. Corippus lib.4,142.*

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina, conscripti Patres: qua voce citati
Accedunt hilares. ——— *Casaub.*

Albi senatorij meminit & Tacitus Annal.4,42.5.

Ibid. (*b*) Erant enim super mille) *Cum à Tarquinij Prisci temporibus ad Syllam vsque trecenti tantum Senatores fuissent: post illa cœpit augeri numerus, qui iam temporibus Iulij ad octingentos creuerat, vt auctor est Dio. Eo mortuo ducenti accessere, per factiones bellorum ciuilium admissis omnibus qua dignis, qua indignis. Dio lib. 52. pag. 565. D.* πολλοὶ μὲν γὰρ ἱππεῖς, πολλοὶ δὲ καὶ πεζοὶ, παρὰ τὴν ἀξίαν ἐκ τῶν ἐμφυλίων πολέμων ἐβούλευον, ὥστε καὶ ἐς χιλίους τὸ πλήρωμα τῆς γερουσίας αὐξηθῆναι. (*h.e.* Nam in eum ordinem multi equites ac pedites præter dignitatem bellis ciuilibus adsciti erant, ita vt ad millenarium numerum multitudo Senatorum excresceret) *Casaub. De numero Senatorum Rom. quantum quidem ex antiquis autoribus sciri potest, pluribus agit Carolus Sigonius lib. 2. de antiq. iure ciuium Rom. cap.2.*

Ibid. (*c*) post necem Cæsaris) *Antonius fuit, qui Cæsaris tabulas nactus, hanc turpem nundinationem instituit & exercuit. Historia nota ex Cicerone, Appiano, Dione, Plutarcho in eius vita. Cas.*

Ibid. (*d*) quos *orcinos* vulgus vocabat] *Ita scriptum est in quibusdam Mss. & ita omnino scribendum, vel per* u, *vt in Memmiano,* orciuos. *sicut etiam in Ciceronis Oratore cap.*48. orciuus *scribitur, non* orcinus; *licet ab orcus ita formandum videatur* orcinus, *vt* Paulinus *à* Paulus, *& similia. Plutarchus in Antonio cap.*20. χαρωνίτης *expressit, vt* orcinum libertum *apud Iustinianum lib. 2. Theophilus* χαρωνιανὸν *dixit, vsus in voce Græca formatione Latina. In vulgatis libris & plerisque Mss.* [*etiam Palatinis tribus. Grut.*] *scribitur* abortiuos. *quomodo Paulus Apostolus vocat se* ἔκτρωμα [*h.e.* abortiuum. 1.*Corinth.*15,8.] *& Simeo ille* ἐπικιόνιος *vel Stelites, in epistola ad Basilium,* ἐγὼ, *ait,* ὁ ταπεινὸς καὶ εὐτελὴς, τὸ ἔκτρωμα τῶν μοναχῶν [*h. e.* humilis ego ac vilis, monachorum abortiuus] *Sed non dubium, illam priorem lectionem esse veram, hanc falsam.*

ortus

ortus error à veteri scriptura horcinus *pro* orcinus. *Nam veteres* horcus *scribebant pro* orcus, *teste Mario Victorino. sic ijdem* ortus *&* hortus. *de quo antiqui Grammatici. Videtur sane* horcus *esse Græcorum* ἕρκος. e *&* o *litteræ permutabiles, vt loquuntur Hebræi magistri. Similiter mutatur* υ *in* o. *vt cum* orcas *dixerunt quas Græci* ὕρχας *vulgo, Iones* ὕρκας. *Non clam me est scripsisse Virum in omni genere litterarum maximum* [*Ios. Scalig. ad Varr. de L.L. pag.194. & seq.*] *orcum esse à Græco* ὅρκος, *prolato Menandri hoc loco,*

Οὐ πώποτ' ἐζήλωσα πολιτελῆ νεκρὰ
Εἰς τὸν ἴσον ὅρκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ.

nec refragor: etsi suspicor istum versiculum bis corruptum esse, & ita scribendum.

Εἰς τὸν ἴσον ὀρχὸν τῷ σφοδρ' ἔρχετ' εὐτελής.

Ὀρχὸς, *vt sciunt Græce docti, est fouea in qua conduntur mortui, quasi* ὀρυχὸς, *ab* ὀρύσσω. *inde potius est orcus. Nam &* orchas *cum aspiratione in medio Probus & plerique alij omnes è veteribus criticis scribunt. Cicero quoque vocem* orciuus *inter eas ponit, quæ aspirationem ratione originis suæ desiderent; licet vulgo aliter pronunciaretur. atque ita* orcam *&* orcham τὴν ὕρχην *vertentes dixerunt. Casaub. Ratio porro scommatis huius, & cur irrepticij senatores illi* orciui *dicerentur, ex Plutarcho cognoscitur in Antonij vita cap.20. vbi memorat, Antonium, commentaria interfecti Cæsaris, in quibus acta decretaque eius erant perscripta, nactum, iis adscripsisse quæ voluerat, & quasi ex eorum auctoritate quosdam ab exilio reduxisse, alios soluisse vinculis, multos etiam in senatum allegisse: quos omnes populus Rom. per ludibrium* Charonitas *appellabat.* ἐλεγχόμενοι γὰρ οἷς τοῦ νεκροῦ κατέφευγον ὑπομνηματισμοὺς: *quandoquidem vbi quæstio status iis mouebatur, ad mortui (Cæsaris) commentarios confugiebant, & eorum auctoritate se tuebantur. Nimirum allusio facta est ad libertos dictos* orcinos. *vt enim hi directam ex testamento libertatem acceperunt, & proinde patronum nullum viuum. sed iam* orco *receptum habuerunt: (secus ac illi, quibus per fideicommissum data libertas) ita Senatores illi neminem viuum suæ dignitatis autorem ciere poterant, sed Cæsarem tantum iam orco demissum, seu vt Apuleius loquitur,* qui iam in peculio Proserpinæ, & in Orci familia numerabatur. *Plutarchus quomodocunque Latinum nomen exprimens,* Charonitas *dixit, ob eandem rationem. Charonem enim Orci portitorem faciunt. Ceterum* Orcinus, *non autem, vt aliis placet,* orciuus *scribendum, ex eo quoque patet, quod*

Martialis lib.10.epigr.5.illud sandapilæ genus, quo liberti orcini efferebantur, orcinianam spondam *vocat, non* orciuianam.

Ibid. (*e*) ad modum pristinum] *Non qui olim fuerat ante Sullam: sed qui, vt videtur, ante bellum ciuile inter Cæsarem & Pompeium. Dio planius & melius:* ἐβουλεύσατο μὲν τριακοσίους αὐτοὺς κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιῆσαι. δυσχερανόντων δὲ πάντων ὁμοίως, τοὺς ἑξακοσίους κατελέξατο. [Statuerat quidem trecentos tantum, secundum antiquam consuetudinem, constituere; sed omnibus hoc pariter ægre ferentibus, sexcentos senatores delegit. *lib.54. pag.606. D.*] *Cas.*

Ibid. (*f*) duabus lectionibus] *In Ancyrano lapide ait Augustus ter à se lectum Senatum. Dio Nicæus plurimas illius* ἐξετάσεις *cõmemorat. Suetonius absque numeri adiectione lectum ab eo senatum refert. Nam qui sic verba illius interpretantur, vt duas has lectiones diuersis temporibus factas autument, ij, nisi animi fallor, cum ea scriberent,* τὸν κάλαμον εἰς τὸν νοῦν οὐκ ἔβαψαν [*calamum in mentem non intinxerunt.*] *Non enim indicare Suetonius voluit, quoties Senatum Augustus recensuerit, sed quomodo rationem, inquam, legendi ordinis amplissimi expressit. Cas.*

Ibid. (*g*) quo vir virum legit] *Senator scilicet alium, quem eo ordine dignum censeret. ita enim turpes præteribantur, quos nemo existimationis & alienæ conscientiæ metu legere fuisset ausus. Secutus hic Augustus Romanæ militiæ consuetudinem. quomodo Galba quoque apud Tacitum Histor.* 1,18,2. in frequenti militum concione, adoptari à se Pisonem more militari, & exemplo D. Augusti, quo vir virum legeret, pronunciat. *Turnebus lib.25. Aduersarior. cap.* 7. Veteres, *inquit*, cum omni animorum & corporum contentione pugnæ disscrimen capessere instituebant, in ordinanda acie hoc consilium interdum sequebantur, vt vir virum legeret: vt, in cuius virtute plurimum fiduciæ esse quisque statueret, eum in acie proximum haberet, cuius latus tegeret, & à quo suum vicissim tegeretur. *Exempla sunt in Liuio 9,39,6. & 10,38,12. Videndus quoque Pet. Victorius variar. lect.18,19. & Barn. Brissonius lib.4. de Formul. pag* 388.

2. (*h*) Quo tempore existimatur lorica sub veste munitus] *Aliter Dio. nõ enim hoc solum tempore, sed sæpe alias lorica munitum fuisse illum, ob insidiantium vitæ suæ metum. Loricatum igitur sæpe prodire solitum in publicum, & in Senatum item loricatum ventitasse.* ὁ Αὔγουστος, *ait,* θώρακα ὑπὸ τῇ στολῇ πολλάκις καὶ ἐς αὐτὸ τὸ συνέδριον εἰσιὼν εἶχεν. *Cas. Locus extat lib.54. pag. 605. D. vbi Xylander interpres* thoracis *vocem*

retinen

retinet: at vel ex hoc loco Suetonij loricam *aptius reddidisset. quomodo Politianus illud Herodiani lib.3.de Britannis,* θώρακος ἢ κράνους οὐκ ἴσασι χρῆσιν, *apposite vertit:* loricæ ac galeæ ignorant vsum. *Hesychius etiam voce a Latino sermone detorta,* τὸν θώρακα *exposuit* λωρίκιον.

Ibid. (*i*) sellam suam circumstantibus] *Torrentius ait, in optimo Cod. Ms. deesse* suam. *certe necessarium non est. Cremutij Cordi meminit autor & in Calig.16,2.& eundem intelligit in Tiberio 61,5. sub nomine historici, cui exitio fuit,* Brutum Cassiumque vltimos Romanorum *dixisse, de quo Tacitus Annal.4,34,1. & Seneca passim in consolat. ad Marciam. Alius est à Cordo historico, quem sequi se ait Iul. Capitolinus in vita Gordianorum, eumque in historia scribenda vel minutissima quaq; sectari solitum ait.*

Ibid. (*k*) prætentato sinu] *excussa veste, & explorata, ne sub ea ferrum occultaretur. Fecit id exemplo ac more regio de quo Plutarchus in Timoleonte cap.21. & in Dione cap.23. Vsurpauit postea & Claudius, vt scribit autor in eius vita cap.35,1. sed omisit Vespasianus. idem c.12,3. Lepidum est quod scribit Iustinus 38,1. Mithridatem olim ferrum inter fascias occultatum gestasse, qui scrutatori ab Ariarathe regio more misso curiosius imum ventrem pertractanti dixit,* caueret ne aliud telum inueniret quam quod quæreret: *atque ita, risu protectis insidiis, se vocatum Ariarathem velut in secretum sermonem, interfecisse.*

3. (*l*) Quosdam ad excus.] *Dio sub finem libri 52. Cas.*

Ibid. (*m*) etiam excusantibus] *Vetus membrana* etiam excusatis. *Casaub.*

Ibid. (*n*) insigne vestis] *Vestitu Senatores à plebe & equitibus fuisse distinctos, documento est & illud, quod Dio lib.38.pag.75. B. Ciceronem, cum de eius exilio legem ferret Clodius, senatoria veste abiecta, equitis habitum assumpsisse scribit. Hoc autem insigne erat tunica lati claui, vt equitum, angusti. Hinc à Cassiodoro 6. epist.14. aliisq;, senatoria dignitas dicta* laticlauia. *Disserit eo de genere vestis accurate Salmasius, Notis in Fl. Vopiscum, pag.510.*

Ibid. (*o*) Spectandi in orchestra] *Hoc est* in senatu, *vt alibi* [*Claud.25,8.*] *Dio hæc omnia lib.54.pag.607. B. totidem verbis. Cas. Orchestra locus primus in theatro, Senatoribus ad spectandum designatus. De ea plene Lipsius in amphitheatro cap.14. A condita Vrbe vsq; ad Africanum & Tiberium Longum Coss. promiscuum Senatui & populo spectandorum ludorum locum fuisse tradit Val. Max.4,5,1.*

Ibid.

Ibid. (p) epulandique publice ius] *Petr. Faber Semestr. lib. 1. cap. 6. hoc refert ad cœnam, quæ* Dialis *vocatur à Seneca epist. 123, 4. Solemni enim die Ioui epulum libari, atque ob id sacrificium in Capitolio Senatum epulari solitum Agellius docet lib. 12. cap. 8. Exempla sunt in Val. Max. 2, 1, & 4, 2, Liuio 38, &c.*

4. (q) Quo autem religiosius & minore molestia senatoria munera fungerentur] *Illud* minore molestia *caue referas ad proxime sequentia de suffitus institutione. quid enim hoc ad leuandam senatoriorum munerũ molestiam? sed more suo Suetonius simul proponit res diuersas, quas deinceps sigillatim explicat. nam sequitur statim,* & ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur. *Non annotassem ista, nisi vidissem, Dionis interpretes [Xylandrum & Leonclaium] familiarem Tranquillo consuetudinem non obseruantes, aliuorsum hæc traxisse, & ea propter pessimam pessime affecto Dionis loco medicinam fecisse. Verba Dionis sunt lib. 54. pag. 621. B. in actis anni DCCXLII.* Αὔγουστος ἐθεμελητής τε καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων εἰς ἕτερα πέντε ἔτη αἱρεθεὶς θυμιᾶν τε τοὺς βουλευτὰς, ἐν τῷ συνεδρίῳ ὁσάκις ἂν ἕδρα αὐτὸ, καὶ τὴν ἄφιξιν πρὸς ἑαυτὸν ποιεῖσθαι, τὸ μὲν, ἵνα θεοσεβῶσι, τὸ δὲ, ἵνα ἀπονητὶ συνίωσιν, ἐκέλευσεν. *Locus corruptissimus. quid enim est illud* ἕδρα αὐτό? *deinde vbi est alterum membrum quod necessario postulat adiectum* τε *voci* θυμιᾶν? *planissime instituit duo Augusti instituta referre, quorũ alterum est* τοῦ θυμιᾶν, *alterum in hac lectione non comparet. Neque hunc locum sanat illa nupera quorundam emendatio,* ἔδει αὐτὸ ποιεῖσθαι, ἢ καὶ τήν: *neque eorundem versio recta, quæ hæc est:* iussit vt Senatores quoties in curiam conuenire, aut se accedere deberent, suffitum adolerent, partim vt se religiose gererent, partim vt eo minore cum molestia conuenirent. *Existimarunt illi in hoc Suetonij loco verba illa* minore molestia *ad institutum adolendi referri: & illam Tranquilli, vel suam potius sententiam à Dione esse expressam adnotarunt. Sed neque ea est Suetonij mens, quam illi putarunt, vt ante monuimus: neq; ad Suetonij verba oculos intendit Dio quum hæc scripsit. Similia quidem narrant, sed non eadem omnia. Voluit vterque, vt ex eorum verbis plenum est, indicare quomodo Augustus Senatorum religioni & commodo consuluerit. de religione eadem ambo referunt: non item in altero faciunt. nec mirum, cum variis rationibus Senatorum commodis sit ab Augusto consultum. Scribo igitur in Dione:* θυμιᾶν τε τοὺς βουλευτὰς ἐν τῷ συνεδρίῳ ὁσάκις ἂν ἕδρα αὐτῶν ᾖ, καὶ τὴν ἄφιξιν πρὸς ἑαυτὸν οὐ ποιεῖσθαι. *hoc est,* iussit senatores quoties senatus ageretur, adolere in curia,

in curia, neque ad se venire: illud, vt religiosius se gererent; hoc, vt sine molestia convenirent. *Ex ἕδρα αὐτὸ ἢ fecimus, ἕδρα αὐτῶν ᾖ. certissima coniectura. Sic diem senatus solent exprimere Graeci. Idem Dio lib. 55. pag. 629. B.* τὰς τῆς γερουσίας ἕδρας ἐν ῥητᾶις ἡμέραις γίγνεσθαι ἐκέλευσε. [*hoc est*, edixit vt certis diebus senatus ageretur.] *Lib. 56. pag. 673. A. in simillimo isti loco:* τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον, ἄλλως τε καὶ ὁσάκις ἕδρα αὐτῶν ἐγίγνετο, ἐν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν αὐτῷ γε ἔστιν ὅτε τῷ συνεδρίῳ, καὶ ἐσιόντα αὐτὸν καὶ ἀπιόντα αὖθις ἠσπάζοντο, ἤδη δὲ καὶ ἐν τῷ παλατίῳ καθήμενόν γε, ἔστι δ' ὅτε καὶ κατακείμενον, οὐχ ὅτι ἡ γερουσία, ἀλλὰ καὶ οἱ ἱππεῖς, τοῦ τε δήμου πολλοί. [*h.e.* frequenter eum salutare, præsertim quoties senatus ageretur, in foro, in ipsa nonnunquam curia, intrantem abeuntemque: ac iam in ipso etiam palatio, sedentem, interdum & cubantem, moris erat nõ senatoribus modo, sed equitibus quoque, & plebeiis nonnullis] *& alibi multis locis. Iam habes orationis* τὸ κατάλληλον, *hoc est, alterum membrum, quod in vulgata lectione & aliorum emendationibus non comparere ante diximus. Sed veram lectionem non habebimus, nisi negationem ante verbum* ποιεῖσθαι *adiecerimus: ita erunt omnia plana. sensus enim est, Augustum, vt laborem senatorum leuaret, instituisse ne die senatus Aue matutini ferendi caussa, venire ipsius domum necesse haberent. Probamus ex modo allato Dionis loco, & ex Suetonio qui hanc ipsam sententiam aliis verbis retulit infra 53,* 4. die senatus, ait, nunquam patres nisi in Curia salutauit. *Tiberius in oratione funebri Augusti:* ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις καὶ τὴν γερουσίαν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἠσπάζετο [*h.e.* reliquis diebus in ipsa Curia senatum salutauit. *Dio lib. 56. pag. 684 D.*] *Cas.*

Ibid. (*r*) vt priusquam consideret quisque thure ac mero supplicaret] *More eorum temporum, quoties serij quid aggrederentur. Ouidius* [*lib. 3. de Ponto eleg. 1. v. 171.*] *præcipiens vxori suæ quomodo Liuiam adiret:*

Sed prius imposito sanctis altaribus igni
Thura fer ad magnos vinaque pura deos.

Notemus vero duplicem circa introitum Curiæ Romanorum morem. nam & magistratus soliti rem diuinam facere, atque exta consulere priusquam ingrederentur. Appianus de bellis ciuilib. lib. 2. pag. 501. B. Ἔθος ἐστὶ τοῖς ἄρχουσιν, ἐς τὴν βουλὴν εἰσιοῦσιν, οἰωνίζεσθαι προσιοῦσι [*h.e.* Mos magistratibus est Curiam intraturis, aruspicum opera prius vti] *eum morem seruat Cæsar quando in Curiam nouissime ingreditur. Suetonius in Cæs.*

81,9. Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit Curiam ſpreta religione. *& in ea hiſtoria alij plures. Diuerſus ab hoc rumor eſt, cuius auctor ipſo loco dicitur Auguſtus; vt ſenatores, priuſquam conſiderent, thure & mero ſupplicarent. Simile iam olim factitatum ab exterarum gentium legatis Curiam introeuntibus reperio.* Apud Polybium lib. 15 cap. 1. *legati Romanorum Carthaginenſibus tumore vano ſe efferentibus, & rebellare parantibus, inprimis obiiciunt, quod legati ipſorum paullo ante παρελθόντες εἰς τὸ συνέδριον, οὐ μόνον τοῖς θεοῖς ἐπείσαντο, καὶ τὴν ἐν τῷ συγκλήτῳ καθεδραν ἔχειν ἔθος τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ πόντες ἐπὶ τὴν γῆν ἀσπάσασθαι τοὺς πόδας καταβαλόντες τῷ συνεδρίῳ.* Ait, *plane morem eſſe omnium hominum (de exteris audio & eorum legatis) in ingreſſu Curiae dis libare, & limen adorare: legatos autem Carthaginenſium, huic conſuetudini, ipſius conſeſſus adorationem adieciſſe, fœdam & dimiſſi fracti q; animi indicem. Idem alibi* [*in excerptis legationib. c. 97. eademq; Liuius in fine lib. 45.*] *de Pruſia rege Bithyniæ, qui Romam venerat,* τότε κατὰ τὴν εἴσοδον τὴν εἰς τὴν σύγκλητον, καὶ τῷ θυρωρῷ αὐτοῦ τῷ σωτῆρι, καὶ καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσκυνῶν τὸν οἶκον καὶ τοὺς καθημένους, ὑπερεξάμενος ΧΑΙΡΕΤΕ ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ [Tum vero ingreſſus Curiam, ad ianuam ſtans Curiæ, ex aduerſo Patrum, demiſſis manibus limen ſalutauit, Senatorumque conſeſſum, & ſimul, SALVETE, inquit, DII SERVATORES MEI] *Quod ad ſenatores, antiquiſſimæ Romæ ea fuit cõſuetudo, vt de maiore negotio, & in quo ipſorũ animi eſſent ſuſpecti, ſenatus iuratus ſententia diceret. Exempla ex Liuio & aliis poſſem proferre, niſi factum id iam eſſet a Lipſio ad lib. 4. Annal. Taciti, Nota 61. Plinij locum non omitto, nec meam de eo coniecturam, lib. 5 epiſt. 14, 6.* Flauius interdicendum ei aduocationibus in quinquennũ cenſuit. & quamuis neminem auctoritate traxiſſet, conſtanter in ſententia manſit: quin etiam ad Dextrum, qui primum diuerſum cenſuerat, perlata lege de ſenatu habendo iurare coëgit, è Republ. eſſe quod cenſuiſſet. *Sic legitur vulgo hic locus: cum ſcribendum ſit, niſi animi faller, prolata lege. Nam hoc vult Plinius, Aprum in illa acri cum Dextro concertatione, repente adegiſſe illum ad iusiurandum, Eſſe è Republ. quod cenſuiſſet: idque beneficio legis de ſenatu habendo, quæ ideo ab ipſo eſt prolata. Eius legis auctorem facit Lipſius Traianum, argumento iſtius loci. Ego imperatorem puto, atque adeo Auguſti ipſius fortaſſe. nam de Traiano cur dubitet ex hoc Plinij loco quæat, nullus video. Cæſ.*

Ibid. (s) apud aram eius dei, in cuius templo coiretur] *Quid ſi autem*

autē in Curia, non in templo coiretur? Sed puto & in singulis curiis fuisse aram alicuius numinis, vt in Iulia Victoria, de qua multa Dio lib. 51. pag. 526. B. & noster hoc ipso libro extremo. Appositus ad hanc rē Symmachi 10. epist. 54. locus de illa ara ad tres AVggg. qui tolli eā iusserant: illa ara concordiam tenet omnium: illa ara fidem cōuenit singulorū: nec aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi iuratus ordo decernit. *Cas. Porro mos ille thure meroque supplicandi refertur etiam à Seneca 3. de Ira, cap. 18, 1. Plauto Aulul. in Prologo v. 24. Apuleio in Apolog. &c. Et sane Romanos* omnium rerum magnarum à Diis immortalibus principia ducere consueuisse. *Cicero in Vatin. cap. 6. Val. Max. 1, 1. Plutarchus in Marcell. cap. 5 Plinius Panegyr. cap. 74. aliique gloriantur. Quod pietatis studium haud paullo commendabilius erat futurum, si magis ad veritatis caelestis normam congruum fuisset. Sed vel sic tamen commendabile. nam de qualicunque religione verum est illud Plutarchi aduersus Colotem cap 47.* πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἀβάσις χωρὶς, ἢ πολιτεία τὴν περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντὸ πάσι, σύφαλον λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι. τοῦτο γὰρ συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. *h. e.* Facilius vrbem sine solo condi posse puto, quam Rempubl. sine opinione de diis aut constitui, aut constitutam seruari. Religio enim vinculum siue coagulum omnis est societatis, & iustitiæ firmamentum.

Ibid. (*t*) legitimus senatus ageretur] *Sic omnes vett. sic omnes editi, pro* haberetur. *dictum vt agere conuentum. Senatus legitimus opponitur ei qui indicitur à Consulibus, alio ve cui competit id ius. Capitolinus in Gordianis cap. 11.* Non legitimo, sed indicto senatus die cos. venit in Curiam. *Hæc proprie* βουλὴ σύγκλητος *Græcis dicitur. nam indicere dicunt* συγκαλεῖν βουλὴν, *vel* προσκάλειν βουλὴν, *vt Plutarchus in Bruto cap. 20.* Edicere senatum, *Suetonius in Iulio cap. 80, 9. At* senatus legitimus *Græcis est* βουλὴ καθήκουσα, νόμιμος *aut* ἔννομος, *vel* κυρία. *Dio lib. 55. pag. 629. B. hoc ita narrat,* βουλὰς κατὰ μῆνα κυρίας ἀπέδειξε. *vbi puto scribendum ex Suetonio* β βουλὰς *siue* δύο βουλὰς. *Sic accipiendum apud Spartianum in Adriano cap. 8.* Senatui legitimo, cum in vrbe vel iuxta vrbem esset, semper interfuit. *Cas.*

Ibid. (*v*) & idibus] *Martias excipe, lib. superiore cap. 88, 4 Cas.*

5. (*x*) neve Septembri Octobrive mense] *Omnino propter vindemias hoc institutum, quarum gratia feria menstruæ conceduntur in Codice.* Iustum autem vindemiæ tempus, *inquit Plinius 18, 31. 15.* ab

æquinoctio ad vergiliarum occasum dies 44. *In Italia fieri solitæ vindemiæ mense Octobri, alquanto post æquinoctium autumnale: in frigidioribus locis, vt in climate quod & ducitur & dicitur διὰ βυζαντίου, mense Nouembri sub Autumni exitum, non multo ante solstitium hibernum. Hoc ideo dicimus vt obiter Agathiæ locum emendemus è libro 5. Verba eius sunt hæc:* ἡνίκα γὰρ ἐκείνου, τοῦ ἔτους ἡ τοῦ φθινοπώρου ἔληγεν ὥρα, ἔτι τὰ ὑπὲρ τῶν ὀνομάτων συμπόσια ἐτελεῖτο ᾗ περ τοῖς Ρωμαίοις νενόμισται. *Merito quærunt eruditi, quænam sint ista* τῶν ὀνομάτων συμπόσια. *Ceterum ad Nominalia Romanorum hoc referre, aut ad Græcorum* ἀμφιδρόμια, *par & similis ratio, imo* ἀλογιστία. *de publico enim festo, non priuorum solennitatibus sentire Agathiam constat neque huc facit hilum locus Tertulliani quem proferunt ydem. Legendum aio,* τὰ ὑπὲρ τῶν οἰνωμάτων συμπόσια, *id est,* festos vindemiarum dies. *De hoc festo quæ sunt pridem aliis obseruata, non reponam. Casaub. Emericus Cruceius in commentar. ad Statij syluas pag. 75. Casaubonianam hanc Agathiæ correctionem modeste, nec sine ratione damnat: primum (inquit) quia vox* οἴνωμα, *quam substituit apud Agathiam, vix apud vllum auctorem reperitur. Sed esto, finxerit illam Græcus historicus secundum analogiam: an idcirco* οἰνωμάτων συμπόσια *erunt feriæ aut festa vindemiarum? Certe Feriæ à Festis discrepant, vt ex Festo cognoscitur. Et vindemiarum feriæ nihil aliud sunt, nisi dies quibus vindemiæ datur opera, quas D. Cyprianus ad Donatum initio vocat* solennes anni fatigantis inducias. *At de festo loqui Agathiam Casaubonus ipse hoc loco fatetur, vbi tamen interpretationem illam sic inculcat, vt nullum discrimen statuere videatur inter ferias & festa vindemiarum. Puto autem, si correctio magni viri admittatur, exponi posse* οἰνωμάτων συμπόσια *Festa vinalia quibus Ioui noua vina Romani libabant priusquam ea gustarent, vt docet Festus in voce* Calpar. *Nec obstat, quod Agathias hanc solennitatem reijcit in exitum Autumni, cum vinalia Aprili tantum vel Augusto mensi vulgo assignentur. hæc enim vinalia sunt alterius generis. Et quis credat Romanos aut Byzantinos (de his enim loquitur Agathias) illam libationem in Aprilem aut Augustum distulisse? Tamen similem morem fuisse Atheniensibus non inficior, docente Plutarcho lib. 3. sympos. quæst. 7. Itaque hic* ἐπέχω, *Casauboni sententiam examinasse contentus. De feriis vindemiarum & festis Lampridius in Heliogab. cap. 11. & Diac. lib. 3. cap. 6. Longob. De vindemiali conuiuio Germanis vsitato, quod vulgo* Drunten, *ab alis* Herbstbad/*id est, balneum vindemiale dicitur, adeundæ Stuckij conuiuales antiquitates lib. 1. cap. 23.*

De

De Nominalium solennitate idem eiusdem libri cap.16.

Ibid. (*y*) per quorum numerum decreta confici possent] *Ante Augusti constitutionem Senatusconsultum à paucioribus quadringentis perfici non potuit. Dio lib.54. pag. 624. E.* ὁρῶν ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐκέλευσε τὰ δόγματα αὐτοῖς καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι. οὐ γὰρ ἐξῆν τινὰ ἐκ τοῦ πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι [*h. e.* cum videret, non semper frequentes conuenire senatores, senatusconsulta etiam à paucioribus quam CD. senatoribus vt fieri possent, statuit: quum antea, nisi hunc numerum haberent, ea rata facere non licuerit.] *Erat autem numerus necessarius alias alius, pro vario genere rerum de quibus decernebat senatus. Dio lib. 55. pag. 629. c.* τόν τε ἀριθμὸν τὸν εἰς τὴν κύρωσιν τῶν δογμάτων ἀναγκαῖον καθ' ἕκαστον εἶδος αὐτῶν ὡς γε ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν, διενομοθέτησε. (*h.e.* numerum etiam, qui vt ratum esset senatusconsultum requiritur, secundum singulas, vt paucis dicam, senatusconsulti formas definiuit.) *Huc refero legem Constantini in Theodosiano Codice, cuius verba sunt*: Placet ne minus quinquaginta clarissimi veniant in Senatum. certum est namque hoc numero large abundare substantiam virtutis honorandæ. *Cas.*

Ibid. (*z*) consilia sortiri semestria) Consilia *pro consiliariis, vt matrimonia pro vxoribus, & alia multa. Dionem vide in actis anni DCCXXVII. lib. 53. & lib. 56. in anno DCCLXVI. Cas. Hæc dicit iis locis Dio, pag. 585. B. & 674. B. Augustum primo quidem ex magistratibus singulos, & senatores quindecim sorte legisse, qui per senos menses sibi in consilio essent: postea vero ætate grauem consiliarios annuos sibi petiisse, decretumque, vt quæcunque cum his, consulibusque, & qui designati essent consules, egisset, non minus rata essent, quam si in senatu acta fuissent. Ceterum in legendis hisce consiliariis sorte fuit vsus Augustus, quod & aliis maximis quibusque rebus solitos Romanos, vel Noster aliquot exemplis demonstrat. Sic sorte lecti iudices. Cas. 12,2. Sorte munia magistratum delata. Aug. 30, 1. Proconsulibus assignatæ sorte prouinciæ. Cas. 18,1. Aug. 3,3. & 47,1. Vesp. 4,4. Sorte captæ virgines Vestales. Aug. 31,3. &c. Caussam instituti Tacitus Histor. 4,8,1. hanc adducit*, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret, *neu quis se præteritum queri posset. Quem vsum in sacris litteris etiam expressum legimus à Sapientiæ magistro, Prouerb. 18, 18. vbi*, contradictiones, *inquit*, comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.

Ibid. (*A*) cum quibus de negotiis ad frequentem senatum re-

ferendis ante tractaret] *Hoc est quod Graeci προβούλευσιν vocant. libera Republ. hae erant senatus partes: deinde res in concionem ad populum deferebantur, quae quidem maioris momenti essent. ideo Graeci rerum Romanarum scriptores, senatores aliquando προβούλους, & Senatusconsulta προβουλεύματα nominant. Augustus vindicat sibi quod erat Senatus: illi tribuit quod erat populi: plebu Rom. vt olim Megarensium, ἀδεὶς λόγος* (nulla habita ratio) *Ex eo sub imperatoribus aut raro, aut nulla plebiscita. Casaub.*

6. (B) non more atque ordine) *Ordo quem intelligit, ex Dione libro 54. pag. 608. A vtcunque intelligi potest, vbi de Lepido sermo est, & ex libro 56. pag. 667. A. vbi de Germanico & Druso Tiberij filiis. In Viterb. est* perrogabat, *vt in plerisque alijs Mss. Casaub. Etiam in Palatinis omnibus, Grutero teste, itemque in editione Romana; Aldi, Stephani, & in vv.cc. Vrsini. Exterminato itaque priùs edito illo* prærogabat, *hoc alterum recepimus in textum. Est autem* perrogare sententias, *ad vnum omnes rogare: sicut in Claud. 34,5.* persedere, *& Aug. 98,10.* perspectare, *à principio ad finem sedere, spectare. De more atque ordine rogandarum in Senatu sententiarum consulendus Agellius lib. 4. cap. 10. Laur. Langlaeus Semestr. lib. 7. cap. 7.*

Ibid. (C) ac si censendum magis quam assentiendum esset) *Proprie igitur* censere *non dicitur nisi qui nouam sententiam in senatu dicit, eamque vel oratione, vel de scripto, pluribus explicat: quod tamen decernere dici solet. Vnde in faciendo Senatusconsulto notari solitum, quo referente, quo decernente, & quo primum assentiente id sit factum. Assentiendi autem in senatu triplex modus, voce, manu, pede. Porro ad assentiendum alteri & mediocris attentio desideratur, & industria quaeque mediocris: quum ad censendum oporteat venire meditatum, aut solerti ingenio esse praditum, idoneo consilium in arena capere. Augustus vero, instituto more sententias prærogandi, & quidem nullo certo ordine, singulos cogebat attendere & ad dicendam sententiam se parare. Simile est quod in re longe diuersa Quintilianus scriptor optimus praecipit, instit. orat. 2,5,12. vt praeceptor suos frequenter interroget, & iudicii dissipulorum experiatur. causam adjcit quam & Augustus, cum hoc instituerit, est secutus.* Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur perfluent aures: simulque ad id perducentur quod ex hoc quæritur. vt inueniant ipsi & intelligant. *Cas. I. Lipsius in Notis ad lib. 3. Politicor. eliciendalibera in dictione sententia vocis aliquot modos exponit, in quibus*

his

hic ab Augusto monstratus vel præcipuus. Simili de caussa Tiberius apud Tacitum Annal. 3, 22, 6. exemit Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ, quod alii ciuile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret. *At cum in iudicio Marcelli prætoris Bithyniæ peculatus & maiestatis delati proclamaret, se quoque in ea caussa laturum sententiam; hoc eius institutum acute libereque carpens Cn. Piso, quo, inquit, loco censebis, Cæsar?* si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam. Tacit. Annal. 1, 74, 6.

CAPVT XXXVI.

1 Auctor (*a*) & aliarum rerum fuit: in queis ne (*b*) acta senatus publicarentur: ne magistratus (*c*) deposito
2 honore statim in prouincias mitterentur: ‖ vt proconsulibus (*d*) ad mulos, & tabernacula, quæ (*e*) pu-
3 blice locari solebant, certa pecunia constitueretur: ‖ vt cura (*f*) ærarii à quæstoribus vrbanis ad prætorios prætoresve transiret: ‖ vt centumuiralem (*g*) hastam,
4 quam quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent.

NOTÆ IN CAPVT XXXVI.

Num. 1. (*a*) Auctor & aliarum rer. f.] *Auctores fuisse Senatui aliquid censendi, dicebantur Imperatores, cum in eorum sententiã, quam oratione in senatu habita & recitata expressérant, aliquid decernebatur. Sic Noster in Othone* 8, 1. auctor Senatui fuit mittendæ legationis. *Et Vespas.* 11, 1. Auctor Senatui fuit decernendi, vt &c. *Nam ex quo tempore Respub. Rom. in vnius potestatem concessit, ex illius nutu Senatus omnia agere consueuit, nec quicquam maioris momenti (nam in minutulis species aliqua libertatis relicta) nisi auctoribus vel assentientibus illis decernere potuit.*

Ibid. (*b*) ne acta senatus publicar.] *Iulius Cæsar, vt scribit Noster in eius vita cap.* 20, 1. primus omnium instituit, vt tam senatus quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur. *Confectio manſit:*

manſit: publicatio hic abrogatur ab Auguſto. Fuerunt acta illa commentarij, quibus breuiter inſcriptum quidquid apud Patres diceretur agereturque. Ὑπομνήματα *Graeci vocant. & qui* Ab Actis, *ſiue* A cura actorum, ὑπομνηματογράφους. Protocollum *ſequior Graecorum aetas appellauit. Meurſ. Gloſſar. Graecobarb. & vocem, noſtram quoque Germani fecimus. A Zonara tom. 3. pag. 9, 11.* τὸ πρωτοκὸλλον *vocari videbatur: & confirmauit poſtea coniecturam hanc Metrophanes Critopulus Berroenſis, Vir doctiſſimus, hoſpes tum vrbis noſtrae, nunc Patriarcha Alexandrinus.*

Ibid. (*c*) ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouinc. mitterentur] *Dio lib. 53. pag. 578. D.* κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν ἀϋλοῖς ἀπηγόρευσε μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἄρξαι ἐν τῇ πόλει, κληροῦσθαι. [Omnibus autem ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à geſto in Vrbe magiſtratu prouincias ſortirentur.] *Cauſſam libro priore* [*ad Caeſ. 30, 6.*] *indicauimus. Caſaub. Nimirum vt eo internallo remitterent animos, quos imperia continuata ſolent extollere. Eadem de cauſſa Caeſar, ex Africano bello Romam reuerſus, lege cauit, vt neque prator annum excederet; neque conſul diutius biennio continuares imperium. Memoria ſiquidem recolebat, nihil aeque ſuum ipſius animum dominandi cupiditate inflammaſſe, quam quia tot annos imperium in Gallia continuauerat, vt ſcribit Dio lib. 43. pag. 256. D. Vnde Mamercus Dictator apud Liuium 4, 24, 5. dixit,* magnam libertatis (*nec minorem ſane Principatus*) eſſe cuſtodiam, ſi magna imperia diuturna non eſſent. Tiberio *tamen certis nec ſane probabilibus de cauſſis,* id moris fuiſſe *Tacitus ſcribit Annal. 1, 80, 2.* continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus aut iuriſdictionibus habere.

2. (*d*) proconſulibus ad mulos & tabernacula] *ſed & equos, & ſupellectilem, & cetera neceſſaria, quae communi nomine dicta* vaſarium. *Voce* Proconſulum, *generatim hic vtitur autor, vt & Proconſules ſpeciatim ita dictos, & Propratores, & Legatos Caſaris, & quoſcunque alios, qui prouincias regunt, complectatur.*

Ibid. (*e*) quæ publice locari ſolebant] *M. Tullius paſſim. Vide Liuium initio libri 24. In re nota erraſſe Dionis interpretes omnes miror, eoque monere obiter viſum. Quare haec illius verba lib. 53. pag. 580. A.* τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντες τινὲς παρὰ τῆ δημοσίᾳ πάντα σφίσι τὰ πρὸς ἀρχὴν φέροντα παρεῖχον, *ita verte:* Nam olim quidam erant, qui præbenda *iturisin prouincias*, publice redimerent, & quicquid iis muneris ſui cauſſa opus eſſet, exhiberent. *Notum* [*ex AGellio noct. Attic. 15, 4.*]

FINIS.

SPECVLVM
BONI PRINCIPIS,
hoc est,
IMP. TITI FLAVII VESPASIANI
vita, scriptore
SVETONIO TRANQVILLO,
CVM ANIMADVERSIONIBVS
AC NOTIS,
quas
in Vniuersitate Agentoratensi,
praside
MATTHIA BERNEGGERO,
PROFESSORE HISTOR.
Publice proposuit examinandas a. d. 4. April. 1625.
PETRVS Wiebers /
Nob. Borussus.

Excellentissimo Viro,

GVILIELMO SCHICKHARDO,

in Academia Tübingensi Sanctæ Linguæ Doctori,

S. P. D.

VIdi, mi SCHICKHARDE, tuum Ius Regium Hebræorum, quod nunc gemit sub nostratium prælo typographico: legi quoque præfationem, qua id operis inscribere mihi dignaris. Fert animus dicere, quanti mihi liber ille: quanti dedicationis honos: quanti denique tu sis ipse. Sed nolo verecundiam oris tui, commemoratione meritissimarum laudum tuarum onerare. Nec etiam Echo sum ego, vt reddam tibi tuas voces: voces, quibus equidem τὸ præfiscini! fuerat apponendum. Sunt enim ad inuidiam vsque honorificæ. quas, nec meipsum nossem, si agnoscerem. Et eæ tamen abunde fidem faciunt abundantis effusissimique in me, nihil tale meritum, (nisi forte tui cultum & obseruantiam in meritis numeres) amoris tui: cuius adfectus impotentia nimirum, alioquin acerrimi iudicii tui lynceis illis ac nil non penetrantibus oculis hoc obiicere glaucoma potuit; vt, quod non vides, videris prædicauerisque. Amo, sic me Deus amet, errorem hunc tuum: amo quoque munus, vtut ab hoc errore profectum. Ex aulicis illi, quibus fortuna pro virtutibus est, regia dona, sibi quantumuis indignis oblata, non minoris, imo pluris, æstimant, quam vel dignissimi quique. Nam hi debitum sibi repræsentari credunt: illi beneficium exhiberi sciunt: & hoc sibi Cassiodori persuasum habent: *non esse maius meritum, quam gratiam inuenisse regnantium.* Ac illi quidem Aulicam gratiam (non raro morientis illius Arati nota voce terminandam) ostentent sane, per me licet: atque etiam aureis Magnatum iconibus, è collo de more pendulis, præ se ferant circumferantq; quo ad volent. mihi πόῤῥω διὸς τοῦ καὶ κεραυνοῦ viuere malenti, Musasque nostras & Orchomenias illas

Diuas

Diuas opibus omnibus anteponenti, chartaceum istud à SCHICKHARDO munus, longe pretiosius est atque gratius, quam à maximo quoque Principe maximum quodque congiarium.

Ceterum amorem istum tam benigne susceptum, largiter adeo daclaratum, & immortali firmatum pignore, valde sim inamœnus, ne dicam improbus ingratusque, nisi munerer aliquo testimonio mutui amoris. Atque vtinam ἀντίδωρον aliquod, ex Hesiodi præcepto, dare liceret ἀυτῷ τῷ μίτρῳ καὶ λαΐον! Adfectus quidem sic est. sed illum adeo vires destituunt, vt in omni meo litterario censu, vix χάλκεα hæc, (iudicio, non modestia sic dico) quæ χρυσοῖς tuis reponerem, in hoc tempore potuerim inuenire Sunt ad Suetonii Titum animaduersiunculæ seu Notæ: quæ sub ipsum allati libri tui tempus ad vmbilicum spectabant. Aliquot non septimanæ, sed menses abierunt, ex quo conscribere illas aggressus sum. & tamen si, quicquid huic operæ temporis est impensum, in vnum contraxero, non multo plus hebdomade redegero. Nec ἀμβολαργίᾳ cessatum fuit, aut negligentia: sed quod subinde per transuersum obiectæ nescio quæ occupationes in alia distrahebant. Interrupto vero tenore scriptionis, in qua continuatio ipsa efficacissima est, alii præclara conficere possint: ego nec mediocria. Qualia autem cunque sint, hæc tibi, vir magne, lubens meritoque do, dico, inscribo: vt & obscura per se lucubratiuncula, lucis aliquid à clarissimo nomine tuo fæneret: & omnibus, in quorum manus inciderit, ipsique, si fas est optare, posteritati, mutuæ nostræ boneuolentiæ, ac meæ in te obseruantiæ, monumentum aliquod ostendat: & denique tuum, maxime idonei, si quis alius, Censoris, de hoc scriptionis genere iudicium exquirat. Ore durissimo sibi videri Cicero dixit eum, qui gestum ageret in scena, spectante Roscio: quod nemo se mouere posset, cuius ille vitia non animaduerteret. Ego vero me tibi tuique similibus in theatro litterario Rosciis ἀνταιχύντοις præbebo monendum atque formandum. Erunt forte, qui dicent, Iliada scribere post Homerum; qui post incomparabilem illum Casaubonum aliquid moliar ad Suetonium. Et sane difficile queat videri, post tantum literarum & omnis eruditionis principem, ad hunc autorem illustrandum aliquid adiicere. Ego vero hoc mihi nõ sumo, vt adferam ab eo non visa nec animaduersa (quid enim aquilinam Viri potuisset aciem fugere?) sed neglecta solum & insuper habita. Nam aquila, vt est in prouerbio, non captat muscas. Adde, quod Varroniano dicto, *Nemo reprehensus est, qui è segete ad spicilegium*

cilegium reliquit stipulam. Et vinitori propositum, in vindemiando grandiores ac obuios modo racemos legere: nec est fraudi, minores transisse. Magis autem illud verendum habeo; ne sint qui damnent, Suetonium in commata, ceu theses, inusitato, nec audito modo, sectum, & factum, disputationum Academicarum incudem. Itaque consilii mei rationem altius aliquanto repetam oportet. Ipsi sunt anni vndecim, cum è viuis hic excessit Laurentius Tuppius, clarissimus Iurisconsultus, &, quod in illo genere non valde frequens est, philologus eximius. Eum crebro (nec enim δυσπρόσοδος iunioribus nobis erat) inuisere solebam, ac cum de omni literarum genere, tum sæpissime de præceptore & hospite quondam suo, Phil. Melanchthone, τῷ τῆς ὁσίας μνήμης, illo vere ocello Germaniæ, memorantem audire, cum fructu, cum voluptate mea maxima. Referebat autem inter alia, moris id fuisse Melanchthoni, cum publice doceret, vt non audiretur modo, sed & audiret: operamque sibi dantes Studiosos, ad examen, ad colloquium inuitaret: etiam eos, quos vel pudore, vel inscitiæ conscientia vitabundos, remotiora subsellia viderat occupasse, prouocaret. Id institutum, vtilissimum sane, si quis hodie velit imitari, non, vt Stratonicus, συὶ θεῷ καὶ τοῦ μούσαις ἕνδεκα: sed nullum, credo, sit inuenturus, qui suis recitationibus, quas vulgo lectiones appellant, interesse velit. M. Portii Latronis discipulos aiunt, quum audire tantum, non audiri vellent, initio contumeliæ causa Auditores esse dictos: quæ vox promiscue pro discipulo, in vsu esse postea cœpit. Sic nos hodieque, more in omnibus, nisi fallor, Academiis recepto, vere ac proprie dictos Auditores tantum habemus: nec meum est, inueteratum validumque morem (an morbum?) hunc migrare. Cum autem in explicatione veterum autorum ea fide versari cuperem, quam & muneris mei ratio, & honestissimorum Iuuenum, qui mihi assiduam nauabant operam, alacritas exigit: id vero multo maiore cum fructu futurum putarem, si mutuas audire & reddere voces daretur: neque tamen id pro lectione liceret: quod proximum erat, feci: Suetonii Cæsarem antea, nunc Titum, in Disputationes redegi: presso pede vestigiis autoris adhæsi: moralia, qua dabatur, erui; miscui ritus antiquitatis: & quia Criticen, vt ludum aliquem nugarum, atque Grammatici commatis argutias, aspernantur aliqui delicatiores: quæ magnorum tamen virorum iudicio Sol & sal literarum est; etiam hoc genus nonnulla pro re & copia adieci, quorum amaritudo iucundiorum istorum temperatura si non edulcaretur,

certe

certe non sentientibus obiiceretur. Autor denique αὐτηκόως meis fui, vt non semper argumentis contrariis, more disputatorio; sed nudis etiam eorum; quæ non satis assequerentur, interrogationibus agerent: ne non tam Disputatio contentiosa, quam placidum quoddam examen ac repetitio videretur. Medicum quendam scribit Seneca, cum Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem, quia non exspectauit, dolorem tulit. Imitatus sum: nec metuo formulam, *Quod dolo malo*: nec adeo factum excuso, aut muto: si tamen hoc tibi quoque probauero: cuius auctoritati limatissimoque iudicio tantum defero, quantum non temere alius cuiusquam. Imo vero iam probaui. Nam id in epistolæ tuæ calce non dissimulas: atque etiam, quod audio & gaudeo, Viros omnino summos, mea quidem certe laudatione superiores, BESOLDVM & LANSIVM, ὁμοψήφους habes. Vos mihi triumuiri, instar estis amplissimi theatri: quorum erectus approbatione, facile possim aliorum inclementiora iudicia, non quidem illa contemnere (nam etiam ex his talibus est quod proficiamus: & fieri potest, vt illi me fortius ament, vos tenerius) sed non nimis tamen extimescere aut reformidare.

Vale, Vir eruditissime & me vsu ac mancupio tuum, porro, quod facis, ama: etiam Amplissimos, quos reuerentiæ causa modo nominaui, Viros, quibus addo Venerandum Senem, Mathematicorum æui nostri Principem, D. MÆSTLINVM, ex me per occasionem officiosissime saluta. Argentorati, a. d. 26. Martii, anno M. DC. XXV.

T.

Matthias Berneggerus.

C. SVETONII TRANQVILLI
TITVS FLAVIVS VESPASIANVS AVG.

CAPVT I.

Titus, [a] cognomine paterno, [b] amor ac [c] deliciæ generis humani, (tantum illi [d] ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ [e] superfuit: [f] &, quod difficillimum est, in imperio; [g] quando priuatus, atque etiam sub patre Principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit) natus est [h] III. Kalend. Ian. insigni anno [i] Caiana nece, prope [k] Septizonium, sordidis ædibus: cubiculo vero perparuo, & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur.

a) Cognomen *Titi* paternum, *hoc loco subaudiendum est.* Vespasianus, *ad discrimẽ fratris assumptum, qui cognomine materno à Domitilla,* Domitianus *est appellatus. Par fratrum, cognomine non magis ac moribus, admodum impar. Alii* cognomen paternum *ad sequentia verba trahunt,* amor ac deliciæ generis humani. *Male Præterquam enim quod cognomina vna voce, non plurium congerie constant; (qua de re Alexander genial. dier. lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 11.) etiam antiquorum, quod sciam, nullus, Vespasianum patrem sic appellatum scribit. Addo amplius, nec Vespasiano filio (viuo quidem) id elogium publice, & à Senatu Populoue Romano tributum. Nam Victor, Eutropius, Suidas, & si qui alii sequioris aui scriptores è Suetonio id hauserunt, in aliam mentem illius verba, quæ nihil tale habent (inspice quæso) trahunt: nec dubium, illud Suetonii priuatum de Tito iudicium, non Populi Rom. publicam vel solennem fuisse vocem. Imitatione tamen Suetonii, cum Titus à posteritate, tum auo superiore Imperatores Maximilianus I. à Cuspiniano in eius vita, & Maximilianus II. à Cratone in orat. funebri,* amor ac deliciæ generis humani *nominati fuerunt. Aliter autem est de Gordiano III. quem omnem Populum* delicias suas *dixisse, tradit in Gordianis cap. 31. Capitolinus. Sed quanto potiore merito apud Aggæum cap. 2, 8. CHRISTVS ὁ Σωτὴρ* Deliciæ omnium gentium *appellatur?*

b. c.) *Vt*

b. c.) *Vt Autor in Aug. c.* 17. necessitudines *pro necessariis, & in Tiber. c.* 51. amicitias & familiaritates *pro amicis familiaribusq; sumit: ita hic* amor *ac* deliciæ *amatum ac delicatum ipsum significant.* Delicatus & Delicata, Delicium, Deliciæ, *sed & in singulari* Delicia, æ, *in antiquis cum inscriptionibus, tum autoribus, occurrunt sæpius; itaque de notione vocum istarum dicendum amplius. Ita primum appellati pueri minuti, procaces, facie & garrulitate amabiles, quales Imp. Augustum vndique conquisiuisse, præcipue Mauros & Syros, & cum iis animi laxandi caussa lusisse, refert in eius vita Noster cap.* 83. *E quibus Augusti pueris fuit Sarmentus, de quo Plutarchus in Antonio, pag.* 943. *e.* ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ρωμαῖοι καλοῦσιν: Erat autem Sarmentus è procacibus Cæsaris pueris, quos Delicias Romani vocant. *Non ergo propriam Græci vocem habuerunt, qua vim Romanæ illius exprimerent. Quomodo & Dorotheus Doctr.* 18. *retenta Romana:* ἦν δὲ οὗτος δηλίκιον τινὸς στρατιώτου διάγων ἐν πολλῇ τρυφῇ. ἀεὶ γὰρ ἐν πολλῇ βλακείᾳ εἰσὶ τὰ δηλίκια τῶν τοιούτων: Erat autem ille delicium cuiusdam militis, &c. Περιφράζοντες *tamen appellant aut* παίγνια παιδάρια *vt modo Plutarchus: aut* παιδία ψίθυρα, *vt Dio lib.* 48. παιδία ἀθύροντα, *vt Herodianus lib.* 1. παιδία ψελλιζόμενα, *vt Philostratus in Herode:* ἀνθρωπίσκους ἐγερσιγέλωτας, *vt Nicetas in Isaacio Angelo:* παιδάρια σπερμολόγα, *vt Athenæus lib.* 3. *Seneca* Vernulas *appellat in lib. de prouid. cap.* 1. *Idemque in lib. de constantia Sapient. cap.* 12. *de hisdem:* pueros quidam, *inquit*, in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, sed argutias. *Et Statius, lib.* 5. *Sylu. epicedio in filium:*

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
DELICIAS, doctumque sui *CONVICIA* Nili
Infantem, linguaque simul salibusque *PROTERVVM*.

Deinde sic appellatos inuenias catamitos, siue τῶν παιδεραστῶν *pueros illos amasios, quos* τὰ παιδικὰ *Græci vocant. Ita* delicatorum puerorum *Trai*[illegible] *meminit Spartianus in eius vita cap.* 2. & 4. *Nam illum Imperatorem* παιδομανῆ *fuisse, & hinc, & ex Dione, Iuliano, aliis, notissimum est; & frustra Plinius est, in paneg. alibiq; castitatem illius dilaudans. Generalius etiam* Deliciæ, Delicati, Delicatæ, *sunt* οἱ ἐρώμενοι, *amasii, amasiæque, licet puerilem ætatem excesserint: vt nostrati* θωπευτικῷ, Schatz / *quodammodo respondeant. Ita Noster in Vespas. c.* 3. Delicatam *Statilii Capellæ vocat; quæ olim amica eius & concubina fuerat. In Gruteriano inscriptionum corpore pag.* CCCXI. 6. *inuenio* TELAM Euphrosynæ Virginis Vestalis *DELICATAM; vt appareat,*

non semper amoris Veneri vocem illam indicem fuisse. Generalissima denique metaphora, iucundissima & charissima quaque Delicias appellamus. Ea notio huius loci est, etiam aliis bonis autoribus haud infrequens. Exempla quaedam vel è Cicerone sunto. Lib. 1. de Diuinat. Quid amores & deliciæ tuæ Roscius? *Philipp. 6.* Sed redeo ad amores deliciasque nostras, L. Antonium. *Lib. 8. famil. epist. 8.* C. Sempronius, mel ac deliciæ tuæ. *Lib. 16. ad Attic. epist. 6.* Pyliæ salutem dices, & Atticæ, deliciis atq; amoribus meis. *Atque hæc distinctio, in speciem pugnantia Seneca loca conciliabit. In lib. de prouidentia cap. 1. inquit:* Deus bonum virum in deliciis non habet. *Et Epist. 96.* Neque dii neque dea faciant, vt te fortuna in deliciis habeat. *Contra vero lib. 2. de benef. c. 29* Bene æstimata Naturæ indulgentia, confiteatis necesse est, in deliciis te illi fuisse. *Scilicet Deus nos in deliciis non habet, illo primo significatu: quia non tractat nos molliter & indulgenter, vt Romani suos illos pueros garrulos (* ἐν πολλῇ τρυφῇ καὶ βλακείᾳ διάγοντας, *vt supra ex Dorotheo relatum) sed vt filios disciplina seueriori continet, experitur, indurat. Idem rursus in deliciis nos habet, notione postrema, & sibi charissimos bonis omnibus cumulat.*

d) *Cicero lib. 2. offic. c. 5.* proprium hoc statuit esse virtutis, CONCILIARE ANIMOS hominum, & ad vsus suos adiungere. *Nostri Titi exemplo sunt affinia quæ subiungam.* Scipioni Africano tanta inerat comitas, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, vt barbaros etiam ac hostes infestissimos facunde alloquendo sibi conciliarit. *Liuius lib. 28. cap. 8. m.* Pyrrhus Rex artem conciliandi sibi homines eam habuit, vt Italiæ gentes Regis externi, quàm populi Rom. tam diu principis in ea terra imperium esse mallent. *Idem lib. 35. cap. 14. f. Quibus rebus & artibus L. Sulla Marii militumq; gratiam aucupatus & assecutus sit, docet Sallust. Iugurth. c. 96. Sed & Cicero ad Q. fratrem lib. 1. epist. 2. Virgilio & Cn. Octauio* colligendæ beneuolentiæ *tribuit* artificium. *Et autor in Calig. c. 3* ait, in Germanico fuisse conciliandæ hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. *Porro Nostri de Tito dictum firmat & Tacitus lib. 2. Histor. c. 5. vbi eum ait fuisse* natura atque arte compositum alliciendis hominum moribus; *sed ponit, ecce, duos modos tantum.* Naturam (*id hic est* Ingenium) *atque* Artem: *Noster opportune tertium addit,* Fortunam: *quæ non minus ac illa duo, colligendæ beneuolentiæ necessaria. Nam* profecto Fortuna in omni re dominatur. Ea res cunctas ex libidine magis, quam ex vero, celebrat obscuratque. *Quod Sallustii (Catil. c. 8.) dictum ad Rudolphum Agricolam, paucis lectum, sed dignum qui ab*

omnibus

omnibus legatur, accommodat Ludouicus Viues comment. ad Augustin. de Ciu. Dei, lib. 2. cap. 21. Eumenis virtuti si par data esset fortuna, non ille quidem maior fuisset, sed multo illustrior, atque etiam honoratior, Æmil. probus in Eum. à pr. Fortuna rebus famam pretiumq; constituit. *Curt. lib. 9. in fin. Hinc* facta dictaq; alia clariora sunt, alia maiora. *Plin. lib. 3. epist. 16. Hinc* πολλαὶ λοιδορίαι, πολλὰ δὲ καὶ ἐγκώμια περιτρέχουσι τὸν αἰῶνα, μὴ πάνυ σὺν δίκῃ, ἐκεῖναι μὲν καθ' ὧν οὐκ ἠδίχησαν, ταῦτα δὲ καθ' ὧν οὐδὲν ἄξιον ἐπεπράχεσαν: Multa conuitia, multæ etiam laudationes præter meritum in vita versantur: illa in eos, qui nihil commiserunt: hæ in eos, qui nihil laude dignum gesserunt. *Necephorus Gregoras lib. 6. Histor. Byzant. cap. 4. Hinc* quidam Merentur Famam (*addo ego fauorem ac beneuolentiam*) quidam Habent. *Lipsius cent. 1. miscellan. epist. 2. Quod postremum expressit eleganti carmine Frid. Taubmannus schedias. pag. 474. Vt non ab re Tacitus lib. 4. Annal. c. 20 dubitauerit*, fato & forte nascendi (*ea Fortuna est*) vt cetera, Ita Principum (*atque adeo quorumuis hominum*) inclinatio in hos, offensio in illos: an vero sit aliquid in nostris consiliis, *vt arte vel ingenio conciliare nobis alteram, alteram declinare queamus. Et lib. 2. Histor. cap. 82.* quibusdam Fortunam pro virtutibus esse, *demonstrat eorum exemplo, quos nihil tale meritos Vespasianus honore percoluit.*

e) *h. e. abundanter adfuit. Videndus de vsu verbi* superesse *Agellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 22.*

f) Et, *hoc loco valet*, idque. *Nam* αὐξητικῶς *ostenditur, id maxime mirandum, Titum, qui* priuatus *odio & obtrectationi fuit obnoxius*, Imperatorem factum *omnibus æque charissimum esse potuisse: cum tamen alii versa vice*, dum adipiscuntur dominationes, multa caritate sint, & maiore odio postquam adepti, *vt inquit Tacitus lib. 12. Annal. cap. 30.*

Regnare non vult, esse qui inuisus timet.
Simul ista Mundi conditor posuit Deus,
ODIVM atque *REGNVM.* --- *Senec. Thebaid. in fin.*

Et Capitolinus in vita Marci Antonini, cap. 15. Nemo est Princpum, quem non grauis fama perstringat. *Principum autem? imo quorumuis hominum vel sanctissimorum. adeo verum Græcorum dictum est:* ἅπτεται μῶμος καὶ τῶν ἀψαύστων. *Sed Principum tamen inprimis. Et rationem Augusto suo Liuia reddidit apud Diomen lib. 55. pag. 638. e. cum*, Fieri non potest, *inquit*, vt Princeps omnibus placeat, ac non vel iustissime regens, in odia permultorum incurrat. Maior enim pars hominum, iniusta iustis potiora ducunt: quorum expleri cupiditates nequeunt. Iam virtuosorum quo-

 que alii

que alii magnas ac multas res expetunt, quas consequi non possunt: alii aliis posthabitos se indignantur: itaque vtrique culpant Principem. *Hæc ille, subditis præcipue culpam assignans: quibus est sane, vt inquiunt Athenienses apud Thucydidem lib. 1. pag. 52. d.* τὸ παρὸν ἀεὶ βαρύ: præsens imperium semper graue. *ideoque audent passim & gaudent*

——— humili læsisse veneno
Summâ, nec impositis vmquam ceruice volenti
Ferre duces. ——— *Statius Theb. 1. v. 171.*

Παντὶ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι πρὸς τοὺς πολιτευομένους: Omnes populi ea laborant animorum peruersitate, vt de iis maligne sentiant, qui Rempubl. regunt. *Plutarch. in præcept. Reipub. gerendæ, pag. 813. a. Verumtamen & ipsi Principes à culpa non semper immunes, Catulo quidem iudice, cuius hæc sunt apud Dionem lib. 36. pag. 18. e.* Magni honores, immodicæque potestates, etiam optimorum hominum animos ad fastum extollunt, atque corrumpunt, *ac proin odiis obiiciunt. Vt vt ergo difficillimum, omnium beneuolentiam in imperio promereri: tamen in Tito non vsque adeo mirum id videri debet; cum non sit passus, ad aliorum exempla, regno se deprauari; secundus hac parte patri suo* Vespasiano: qui, *teste Tacito lib. 1. Histor. cap. 50.* solus omnium ante se Principum in melius mutatus est. *Quod si tamen diutius imperasset, idem forte, quod patri, potuisset accidere. Is* inter initia imperii bonus: donec indulgentia fortunæ, & prauis magistris, didicit, aususque est. *Tacit. 2. Hist. 84. Sic* Vannius Sueuis à Druso Cæsare impositus, prima imperii ætate clarus acceptusque popularibus: mox DIVTVRNITATE fuit mutatus in superbiam. *Idem 12. Annal. 29. Ipse quin &* Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulsus & mutatus est. *lib. 6. Annal. c. 48. Alexand. Magnum clariorem fecit, quod in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus, decessit. Vt alios Reges claros ducesque omittam, magna exempla casuum humanorum: Cyrum, quem maxime Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut magnum modo Pompeium, vertenti præbuit fortunæ?* Liu. 9. c. 17. pr. *Facit huc illa comparatio Titi cum Augusto, quam ex Dione Zonaras, vt solet, in Annales suos transtulit: qua negatur, Augustum, si pauciores annos vixisset, ac Titum, si plures, vmquam subditis charos esse potuisse: propterea quod ille in principio propter bella & seditiones asperior, postea longo tempore, multitudine beneficiorum clarior chariorque populo Rom. factus est: hic vero moderate gesto imperio, in ipso gloriæ fastigio decessit, eam forsan amissurus, si vixisset diutius, apparuisset q;, maiori cum fortuna quam virtute vsum fuisse.*

g) Con-

g) *Coniunctio causalis, non temporis aduerbium est, pro,* quandoquidem. *Virgil.* 1. *Æn.*---- quando hæc te cura remordet. *Cicero* 10 *Epist.* 12. Quam quando complexus es & tenes, perfice, vt *&c. Terent. in Adelph. act.* 2. *sc.* 4. Quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

h) *h. e. die* 30. *Decembris. Alii tamen* IV. Kal. *Alii item*, I. Kal. *Quæ ambiguitas ex anno mortis Titi, spatioque vitæ solui posset, nisi & istud fuisset ambigue traditum ab autoribus.*

i) C. *Caligulæ cæde, de qua Noster in eius vita cap.* 58. *Is est annus à N. Chr.* 41. *secundum Æram Dionysianam vulgatam: ab Vrbe Cond.* 793. *Imp. Caligula* IV. *&* Cn. *Sentio Saturnino Coss.*

k) *Inuenio apud veteres duo* Septizonia, *de quibus distincte dicendum est: cum hæc ab autoribus confundi videam. Esto ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς. Ab Imp. Seuero posterius esse fabricatum Septizonium, & Eusebius in Chronicis, & Spartianus in Seuero, cap. vltimo tradunt: idque ad caput Appiæ viæ (non procul à Circo Maximo, sub Palatio) fuisse, docet idem Spartianus in Geta cap. vltimo. P. Victor in topographia Romæ, id in Vrbis regione X. collocat. Platina in vita Gregorii VII. P. M. sub finem,* Septem solia Seueri Afri opus *nominat. Beroaldus ad hunc Nostri locum scribit, illud Septizonium se Romæ curiosis oculis lustrasse: supereſſe vero tres operis ambitiosi veluti Zonas, columnarum pulchritudine, magnificentia, altitudine spectabiles: ex quibus coniiciatur vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumen æstimantibus, si moles integra cum totis septem Zonis supereſſet.* Ian. Iac. Boyssardus in Topographia Romæ, pag. 61. 62. *A circo maximo veniendum est in viam Appiam, ad cuius lævam partem ingens Septimii Seueri moles attollitur: quæ quadrangularis olim fuit, septem columnarum ordinibus, quæ sibi inuicem superpositæ, septem constagnationes* (forte, contignationes) *in altum extollebant: columnæ in singulis ordinibus, vastis trabibus marmoreis coniungebantur. Nullum hoc ædificio fuit altius Romæ. Septisolium vocat Plinius, quod septem solaria contineret: nunc septizonium dicitur. Hoc ab Imperator. fuit erectum in tantam altitudinem, vt nauigantes ex Africa in Italiam id spectare possent è mari, & eius cineres (qui in apice supremo huius molis erant repositi) adorarent. Erat enim Seuerus natione Afer. Ex tanto ædificio Septisolii, tres tantum nostro tempore restant constagnationes, quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruinam minari. In vno solii circuitu pars inscriptionis mutilata restat:* C. TRIB. POT. *VI. COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQVE* (Extat in Gruteri quoque tomo inscriptionum, pag. 185, 5. *Etsi B. Marlianus, qui lib.* 4. *topograph. Rom. cap.* 6. *eius, etiam à se visi, proponit ichnographiam, negat, vl-*

tra tres illos ordines columnarum inuicem ſumperimpoſitarum, alios quatuor inſuper fuiſſe: cum tanta trium illorum altitudo fuerit, vt maiorem habuiſſe, non fiat veriſimile. At noſtro tempore dirutum illud à Sixto V. P. M. & locum ab incolis vrbis Romæ Settiſonio *dici, firmat Ortelius in theſ. Geogr. qui nobis tamen vix perſuadet, eſſe idipſum Septizonium, cuius Ammianus Marcellinus meminerit lib. 15. cap. 17 hiſce*: plebs ad Septizonium conuenit, celebrem locum, vbi operis ambitioſi Nymphæum Marcus condidit Imperator. *Marcus enim multis Seuerum annis anteceſſit: vt proinde hoc fuerit antiquius illo Seueriano Septizonium, & fortaſſis hoc ipſum Autoris noſtri, ad quod natus Titus eſt. Atque prius hoc Septizonium dictus* P. *Victor in regione XII. Vrbis collocat, & vocat* Septizonium vetus: *addit*: alias Seueri: *quæ poſteriora verba librarius aliquis indoctus adiecit. Sunt enim illa duo vtique diuerſa, quæ temere miſcet etiam Lupanus, cum in Notis ad Spartianum ait, illud Seueri Septizonium à Plinio* Septiſolium *appellatum. Atqui Plinius ætatibus Seuero prior, Tito noſtro naturalem ſuam hiſtoriam dicauit. Quod addit Lupanus, ab aliis idem nominatum* Septodium, *hybrida dictione, quod ibi ſeptem viæ concurrant; vitioſe ſcriptum putarim, pro* Septizodium *Nam & illuſtris Scaliger in Animaduerſ. Euſeb. & Cl. Salmaſius ad Hiſt. Aug. obſeruarunt, optimæ notæ membranas plerasque* Septizodium *pro* Septizonium *præferre: quomodo & circulum dierum hebdomadis promiſcue quidam Septizodium, alii Septizonium vocant. quo de videndus Scaliger ad Manilium pag. 290. & lib. 3. Canonum Iſagog. Chronol. ſub initium.*

Porro nominis illius etymon facilius quam rationem etymi dixeris. Caſauboni iudicio in Not. ad Spartian. fortaſſis à columnationis genere operi nomen impoſitum & taniis, quibus columnarum diuerſi ordines diſtinguebantur. Beroaldus d. l. ſic putat appellatum, quod ſeptem ordinibus columnarum alius alii ſuperimpoſitis, tamquam Zonis ſiue cingulis ambitum, in altum aſſurrexerit. At id non videtur Marliano, nec eſt ſane, veriſimile: dicitque vocatum ab aliis ſeptiſolium, à ſeptem ſolariis: nam inter columnas quæ à tribus lateribus efficiunt veluti porticum, eſſe breue ædificium ex ſaxo quadrato ab imo ad ſummũ: hoc diuiſum in ſeptem veluti ſolaria, quibus moles ipſa connexa firmior efficiatur. Non valde diuerſa ratione Plato ζωμάτια, *Zonaras Nicetas, ac Heliodorus* ζωστῆρας *nauibus tribuunt, quib⁹ illa moles incincta conſtringatur. S. Seueriani ſeptizonii apud Marlianum ichnographiam contemplor, vtrinque ſeptenas columnas è baſi video conſurgentes, à quibus illius nominis originem duci, prope eſt vt credam. Verum hæc vt incerta in medium relinquentibus ad* πρόχειρα *feſtinandum. I. Scaliger animad. Euſeb. pag. 209. b. Omnia*

alia

alia immania ædificia, ex molibus alia alii impositis consurgentia, & verbis Ammiani (16.c. 17.) Giganteos contextus, *affirmat appellata Septizonia. Sed autorum exempla requiro.*

CAPVT II.

1. Educatus in aula cum [a] Brittanico [b] simul, ac paribus
2. disciplinis, & apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore aiunt [c] metoposcopum à [d] Narcisso Claudii liberto adhibitum vt Britannicum [e] inspiceret, constantissime affirmasse, [f] illum quidem nullo tempore, cæterum Ti-
3. tum, qui tunc prope adstabat, [g] vtique imperaturum. Erant autem adeo familiares, vt de [h] potione qua Britannicus hausta periit, Titus quoque iuxta [i] cubans gustasse credatur,
4. grauique morbo afflictatus diu. Quorum omnium [k] mox memor, statuam lei auream in Palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ [m] Circensi pompa [n] hodieque præfertur, dedicauit, prosecutusque est.

a) *Claudi Cæsaris ex Messallina filio. Nominis rationem Dio lib. 60. pag. 781. b. tradit. Nimirum Claudio Senatus ob deuictos Brittannos, non ipsi modo cognomentum* Britannici, *sed & vt filius eodem quasi proprio suo nomine diceretur, decreuit.*

b) Συμφοιτητὰς, & συμπαιδευθέντας *Graeci vocant. Et sane pueros non solitarie, sed simul cum aliis instituendos, argumentis grauissimis euincit Quintilianus lib. 1. Instit. orator. cap. 2.*

c) *Quasi* frontis inspectorem *dicas, aut vno verbo (sit venia)* frontispicem: ἀπὸ μέτωπον, *frons, &* σκοπεῖν, *inspicere, perscrutari. Plinius tamen & ipse Græca voce, sed interpretatione iuncta, fuit vsus lib. 35. cap. 10.* Apelles imagines adeo similitudinis indiscretæ pinxit, vt (incredibile dictu) Apion. Grammaticus scriptum reliquerit, quendã ex facie hominũ addiuinantem, (quos Metoposcopos vocant) ex iis dixisse aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. *Quo loco notandum,* τὸ μέτωπον *a Plinio verti, non frontem, sed* faciem, *tanquam videlicet in hoc nomine* Metoposcopia *pars ponatur pro toto, ad eamque simul &* Ophthalmoscopia, *diuinatio ex oculis ceteraque facie pertineat: vt non sit necesse, quod hodie faciunt, hæc duo*

discriminare. Hanc, vt & Chiromantiam, Physiognomonia species facium. & vtrique præsidium a ratione, ab experientia, ab autoritate magnorum hominum, ipsiusque S. Scripturæ mutuantur, ad illam applicantes illud Salomonis, Proverb. 17.24. In facie prudentis relucet sapientia: *ad hanc vero hoc Iobi, cap.* 37.7. Deus in manu omnium hominum signat, vt singuli noverint opera sua. *Ipsi viderint. Sed certe tamen ista φυσιογνωμονικὰ, si Physices vltra metas non progressa, naturalibus tantum & ordinatis causis, effectibus, signis nitantur; nec habeant admixta, quod vt plurimum amat fieri, superstitiosa, ἀναπολόγητα, nedum Satanæ ludibria (cuius μυστοτεχνίαι* Fraus in *huiusmodi* paruis fidem sibi præstruit, vt, cum operæpretium sit, cum mercede magna fallat, *iuxta Liuianum illud,* 28. *c.*42.) *quamuis necessitas iis nulla nec magna fides insit, inter artes tamen σχολαστικὰς, ac ingenio liberali non indignas qualitercunque locum tueri posse videntur, ac vsum in vita humana non contemnendum præbent. Ita* Pythagoras adolescentes, qui se se ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνώμει. Id verbum significat mores naturasque hominũ coniectatione quadam, de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu scisciatari. Eum qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat, &c. *Agellius lib.* 1. *Noct. Attic, cap.* 9. *& Iamblich. lib.* 1. *de vita Pythag. cap.*17. *Libanius, qualis quisque esset ingenio, confestim norat, illiusque animum, in vitia an virtutes pronior esset, perspectum habebat.* Eunap. in Liban. pag.171. m. *Quam si artem calleremus adhuc, aut exerceremus, non tot admoueremus asinos ad discendam lyram, & operam perdentes & oleum. Ita non nisi per physiognomian Theodorus Gadareus, Tiberii Cæsaris in arte Rhetorica præceptor, in eo adhuc puero sæuam ac lentam naturam perspexit sagaciter, ob quam eum in obiurgando subinde appellauit* lutum sanguine maceratum: *quod videret* incedentem ceruice rigida & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitum: nullo, aut rarissimo, cum proximis etiam sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione &c. *vt est apud Autorem in Tib. cap.*57. *&* 68. *Quid de Iuliani moribus & ingenio quibus ex hac eadem arte notis iudicauerit ac vere prædixerit D. Gregorius Nazianzenus, ex eius inuectiua* 2. *contra Iul. & lib.* 3. *contra Pagianor. mores, itemque Nicephoro lib.*10. *c.*37. *notum est. Aristoteles etiam in Politicis suadet, ad magistratum legendos illos, qui sint forma decenti, nec monstrosa: & alibi ab his cauendum esse monet, quos natura signauit. cuiusmodi hominum genera quinque Galli numerant, ac de iis hoc vsurpant:* il est marque du B. *scilicet,* Bastard, Borgne, Begue, Boiteux, Bossu. *Sed ars ista naturæ signacula mul-*

& multo plura nostrum ad vsum atque cautelam edocet. De vxore physiognomonicè, Sapientum Indorum exemplo, ducenda, Nicostrati locus elegans idemque prolixus extat apud Stobæum. serm. 68. Sed vt ad Nostrum redeamus, si quæras, ecquo suæ artis axiomate metoposcopus Imperium Tito tribuerit, ademeritque Britannico; de Solis aut Iouis in fronte linea bene secusue disposita nescio quid muginabuntur, qui heri aut nuper artis illius præcepta tradiderunt. His, duplici ratione moueor, vt ne præbeam assensum. Erant Græcis atque Saracenis in vsu certi vaticiniorum libri, quos ὁράσεις, Visiones appellabant, vt ex Gregora, Zonara, Luitprando notum: & in his Palæologum bene versatum fuisse, Pachymerius lib. 1. cap. 11. tradit. Erat autem in iis perscriptum, quis, qua fortuna, quam diu regnaturus esset: & quidem imperaturi, cum aliis, tum corporis quibusdam notis describebantur, euentu fere ad miraculum vsque congruente. Talibus ex signis Imp. Theophilus Basilium & in imperio sibi successurum, & familiæ suæ pestem futurum, vxori suæ Theodoræ vere prædixerat: quæ à filio Michaele ad conuiuium inuitata, in Basilium illum vna discumbentẽ, oculos cum defixisset, oborta vertigine corruit, & causam rogata subitæ consternationis; hunc illum ipsum esse, qui cum exitio suæ familiæ sit imperaturus, ex signis à marito sibi reuelatis deprehendisse se respondit: signis vtique physiognomonicis adeoque metoposcopicis: sed non planetariis illu frontis lineis, (quæ plerunque sic exiles, vt propius etiam admouentibus oculos non satis dignoscantur) verum ex interuallo nonnullo conspicuis. Deinde cum hoc genus argumenti apud Græcos accurate tractarint Zopyrus, Loxus, Polæmon, alii, vt Origenes contra Celsum lib. 1. testatur: neque id Latinis intentatum fuisse, indicet autoris grauissimi Trogi Pompeii fragmentum apud Plinium lib. 11. cap. 52. etsi nunc præter Aristotelis, Polæmonis & Adamantii Sophistæ φυσιογνωμονικὰ nihil ad manus nostras peruenerit: tamen neque ex hisce reliquiis, nec vllis vetustatis monumentis vel vestigium odorari licet illius frontalium linearum inter planetas distributionis; quarum suprema & capillis proxima Saturno dicatur, altera Ioui, tertia eaque media Marti, sequens Veneri, supercilio dextro incumbens Soli, supercilio sinistro Lunæ: has intericeta, circa radicem nasi, Mercurio adscribitur. Nam patrum demum memoria primus Thaddæus Hagecius Medicus, absque ratione saltem in speciem probabili, commentus ista fuit: tumque secuti è recentioribus vnus & item alter, etiam serii viri. non quod ista lienamenta frustra condita credam: nihil enim in natura frustraneum est: sed profecto decreta significatue corporum cælestium istiusmodi ocularibus arguriis includere, & ad arbitrii nostri linearum distinctiones aptare, ἄλογον est, ἀφιλόσοφον est.

d) *Est ille Despotikyrius,*
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia: cuius
Paruit imperiis, vxorem occidere iussus. *Iuuenal. Sat.* 14. *Quæ causa vero de Britannici fortuna sollicitius inquisierit, ex Tacito,* 12. *Annal.* 67. *colligitur.*

e) *Inspecto vultu fata fortunamque eius prædiceret.*

f) *Britannicum.*

g) *Haud dubie, certo.*

h) *Venenata, Locusta, nobilissimæ pharmacentriæ ministerio parata, qua Nero Britannico fratri secum epulanti mortem accelerauit. Rem fusius exsequitur Tacitus lib.* 13. *Annal. cap.* 15. *&* 16.

i) *Imo vero* sedens. *Noster, Claudii capite* 32. Adhibebat cænæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum *SEDENTES* vescerentur. *Et in Augusto, cap.* 64. *de nepotibus eius*: neque cænauit vna, nisi vt imo lecto adsiderent. *Et vero diserte dicto modo loco Tacitus affirmat, epulo isti venefico Britannicum adsedisse, non accubuisse. Nec est verisimile, Titum in pari ætate, ac simul educatum, supra Dominum honore affectum fuisse. Honoratiorum enim & prouectiorum erat, accumbere seu cubare: à pueris, vt & à seruis, accubitum, quasi luxuriæ ritum illi ætati ordinue non decorum, spernebant: vt pluribus ostendit Lipsius Not.* 43. *ad Tacit. lib.* 13. *Annal. & lib.* 3. *Ant. Lect. Quare numeremus hoc inter παρεφθαρμένα Suetonii.*

k) *Iam Imperator factus.*

l) *Britannico.*

m) *De ludorum Circensium pompa copiose disserit Onufrius Panuinius lib.* 2. *de ludis Circens. cap.* 2.

n) *Etiamnum hodie, scilicet Suetonii temporibus. Alii legunt,* hodie quoque præf.

CAPVT III.

[a] In puero statim [b] corporis animique dotes exsplenduerunt: magis ac magis deinceps per ætatis gradus: [c] forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset quam gratiæ: præcipuum robur, quamquam neque procera statura, & [d] ventre paullo proiectiore: memoria singularis, [e] dolicitas ad omnes fere [f] tum belli tum pacis artes. [g] Armorum & [h] equi- 1.

tandi

tandi peritissimus: [i] Latinæ [k] Græcæque linguæ, vel in orando, vel in [l] fingendis poëmatibus, promptus & facilis ad [n] extemporalitatem vsque: sed ne [o] musicæ quidem rudis, vt qui [p] cantaret & [q] psalleret [r] iucunde [s] scienterque. E pluribus comperi, [t] notis quoque excipere velocissime solitum cum [u] amanuensibus suis per ludum iocumq; certantem [x] imitari chirographa quæcumque vidisset: [y] ac sæpe profiteri, *se maximum falsarium esse potuisse.*

a) Nihil quod ad vltimum sui finem peruenturum est, non & mature, & celeriter incipit, *ait Valerius Max. lib. 8. cap. 7. exemplo Pythagoræ: Idemque lib. 3. cap. 1. aliis etiam exemplis demonstrat, primis statim annis conspici* quasi cunabula quædam & elementa virtutis: animique procedente tempore ad summum gloriæ culmen peruenturi, certo cum indolis experimento, dari gustum. *Huc referenda, quæ disserunt egregium par emblematographorum, Ioach. Camerarius cent. 2. embl. 29. & Iul. Guil. Zincgrefius embl. 62. Sed hæc nimirum accipienda de indole & spe tanquam in herbis ostensa: non de præmaturo fructu. Nam* illud ingeniorum veluti præcox genus (*Quintiliani sunt verba 1. c. 3.*) non temere vnquam peruenit ad frugem: vt quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt: & imitatæ spicas herbulæ, inanibus aristis ante messem flauescunt. *Ea de re multa notauit erudite Piccartus obseruation. decad. 11. cap. 10. & dec. 14. c. 4. Verum vt in excessu præcoces hi, sic in defectu peccant ὀψιμαθεῖς illi, qui iam prouecta ætate se conferunt ad discendum.* Seros studiorum *vocat Horatius lib. 1. satyr. Nam*, vt corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt: sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. *Quintil. 1. c. 1.* Nec sine causa παιδομαθεῖς (*h. e. à pueritia edocti*) dicuntur ii, qui in sua quidque arte optime faciunt. *Idem, 1. c. 12. Adde quod* turpis & ridicula res est, elementarius senex. Iuueni parandum, seni vtendum est. *Senec epist. 36. Adde quod ὀψιμάθειαν inepta plerunque, seri licet, ac proin imperfecti, profectus ostentatio & arrogantia comitatur.* Ὀψιμαθεῖς homines scis quam insolentes sint, *inqui- Cicero 9. fam. ep. 20. Et plurib. Agellius lib. 11. noct. Attic. c. 7.* Est adeo id vitium plerumque seræ eruditionis, vt, quod numquam didiceris, diu ignoraueris; cum id scire aliquando cæperis, magnifacias, quo in loco cunque & quacunque in re dicere. *itemque lib. 15. cap. 30.* Qui ab alio vitæ genere detriti iam & retorridi, ad literarum disciplinas serius adeunt.

eunt, si forte iidem garruli natura & subargutuli sunt, oppido quam fiunt in ostentatione literatum inepti & friuoli.

b) *Dotes has animi corporisque Graeci Philosophi vocant τὰ κατὰ φύσιν: indeque Varro in lib. de Philosoph.* Primigenia. *Cicero lib. 5. de Finib.* Prima secundum naturam: *D. Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 2.* Prima naturæ. *Inter prima corporis numerant incolumitatem conseruationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, cæteraque generis eiusdem: quorum similia sunt prima in animo, quasi virtutum igniculi & semina: quæsi adolescere liceret, nec malis moribus opinionibusque depranatis, ceu spinis succrescentibus, præfocarentur, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret, vt ait Cicero d. lib 5. de Finib. post pr. & lib. 3. Tuscul. quæst. a pr.*

c) *Cicero lib. 1. Officiorum capite 36.* Cum puchritudinis duo genera sint, *inquit*, quorum in altero Venustas sit, in altero Dignitas; Venustatem muliebrem ducere debemus; Dignitatem, virilem. *De posteriori genere pulchritudinis vt sibi sermonem esse ostenderet Autor, addit, forma Titi* non minus auctoritatis adfuisse, quam gratiæ. *Quomodo & Tacitus lib. 2. Histor. cap. 1.* Erat Tito decor oris, cum quadam maiestate. *Id scilicet Euripides apud Stobæum serm. 63. à pr. vocat εἶδος & ἄξιον θεωρεῖν: ea est, interprete Tacito (4. A. 15. vbi de Nerone)* Forma principe viro digna. *Talem autem in imperante non magnopere requirendam esse videri queat, cum vel ipso Tacito teste, lib. 1. Histor. cap 7. non sapientum, sed* Vulgi *iste* mos sit, Imperatores forma & decore corporis comparare: *& vt est apud Curtium lib. 6. c. 5. fere tantum* Hominibus barbaris in corporum maiestate veneratio sit, magnorumque operum non alios capaces putent, quam quos eximia specie domare natura dignata est. *Verumtamen neque vulgi vulgare, nec barbarorum barbarum iudicium istud est. Quamuis enim* Imperium in virtute esse, non in decore, *dixerit Alexander Seuerus apud Lampridium cap. 33. tamen* addit Virtuti forma suffragium: *eo quod* augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cælo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus, dignum prius metatur hospitium: siue cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo: siue aliud ex altero crescit, & cum se paria iunxerunt, vtraque maiora sunt. *Latinus Pacatus panegyr. cap. 6. & 7. Sic* in Vatinio deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur. *Vell. Paterculus lib. 2. cap. 69. Quæ ex domicilii specie de habitatoris ingenio coniectura vt in pleruque verisimilis est: sic vera quoque deprehensa*

fuit

fuit in Zenone, quem Imp. Leo Magnus, propter & animum minime regium, & formam Imperio indignam, spe successionis in imperio deiecit. Erat enim & facie odiosissima: & animo longe deteriore: *vt scribit Zonaras in Leone M. Quid, quod & sapientissimus Plato lib. 7. de Repub. Custodes Reipub. non solum vult esse* βεβαιοτάτους καὶ ἀνδρειοτάτους, *constantissimos fortissimosque: verum etiam* κατὰ δύναμιν ἐνειδεστάτους, quantum fieri potest, speciosissimos. *Etsi vero non negamus, inueniri nonnunquam, quorum* ingenium male habitat, *vt M. Lollius iocabatur in Galbam, eloquentia clarum, sed quem habitus corporis destruebat (Macrob. Saturnal. 2. c. 6.) esseque non tam externis corporis, quam internis animi bonis quemque metiendum, iuxta praeceptum Hebraeorum oppido vetustum* μὴ λογίζου τὸν πίθον, ἀλλὰ τὸ ἐν αὐτῷ Ne respicias dolium, sed quod est in dolio: *tamen hoc adseueramus, intendi cumularique laudem, si dotes animi, corporis quoque commendentur dotibus.* Quae licet fortuita & inania putentur: Principi tamen plurimum venerationis acquirunt. *Plin lib. 1. epist. 10. Omninoque Virgilii suffragio, 5. Æn.*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

P. Scipionem Africanum, praeterquam quod suapte natura multa maiestas inerat, adornabat promissa caesaries habitusq; corporis, non cultus mundiciis, sed virilis, ac vere militaris. *Liuius 28. c. 35.* Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris &c. nonne longe lateque Principem ostentauere Traianum? *Plin. panegyr. cap. 4.*

d) Ventre prominulo, *vt loquitur in Pertinace cap. 12. Capitolinus. Verbis Plauti Asin. 2. 3. erat* aliquantũ ventriosus. *Habebat, vt nostrates dicere solent,* ein Schultheis oder Herrenbeuchel. *Quae corporis habitudo nil dignitati detrahit: addit quin potius. Secus est in illis nimium Crassis,* queis venter sesquipede extat, *vt ait Poëta. Cuiusmodi obesos, & superflua carne distentos, Epaminondas Thebanorum Imperator oderat: & quendam eorum eiecit exercitu, dicens, ventrem eius, prae quo sua virilia videre nequiret, vix tribus aut quatuor scutis tegi posse. Plutarch. in apophthegmat. pag. 192. c. Sic Domitianus deformis obesitate ventris.* Sueton. in Domit. c. 18. Inter Vitellii vitia corporis, ponit autor etiam *Ventrem obesum*, in eius vita, c. 17. Ptolemaeus Ægypti Rex, *quotidiana luxuria ita marcens, vt sensu hominis nimia sagina careret.* Iustin. 34. c. 2. fin. Idem (vt puto) Ptolemaeus, *sagina ventris non homini, sed belluae similis.* Iustin. 38. c. 8. m. Athenaeus 12. c. 27.

e) *Quae Graecis* εὐμάθεια *&* εὐφυΐα *Cicero 1. Acad. quaest. & 5. de Finib.* celeritatem in discendo *vocat: Arnobius lib. 5.* viuacitatem ingenii: *cui opponitur stupor, seu hebetudo & tarditas ingenii. Hoc vero Tito singulari laudi*

est, quod ad omnes fere *tum belli, tum pacis artes docilis fuerit. id quod pauciſſimis contingere, tum experientia loquitur: tum Sapientes paſſim inculcant. Velut Homerus* 13. *Iliad. verſ.* 729.

Haudquaquam poterit ſortirier omnia ſolus.
Namque aliis diui bello pollere dederunt:
Huic ſaltandi artem, voce huic cytharaque canendi:
Rurſum alii inſeuit ſagax in pectore magnus
Iuppiter ingenium ———

Et rurſus lib. 18. *Iliad. verſ.* 252.

Vnus conſiliis, alter præſtantior haſta.

Quo videtur aſpexiſſe Propertius lib. 3. *eleg.* 9.

Hic ſatus ad pacem: hic caſtrenſibus vtilis armis

Et Plinius in Panegyr. c. 4. Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace: alium toga, ſed non arma honeſtarunt.

Adeo ſcilicet ——— partitim ſingula quemque
Nobilitant &c. *Claudian. lib.* 1. *de Laud. Stil. verſ.* 32.

Ioannes Huartus, philoſophus ac Medicus Hiſpanus, in libro, quem Examen de ingenios para las ſcientias inſcribit, cap. 8. *& paſſim diſputat, vnum hominem ad vnam tantum diſciplinam propenſionem habere naturalem: eoque videndum, vt quisque diſciplinam, ad quam ὁρμῇ quadam naturali feratur, vnice ſectetur: cum ex natura & artis coniunctione ſumma perfectio exiſtat. Quemodo Baldum referunt in ætate iuuenili Medicinæ operatum, in ea nihil Laude præſtitiſſe dignum: igitur ea deſerta Iurisprudentiam amplexum, ad quam cum videretur natus, ita breui profecit, vt ICtorum Coryphæus haberetur. Ita Virgilii mira fuit in Poëſi felicitas, quæ illum in proſa oratione deſeruit: contra Cicero regnauit in foro, princeps Oratorum habitus: ſed ad poëſin tam male natus, vt inimicis eius carmina deridiculo fuerint. Ita de cæteris: vt non abre, præter Huartum, iam olim ex oratore celeberrimo, Caſſio Seuero, Seneca declamator lib.* 3. *controu. poſt princ. oſtenderit, vnum hominem ad omnia, vel ſaltem plura natum non eſſe.* Vt apud Galenum, medicamenta polychreſta, nihil eximie in vllo certo morbo præſtare poſſint; quanquã in pluribus rectè adhibentur: ita quoque verſatilia hæc ingenia. Phil. Scherbius in diſputationib. pag. 78. *Sed nimirum in pterisque ſic eſt hominibus. At ſunt, quod vel Titi noſtri exemplum negare vetat, ἐξαίρετοι nonnulli,* Queis meliore luto finxit præcordia Titan, *acerrimi & ad omnia verſatilis ingenii vigore igneo homines; qui vel, vbicunque ingenium intendant, ibi valent:* Salluſt. Catil. c. 51. pr. *vel etiam definito ſcientiæ genere non contenti, plura ſi-*

mul

mul industria complectuntur. Cuiusmodi admirabilis ἐυφυΐα fuit etiam in Origene, quem feliciter omnes disciplinas percepisse, & laboriose docuisse Alexandriæ, refert Eusebius in Historia Ecclesiastica, & Epiphanius, quum de Origenistis. Talis Aristoteles, Eratosthenes Pythagoras, Varro, cæteræque diuinæ mentes, nec his vlla parte inferior vterque Scaliger. Quanquam hæc vniuersalis propensio (quam Alexander Aphrodisæus, Græcus Topicorum Aristotelis interpres, sub finem lib. 8. ἐυφυΐαν πρὸς πάντα μαθήματα vocat, &, quod mirum, propensioni ad vnam certam disciplinam postponit) ob vitæ breuitatem, & auocamenta varia, rarissime potest in actum deduci, saltem vt quis in omnibus excellat. Vt *autem* satius est, vnum aliquid insigniter facere, quam plurima mediocriter: ita plurima mediocriter, si non possis vnum aliquid insigniter. *Plinius lib. 9. epist. 29.*

f) *Copula difficilis, vt ostendimus, & omnino rara: sed in perfecto politico necessaria: quam Homerus etiam in Agamemnone suo commendat Iliad. 3. vers. 179.*

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητὴς:

Vtrumque, & rector bonus, & bonus induperator.

Sic Aristidem, Periclem, Themistoclem, Alcibiadem, Phocionem, & alios, cum belli, *tum* pacis *simul artibus excelluisse Plutarchus in Phocione tradit, Quibus Græcis Romani suum Catonem Maiorem, Pompeium, alios, opponunt, si non anteponunt.* Firmanda est Respub. non *ARMIS* modo, neque aduersus hostes: sed, quod multo maius, multoque asperius est, bonis *PACIS ARTIBVS. Sallustius orat. 1. de ord. Rep. à princ. Cum igitur aliis quibusuis sunt* adolescentibus ea potissimum discenda, quæ aliquando viris factis vtilia ac honorifica sunt futura, *vt apud Laertium 2. c. 8. & Plutarchum in Laconicis, siue Aristippus, siue Agesilaus, seu Leotychidas, aut alius quispiam (pluribus enim id adscribitur) asserunt: tum vero præcipue ii,* qui ita nati sunt, vt bona malaque eorum ad Rempub. pertineant, (*quod de Germanici liberis ad Imperii spem educandis Tiberius inquit apud Tacitum 4. Annal. 8. talibus imbuendi sunt artibus ac disciplinis, quib. aliquando Principatum aut Rempub. vtroque tempore, & belli, & pacis, recte gubernare possint, vt Imp. Iustinianus inquit in proœm. Institut. Hæ enim illæ ipsa sunt* artes, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur: *qualibus* eruditum fuisse Seruium Tullium Rom. Regem, *testis Liuius est lib. 1. cap. 39. Quare hoc institutionis Principalis vel Titi nomine, qui Gemma Principum, imitandum Principibus omnibus exemplum est. Quid enim Princeps & idem iners?* Pecus aurea, *verbo C. Cæsaris apud Tacitum lib. 13. Annal. à princ.*

g) *Non contentus autor generaliter indicasse, quod omnibus fere belli ac pacis* artibus *Titus operatus sit, etiam in specie vtrarumque aliquas nominatim recenset: & in his primo loco* peritiam armorum. *Acutus ille doctor ab Etruria, leuibus rationibus hanc artem esse negat. Aliud, ecce, Nostri iudicium est: sed & Vegetii, cui* non parua aut leuis ars videtur armorum *lib. 1. de re milit. cap 4. Omnia enim hic Artis requisita deprehendas. Est primo conspectissima in vita humana vtilitas, à qua Vegetius in prologo libri 3* Militiam artem *vocat*, sine qua aliæ artes esse non possunt. *Quippe, suffragio Ciceronis,* Omnes vrbanæ res, omnia hæc nostra studia, & hæc forensis laus ac industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. *Pro L. Murana, c. 10.* Οὐδὲν οὐδενός ἐστι, πλὴν τοῦ σπουδάζοντος κατὰ πόλεμον Nihil cuiusquam est, nisi eius, qui rei bellicæ studet. *Pachymerius lib. 3. Histor. Byzant. cap. 16. Deinde præcepta, ludi, doctores. Et quidam* Athenienses primi experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem præliorum scripsisse firmantur, vsque eò vt rem militarem, quæ virtute sola, vel certe fælicitate creditur contineri, ad disciplinam peritiæque studia reuocarint: ac magistros armorum (quos τακτικοὺς appellauerunt) iuuentutem suam vsum varietatemque pugnandi præceperint edoceri. Horum sequentes instituta Romani, Martii operis præcepta, & vsu retinuerunt, & literis præceperunt. *Veg. lib. 3. præf. Disciplina militaris iam inde ab initiis vrbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinata modum venerat. Liu. 9. c. 17. m. Denique nec abest exercitatio. Qua de Rex Theodericus apud Cassiodorum lib. 1. epist. 40.* Ars bellandi si non præluditur; cum necessaria fuerit, non habetur. Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa EXERCITATIONE confidunt. *Ita Seneca epist. 18.* Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Armorum porro exercitia quæ qualiaque fuerint apud Romanos, edisserit I. Lipsius lib. 5. de Milit. Rom. dial. 14.*

h) *Ranimirus, Hispanorum Rex è Monacho factus, contra Saracenos suscepta expeditione, cum sinistro brachio scutum, dextro lanceam adaptasset, mox fræna equi præhendere iuberetur:* Qui possum, *inquit*, vtraque manu occupata, nisi dentibus hæc retinenda quis porrigat? *Quam ob imperitiam à Proceribus irrisus, aliis commisso regno, ad monachos ipse rediit, vt scribunt Collenutius lib. 1. Histor. Neapol. & Rodericus Sanctius Hist. Hispan. parte 3. cap. 30. Quem ob risum vitandum non modo, sed & ob conspicuam domi militiæque artis equestris vtilitatem ac prope necessitatem (non enim iucunditatem*

ditatem addam) maximos quosque Principes, Cyrum, Alexandrum Magnum, Mithridatem, Totilam, & patrum memoria Imp. Carolum V. ea vt excellerent, operam dedisse, atque adeo perfecisse constat. Imprimis autem Romani veteres, vt apud quos tota militiæ dignitas in equitatu consistebat, velut egregie disputat Amiratus contra Machiauellum lib. 19. disc. 2. plurimum equestribus exercitiis tribuerunt: de quibus videndus omnino Lipsius lib. 3. Milit. Rom. dial. 7. Nostri equites tenuere concursus quosdam ludicros, quos Torneamenta *vocant &* Giostra: *vnde Græco-barbara, τζοῦστρον, τζοῦστρα, τζουστρίζειν) Otho Frisingensis* Tirocinia: *quæ quid fuerint iam ante sæcula aliquot, si videre libet, adeundus Nicephorus Gregoras lib. 10. hist. Byzant. cap. 3. sed maxime Nicetas Choniates in rebus Manuelis Comneni libro 3. pag. 119. Quemadmodum autem iam olim Plinius Paneg. c. 13. Romanos suos perstrinxit, quod* omisso patrio more, patria virtute, studium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore transtulerint: *ita nescio, an non & isti concursus equestres ad delicias fere versa & oblectamenta aulæ: quæ vt non aspernor, ita Guicciardini iudicium probo, qui lib. 4. de Galeacio Sanseuerino loquens,* Hunc virum, *inquit,* dum ex Alexandrino prœlio per fugam se subtraxit, egregie ostendisse, quanta differentia sit, equum artificiose domare atque tractare, & hastas in ludis Martialibus confringere, quibus rebus cæteros Italos superabat: & exercitum ducere.

i) *Non improbanda Cuiaciani codicis scriptura, etiam Grutero probata:* Latine Græceque vel in or. *Vt sit,* Græce promptus *ad eam formam, qua dicimus,* Græce doctus, Græce sciens. *Plautus Curcul. Act. 2, 1, 13.* scire diuinitus, *h. e. scire diuinandi artem: Sed neque tamen vulgata displicet.* Latinæ Græcæque linguæ &c. promptus. *Quomodo & Agellius lib. 20.* Plato veritatis omnibus exhibendæ promptissimus. Symmachus in epistolis à princ. statim: *promptus officii.* Sallust. lib. 2. hist. pag. 93. pr. *promptissimus belli. Sic Tacitus 2. Hist. 23* promptus animi Martius: *& 1. Annal 20.* vetus operis, *quem τρίβωνα Græci dicerent. Silius Italicus:*

—— Gnaros belli, veteresque laborum.

Sed ad rem. Ait Autor, Latine doctum fuisse Titum. Quid ergo? numquid hæc ei lingua vernacula? Fuit: attamen nihilominus adolescentum Romanorum nobilissimi quique quam diligentissime ad insuper excolendam eam incubuerunt: imitando, & nisi facimus, pudendo nobis exemplo: qui, cum lingua Germanica (quicquid B. Arias Montanus occinat) aliis quibusque linguis, selectissimorum verborum splendore, pulcherrimis & admirandis periodorum ductibus, & vniuersa orationis elegantia non cedat: eam tamen ipsimet (vt solet esse

vile,

vile, quicquid domi est. *Senec. 3. benef. 3.*) *numeratum in postremissimis: nec excolimus non modo: sed & exoticorum verborum, vt putamus, emblematis, vt res est, inquinamentis mirifice fadamus. Dicas in sentinam durare hanc linguam, ad quam reliquarum sordes torrente promiscuo deferantur. Iam à Latinis, Iam à Gallis, Hispanis etiam ac Italis mutuamur, quod domi longe nascitur elegantius. Horum hominum sinisteritatem, in Aristarcho suo, multo sale perfricuit Martinus Opitius: quem Germaniæ Virgilium posteritas dicet. Quanquam nec nostra sic incuriosa suorum ætas est, vt non animaduertat exoriens hoc nouum sidus. Et quoniam in exemplum egregii Principis Titum exhibemus: vt ipse cum aliis Proceribus Romanis, præter Romanam; didicit & Græcam linguam, duas hasce sibi sufficere putans, quod vtraque sparsa tum, & communis per terrarum orbem ita nostro quoque tempore, celso natis loco non Mithridates quidem imitandus: superfluum est, & maioris pompæ, quam vsus: sed neque tamen acquiescendum in sua vernacula: verum ad hæc dumtaxat adolescentia, cum viget memoria (pronectiores hic frustra sunt) insuper ea cognoscenda, quarum apud subditos aut vicinos vsus frequentior ac maior est: cuiusmodi sunt Latinitatis traduces illæ linguæ, ac ipsa præcipue Latina: cuius vsus omnium latissime sese diffundit, & orbis vniuersi discordes linguas, sermonis commercio contrahentis ad colloquia: & vero scientias artesq; futuro Principi necessarias, omnes, si qua alia, complectentis. Amœn autem & Græcam vix putem. Obtabile id quidem ac inprimis vtile foret, tum quod res quæque pulcherrimæ illa linguæ perscriptæ: tum quod vix sit, vt bene Latinam linguam norit, qui Græcæ omnino imperitus est. Verumtamen neq; vsui eius hodie tantus, vt olim apud Romanos, propter frequens cum natione Græca commercium, & quia tum, vt scribit in Archiana Cicero, Græca legebantur in omnibus fere gentibus: (quæ & causa videtur, ob quam Nouum Testamentum lingua Græca scriptum fuit) nec tanta discendæ facilitas. Quippe non vsu, vt olim, sed, qua peruersa docendi ratio vbique locorum obtinet, eu inculcatis insipidissimis regulis, & sterilibus præceptis, ærumnabili labore cognoscenda proponuntur. Vel in sola lingua Latina discenda, docentium vitio, prope totum nobis abit ætas adolescentiæ. Quid fiet, si Græcam insuper adiicias? quam cum ne in ipsis quidem hominibus, qui schola, non vitæ discunt, vt nunc mores ac tempora sunt, exigamus vt necessariam; cur in istis magnopere desideraremus, qui præcepto Senecæ, vitæ, non schola discere debent?*

l. m) *Huc spectant, quæ de Tito Plinius ad ipsum, in præfatione histor. natural. post princ.* Fulgurat in nullo vmquam verius dicta vis eloquentiæ, tribunitiæ potestatis facundia. Quanto tu ore patris (*Imp. Vespa-*

siani)

siani) laudes tonas? quanto fratris (*Domitiani*) amas? quantus in Poëtica es? O magna fœcunditas animi! quemadmodum fratrem quoq. (*quem in eloquentia eminentissimum, & poëtarum maximum dicit Quintilianus lib. 4. in proœm. & lib. 10. c. 1. adulatorie id quidem*) imitareris, excogitasti. *Paullo post*, summa eloquentia, summa eruditione præditum *ait. Et quidem de Eloquentia Titi, ratio constat. Eam enim, vt in legationibus audiendis, in consiliis, in publicis alloquiis vtilissimam futuram, ad spem Reipub. vel Principatus educandi, merito sibi commendatam habent. Præiuit Augustus, qui, Autore nostro teste cap. 84. Cum cætera studia liberalia, tum* Eloquentiam ab ætate prima cupide & laborioſissime exercuit. *Et est ex historiis animaduertere, primum egregiæ indolis indicium in Principum Rom. filiis habitum fuisse publicam alicuius orationis declamationem. Etenim non tantum idem* Augustus annum duodecimum agens, aviam Iuliam defunctam pro concione laudauit, *quod scribunt Sueton. cap. 8. & Quintilian. 12. c. 6. Sed etiam* Tiberius nouem natus annos *idem officium patri suo peregit. Suet. in Tib. cap. 6.* Caius Liuiam Augustam proauiam suam defunctam prætextatus etiam tum (*h. e. in puerili ætate*) pro Rostris laudauit. *Idem in Cal. c. 10* Claudium *adolescentem quoque licet mente captum putaret*, declamantem sibi non displicuisse *dicit Augustus. Idem in Claud. c. 4. Sed &* Nero, *cum à Claudio adoptatus, & in Imperii spem erectus esset, vt* honestis studiis & eloquentiæ gloria notesceret, pro Troianis & Bononiensi colonia facunde perorauit. *Tacit. 12. Annal 58. Sed de* Poësi *non ab re dubites, eane vel in Tito, vel in quoquam imperante imperaturoue probabilis sit. Imp. Constantius Constantini F. neminem in Senatum allegit, nisi præter cæteram eruditionem & scribere sciret oratione vincta. Zonaras in eius vita. Quin* Hiarnum quendam *propter pauculos versus, in tumulum Frothonis III. Daniæ Regis confectos, ad regnum euectum fuisse scribunt Albertus Krantzius lib. 1 Daniæ, cap. 33. & Saxo Grammaticus Hist. Dan. lib. 6. à pr. Sed profecto nimium hi tribuisse videntur arti diuinissimæ illi quidem: (errat, qui sentit aliter) attamen ad regendum, nisi alias, vt in Tito, suffulta sit artibus, ineptæ, certe non necessaria. Danos quidem illos, reuocato ad rationem iudicio, sui Regis poëtici statim pœnituit, à Fridleuo Frothonis filio postmodum oppressi. Placet iudicium Trebellii Pollionis, non ignobilis historiæ Augustæ scriptoris, de Gallieno, in eius vita cap. 11.* Fuit, *inquit*, Gallienus oratione, poëmate, atque omnibus artibus clarus. Longum esset, eius versus orationesque connectere, quibus suo tempore tam inter poëtas, quam inter rhetores emicuit. SED aliud in Imperatore quæritur: aliud in Oratore vel Poëta flagitatur. *De poetica*

rectissime: sed addit, ecce, quam nos tamen imperanti tribuimus vt necessariam, Oratoriam. Quomodo & Virgilius Æneid. 6. sub finem:

Orabunt alii melius: &c.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Verum hæc accipienda de morosa illa aut affectata, & quæ artem aut studium præferat, eloquentia, qualis hominum de schola recentium est, aut hoc vnice agentium: non item de illa, qualem tribuit Augusto Tacitus 13. Annal. 3, 5. Erat ei prompta ac profluens, & quæ Principem deceret, eloquentia. *Nec hoc sane dicit Virgilius, Principi regendum tantum, aliis orandum: sed addit,* orandum melius *artificiosiusque. Ergo tamen & Principi sentit orandum. Nisi κακὸν θέσσαντα hunc velimus, & infantem, aut ore semper vicario loquentē; quod vti dedecorosum, sic nō raro perniciosum esse solet. Egregie Plutarchus in aureolu illu gerēdæ Reip p. 801 f. & seq. præceptis post princ.* Sit versantis in Repub. viri oratio non iuuenilis, aut ad theatrum conformata, veluti corollam ex delicatis ac floridis vocabulis vndequaque colligentis: neq; rursum, qualem Demosthenis dicebat Pythias lucernam redolere, & sophisticam diligentiæ abundantiam, argumentis constantem acribus, & circuitionibus ad normam ac circinum accuratissime exactis. Sed quemadmodum Musici neruos pulsari volunt leniter, non impetu quodam concuti: ita oratio Rempubl. gerentis non debet præ se ferre vim dicentis, aut calliditatem: neque laudi sibi ducat, si existimetur dixisse ex habitu, secundum artem diuidendi: sed plena esse debet ingenuitatis, veræ animi magnitudinis, paternæ libertatis, prouidentiæ & sapientiæ, suorum curam gerentis, verborum maiestate, & sententiarum proprietate probabilitateque constans.

n) *Vt sine præmeditatione subitoque carmen aut orationem conficeret. Eiusmodi de αὐτοσχεδιασμῶν pronunciamus*, ingenium eos in in numerato habere. *Quintil. lib. 6. cap. 4 f. De Diogene, extemporali poëta, Strabo lib. 14. pag. 464, 36. vsurpat verbum ἐνθουσιάζειν. tanquam Apollinis instinctu concitatum pronunciare. In oratoria Titus Augusti retulit exemplum, de quo Nosser in eius vita cap. 84.* Publice numquam locutus est, nisi meditata & compositа oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. *Sic Nero ad Senecam, apud Tacitum, 14. Annal 55.* Quod meditatæ orationi tuæ statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum præuisa, sed subita, expedire docuisti. *Quod nescio quam bene conuenit cum illo Tacito, 13. Annal. 3.* primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem, alienæ facundiæ eguisse. *Nam si verum est hoc Quintiliani,*

liani, 10. *c.* 7. ex tempore dicendi facultatem esse maximum studiorum fructum, & velut præmium quoddam longi laboris amplissimum: *quomodo ex tempore dicere potuisset, qui nec dicere potuit: & aliquo* Stylone (*Suetonii verbum est in Illustr. Grammat. cap.* 3.) *habuit opus, qui suam ei facundiam commodaret? Porro num hæc seu carminis siue orationis extemporalitas probanda, disquirunt & Quintilianus d. lib.* 10. *cap.* 7. *& eruditiß. Taubmannus, appendice dissertationis de lingua Latina. Summa huc redit: in inexercitata iuuentute neutram probabilem; ac ne in exercitatis quidem, nisi quod interdum Oratorem subito dicere, subita cogit necessitas: qualis cum poëtas nulla premat, eos qui fundendorum ex tempore carminum facultatem ostentant, vanitatis inepta specimen dare, & hoc consequi, vt, dum stultis videri eruditi volunt, eruditis stulti videantur.* Nulla res *enim* (*ait Philosophus Platonicus*) eadem potest esse festinata simul & examinata: nec est quicquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ simul & celeritatis *Ex oratoribus tamen Cassius Seuerus, ex poëtis Archias nobis obiici potest: quorum ille*, coactus ex tempore dicere, infinito se antecedebat: numquam non vtilius erat illi, deprehendi, quam præparari, *teste Seneca patre in princ. lib.* 3. *epist. controuers. hic vero, commendante Cicerone, in orat. Archiana*, sæpe cum literam scripsisset nullam, magnum numerum OPTIMORVM versuum dicebat ex tempore, &c. *Verum Ciceronem caussæ seruisse, & præceptori periclitanti plusculum quam concedit veritas, tribuisse nemo non videt. Archia certe carmina non litarunt Æternitati, vt Virgilii, qui scribendis Georgicis suis septennium, Æneidi vndecennium impendit: vt Persii, qui & raro, & tarde scripsit, teste Valerio Probo* (*vel potius Suetonio*) *in eius vita: vt Euripidis, qui cum apud Alcestidem tragicum poëtam quereretur, quod eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset: atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur*: sed hoc, *inquit*, interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient. *Valer. Maxim. lib.* 3. *c.* 7. *Adeo verum Horatii præceptum est in Arte poëtica, quod* duratura poëmata *in nonum sint annum premenda. Et generatim Plinius sine epistolæ* 17. *libri* 7. Magnum, *inquit*, est, dare aliquid in manus hominum: nec persuadere mihi possum, non & cum multis, & sæpe retractandum quod placere & semper, & omnibus cupias. *Cassii vero Seueri exemplo non magis moueor, quam* Q. Haterii, qui fuit eloquentiæ, quoad vixit, celebratæ: monimenta ingenii eius haud perinde retinebantur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat: vtque aliorum meditatio & labor in posterum valescit: sic Haterii canorum illud & profluens,

fluens, cum ipso simul extinctum est. *Tacit. 4. Annal. 61. Vtut ergo talia propter extemporalitatem admirationi sint: tamen hortis Adonis a Platone comparantur, qui subito & vno die nati, celerrime pereunt. At quicquid laboriose satum est, vires magis a tempore capit, & Horatii verbis, lib. 1. od. 12.*

Crescit occulto, velut arbor, æuo.

Idem in Historia scribenda valere, vel Annalium Sleidanicorum perfectissimum illud opus in hac Vrbe confectum, argumento est, id quidem, si molem spectes, haud magnū: in quo tamen elucubrando ipsos annos sedecim autor absumpsit, sic attitiis ingenii memoriaque viribus, vt sub vitæ finem ne trium quidem filiarum, quas prima adhuc ætate orbas relinquebat, vel admonitus, reminisci posset. In alios, Historiam ἀβασανίστως, magna viuentium, magna posteritatis iudiciorum securitate streantium dicam, an scribentium? illa querela Thucydidis lib. 1. competit: οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται. *Quamquam aliorum alia est felicitas.* τοῖς δ' εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία, *vt est apud Suetonium nostrum in Claud. cap. 1.*

o) *Dandum id Romanæ tum consuetudini, quæ artem imperanti parum vtilem, certe minime necessariam, in eo non spreuit. Placet alias cordatum Themistoclis apophthegma, qui ob Musicæ imperitiam irrisus,* At ego, *inquit,* lyram aut psalterium tractare nescio: vrbem, quam paruam acceperim, claram & magnam reddere, id scio. *Plutarch. in Themistoc. post pr.*

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' εἶκος, οὐ ψαλμοῖς καὶ τερετίσμασιν.

vt ait ad ostentatorem Musicæ Diogenes apud Laërtium in Menedemo. Qua causa Philippus Macedo ad Alexandrum filium scite suauiterque canentem: Non te pudet, *inquit,* tam bene canere? *Plutarchus Pericle, in proœmio. Et addit præterea:* satis enim est, si vel audire vacet Regi, canentes alios: & Musis abunde honorem habet, si in huiusmodi artibus exercentes se spectet. *Quod de Imp. Andronico iuniore,* venatore & aucupe, *Nicephorus Gregoras lib. 11. cap. vlt. id ego de principe Musico, vel saltem nimis Musico dixerim.:* Πρὸς τὰ φαῦλα σπουδὴ ῥᾳθυμοτέραν ποιεῖ τὴν εἰς τὰ δέοντα φιλοτιμίαν: Minutarum rerum occupatio ad exsequendum officium segniores facit. *Minuta ergo Musica? Principalis quidem fastigii respectu: per se, si demas abusum, non vno nomine commendanda. C. Pedonis verbum est:*

Non eadem vulgusque decent, & culmina rerum.

p. q) *Diuersa hæc. Nam* cantare *vocis est* psallere *musicorum instrumentorum. Hoc discrimen obseruat etiam Agellius lib. 19. cap. 9. pr. Sic D. Paulus Ephes.*

tus Ephes. 5, 19. ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες τῷ Κυρίῳ: canentes & psallentes Domino, *&c.*

1. f) *Bene iungit hæc autor, non semper alioqui iuncta. Multi namq;* iucunde *quidem canunt, non item* scienter; *nec vt artis suæ rationem reddere possint. Quomodo fere Musici practici quendam vsum irrationalem, quam Græcis* ἄλογον τριβὴν *appellari Quintilianus* 10. *c.* 7. *scribit, non* μεθοδικὴν ἐμπειρίαν *habent.*

1) *Gruteri Musagetæ nostri meritis in Remp. literariam eximiis adscribendum & hoc, quod homines curiosæ literaturæ, quæ qualesque Romanorum eæ* Notæ *fuerint, ipsius beneficio non amplius ignorabunt. Nam è bibliotaphiis erutas lucis iurisque publici fecit, & Inscriptionum antiquarum absolutissimo corpori,* ὥσπερ ἐν προσθήκης μοίρᾳ *iunxit. Plutarchus in Catone pag* 770. *Bæas appellat* σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν: signa minutis & breuibus figuris multarum vim literarum complectentia. *Cicero lib.* 13. *ad Attic. epist.* 32. Quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti; credo quia διὰ σημείων scripseram, *hoc est, Notis: quibus vtentes, ex eo dicti* Notarii, (*quos hodie sic nominant,* tabelliones *rectius dixeris*) *itemque* σημειογράφοι, & ὀξυγράφοι & ταχυγράφοι, *De his Martialis lib.* 14. *epigr.* 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et Martiali quasi data opera lucem afferens Seneca epist. 90. *m.* Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur? *De Notario velocissime excipiente videatur & Ausonii venustum epigramma* 136. *Verum quia de Notis atque Notariis, accurate, vt semper amat, exsecutus est Lipsius centur.* 1. *ad Belg. epist.* 27. *desino plurium, nec alienâ scrinia compilo. Nunc hoc excutiamus, quod controuersia non caret, an, quorum in Iure mentio non infrequens,* αἱ σίγγλαι, *seu* σίγλαι, *seu* σιγλαὶ (*nam diuersimode scribunt*) *cum hisce Notis idem fuerint. Quod, vocis originationem spectanti negandum videri queat. Dicta enim* singula seu sigla, *vel* siglæ, *per syncopen, quasi singulæ,* (*scil. literæ*) *quomodo vincla, secla: item vigilias siue excubias, posteriores Græci dixerunt* βίγλας. *Hæc etymologia magno illi Cuiacio, lib.* 12. *obseru. cap. vltimo, placet: quam frustra vir doctus alius impugnat, & illud vocabulum contractum esse contendit ex* sigillo, *quasi dicas* siglum. *Quemadmodum enim* (*inquit*) *sigillum est parua iuncula seu nota, qua literas obsignamus: ita siglum est nota, qua intelligitur, plus esse intelligendum, quam expresse ad longum, vt dicunt, scriptum sit. Nam* (*addit*)

 si a sin-

si à singulis *deriuare velimus, tunc non* sigla, *sed* singla) *sicut à vinculis non vicla, sed vincla) dicendum fuisset. Hæc ille. sed errat ignoratione Græcobarbarismi, cui moris, in deriuatis ex Latio, fere literam N. omittere. vt* ῥωμανήσιον, *Romanense:* Κομιτατήσιον, *comitatense:* καστρήσιον, *castrense:* Κιρκήσια, *Circensia:* Μαρτήσιοι, *Martenses:* ἕρμητα, *armenta. Sic in Synodo Florentina,* κυφέτα *acciperem de confectis, quæ vocant, seu bellariis &c. Sigillum autem Græcobarbaris non* σίγλον, *vt vult ille, sed* σιγγίλιον, *&,* σιγίλλιον *est. Ergo sigla sunt singulæ, seu, verbo Agellii (17.c.9.) singulariæ* literæ, *sine coagmentis syllabarum, vim integræ dictionis exprimentes. Atqui vero diserte,* Notas literas non esse, *dicit lex 6. §. vlt. D. de bonor. possessionib. Et Cuiacius modo dicto loco multis exemplis demonstrat, easdem dictiones aliter Notis, aliter singulis seu Siglis describi solitas. Vnde & lex 1. §. ludi. D. de var. & extraord. cognitionib. item lex 40. D. de testam. milit.* literas *à* notis *distinguit: quod facit quoque Manilius lib. 4. Astronom. vers. 197.*

Hic & scriptor erit velox, cui LITERA verbum est:
Quique NOTIS linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas noua per compendia voces.

Nec aliter Iul. Firmicus Astrol. lib. 3. 8. Mercurius in septima domo, NOTARVM aut difficilium LITERARVM inuentores facit. *Et Sidonius 9. epist. 9.* Tribuit quoddam dictare celeranti scribarũ sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant SIGNIS, quod LITERIS non tenebant. *Hæc in vnam partem sunt: in alteram ista. Festus:* Nota nunc significat signum: nunc literas singulas aut binas. *Ergo literæ quoque singulariæ seu sigla, Notarum nomine veniunt. Moschopulus* περὶ σχεδῶν: Νόται παρὰ ῥωμαίοις τὰ γράμματα. ἀφ' οὗ Νοτάριος *Glossæ Basilic.* Νοτάριος ὁ τῶν γραμμάτων. Νότα γὰρ, τὰ γράμματα. *Isidorus lib. 1. Orig. cap. 24.* NOTAS etiam LITERARVM inter se veteres faciebant, vt, si quid occulte inuicem scriptura significare vellent, mutuo scriberent. Testis est Brutus, qui vsus iis LITERIS, eaq; acturus erat, NOTABAT, ignorantibus aliis, quid sibi vellent istæ literæ. *Et præced. cap. 22.* Quædam LITERÆ in libris iuris, verborum suorum NOTÆ sunt, quo scriptio celebris breuior fiat. Scribebatur enim, v.g. per *B. F.* bonum factum: per *S. C.* Senatusconsultum per *P. R.* populus Rom. per *D. T.* duntaxat: per supinam W literam mulier: per P. secundum naturam, pupillus: per q verso capite. pupilla &c. Cuius generis plurimæ consimiles NOTÆ in libris antiquis inueniuntur. Has iuris Notas nouitii Imperatores à codicibus legum abolendas sanxerunt: quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebant: atq; ita ius-

ita iusserunt scribendas in legibus literas, vt nullos errores, nullas ambages afferant: sed sequenda & vitanda aperte demonstrant. *Vides, ecce, singularias seu siglas, Notas appellari. Quomodo & in iisdem Imperatorum sanctionibus, quas hic memorat Isiodorus, siglæ nominantur* σημεῖα, *signa* (Σημείοις τισὶν ἐν τῇ γραφῇ χρώμενοι, ἃ τῶν σίγγλας καλοῦσιν, *ait Imp. Iustinianus in Constitutione de confirm. Digestor ad magnum Senatum, quæ est l.3.§.22.C.de vet. iur.enucl.*) *Atqui* σημεῖα *sunt ipsæ Notæ, quod non solum ex abinitio citatis locis Plutarchi & Ciceronis manifestum: sed etiam Galeno* διὰ σημείων γράφειν, *Notis scribere est. Ex quibus omnibus coniicio (noue id quidem, sed forte non improbabiliter) primo,* Notas & siglas *esse vocabula synonyma: deinde tam Notarum quam Siglarum nomine venire non tantum ista à Tirone, Seneca patre & aliis conficta signa, quæ nil cum literis habent commune: sed ipsas adeo literas, ad scripturam vel celandam, vel accelerandam (qui duplex earum finis) quomodocunque accommodatas: sic vt non* ταχυγράφοι *modo, sed &* κρυπτογράφοι *seu* Notis, *seu* Siglis scribere, *recte dicantur. De Notis id etiam autoritate nostri Suetonii confirmo: qui cum in Cæs. c.56. tum etiam in Aug. c. 88. illam occulte scribendi rationem, quæ commutatione literarum fit, vt scilicet, verbi gratia D. pro. A, E pro B, F pro C, &c. sumatur, expresse* per Notas scribere *vocat: cui tamen ea causa, non obseruatæ Latinitatis dicam impingit, hoc est, Romanum Romane loqui docet non - Romanus, Herm. Hugo de prima scrib. Orig. cap.17. idque comprobante Illustriss. Gustauo Seleno, in exactissimo Cryptomenytices opere, lib. 1. cap. 2. Quem, si Suetonius non placet, ad uc maiore Principem Principis autoritate premam. Imp. Augustus ita loquutus est. Eius ipsa ad filium verba suggerit Isidorus Orig. lib. 1. c. 24.* Innumerabilia incidunt assidue; quæ scribi ad alterutrum oportet, & esse SECRETA. Habeamus igitur nos NOTAS, si vis, tales, vt, cum aliquid Notis scribendum erit, pro vnaquaque LITERA scribamus sequentem hoc modo: pro A, B: pro B, C: & deinceps eadem ratione cæteras: pro Z autem litera redeundum erit ad duplex AA. *Ecce Notas Literas: ecce Secretam quoque scriptionem, quam Steganographiam & Scotagraphiam appellant, Notis peractam. Locus quem obiiciunt ex Suetonii Galba cap. 5.* Notata, non perscripta erat summa, *nihil obstat, si recte explices,* Notata, *h.e. notis quibusdam & compendiis seu literarum, seu quorumuis aliorum signorum breuiter & obscure perstricta:* non perscripta, *h. e. non verbis extensis, nec integre & plane, gradario literarum ordine, seu per consequentiam literarum expressa. Differunt enim, Scribere & Perscribere. Notis vtique rem scribimus: sed non perscribimus. Eadem ratione superius allegata Iuris alio-*

rumque

rumque loca caperem, in quibus Notæ *contradistinguuntur* Literis; *scilicet iis literis, quæ genuinam potestatem naturamq; suam retinent; quam vt primum vel transpositione vel quauis alia ad obscuritatem celeritatemue comparata ratione deponunt, & aliam ex composito assumunt; Literæ esse desinunt; incipiunt esse Notæ. Quod Suetonio* perscriptum, *id Græcis est* ὁλογράμματα. *Quomodo apud Galenum de medicam. compos. lib. 7. m. (t. 2. p. 413. 58.) refertur Menecratis Medici liber* ὁλογράμματος, *h. e. quo medicamentorum doses non illis Notis medicis ac numerorum characteribus expressæ, sed corruptelæ vitandæ causa literis integre perscriptæ fuerunt.*

De Siglis *hoc amplius addo, dictas vtique quasi* singulas: *sed etymologiæ rationem vulgo traditam esse falsam. Ipse Cuiacius (obloqui tanto viro fas esto: quem ad tales minutias non attendisse nihil mirum. Aquila non captat muscas) obseru. lib. 12. cap. vlt. existimat ideo sic dictas, quod singula singula verba denotent. Exempla subiicit: vt Senatum Populumque Rom. singulis ita designari, S.P.Q.R. Senatusconsultum ita: S.C. Dolus malus abesto, sic: D. M. A. In eam denique rem producit Agellii locum lib. 17. cap. 9. Videamus hunc: aliud dicet.* Libri sunt, *inquit*, epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium: in quibus epistolis inueniuntur LITERÆ SINGVLARIÆ, sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite. Nam verba ex his literis confici nulla possunt. Erat autem conuentum inter eos clandestinum, de commutando situ literarum, vt in scripto quidem alia aliæ locum & nomen teneret: sed in legendo locus cuiq; suus & potestas restitueretur. Quænam vero litera pro qua subderetur, ante iis, sicut dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adeo Probi Grammatici commentarius satis curiose factus, de occulta literarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum. *Ne res exemplo careat, vocabulum* animal *iuxta Cæsaris steganographiam, assumpta quarta quaque elementorum litera, sic scribitur,* d q m p do, *Hæ nimirum, ex Agellii mente sunt* Singulariæ, *seu* siglæ: *non quod litera singula singularum vocum indices sint: sed quia ἀσυνθέτως & incondite positæ, nullis syllabarum coagmentis, vt apparet, inter se deuinciuntur. Quæ scribendi ratio cum ea conuenit, quam hodie vulgo Ziphram & Chifram vocant. Vnde Gallis* dechifrer vne lettre *est, euoluere obscuritatem epistolæ, eamq; de Notis in literas redigere. Vt autem Ziphra, si spectes etymon (ab Hebræo safar, quod est, numerare, deductum) ad illam tantum occulte scribendi rationem pertinet, quæ numeris vtitur pro literis: & tamen ad aliæ quoque steganographiæ species accommodatur: ita quoque siglarum seu singularum vox*

pertinuit illa quidem initio tantum ad steganographiam per literas transpositas attamen amplificata postmodum arte (nam vetus illud inventum, præposterorum solertia, infrunita simplicitas est) significationem longe generaliorem, atque etiam cum ipsis Notis communem assumpsit. Est autem in vocabulorum eruenda significatione non tam respiciendum etymon & originatio, quæ sæpe à re dissidet, quam vsus,

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Sed nos iam satis aut plusquam satis exspatiati, redeamus ad lineas, quod dicitur, & in gradum.

u) *Hos* à manu seruos *dixit Noster in Cæs. cap.* 74. *vbi plura diximus.*

x) Inter cætera, propter quæ mirabile diuini artificis ingenium est, hoc quoq; existimo, quod in tanta copia rerum numquam in idem incidit: etiam quæ similia videntur, cum contuleris, diuersa sunt. *Senec. epist.* 113. *Hoc in operibus Naturæ: sed in Artis, idem est. Qua enim hic paria non disparia? Vel ex chirographo non difficilius quam ex suo quemque vultu, sua voce, dignoscas. Hinc adeo difficile est, ad amussim repræsentare manum alienam: quod Titus tamen, adiuuante vsum bonitate præcellentis ingenii, potuit. Talem artificem memorat Alexandrum Archiepiscopum, Iacobi Scotiæ Regis filium, Erasmus aduersus mendacium. Is olim Senæ ostendit Erasmo codicem quendam typis excusum, quem certo sciebat numquam ab eo lectum. In eo multa annotarat in spatiis marginalibus. Protinus agnouit Erasmus manum suam: sed codicem illum à se lectum visumue negauit. Ille contra:* legisti olim, sed excidit: alioqui vnde hæ tuæ manus notulæ? *Tandem cum risu fassus est dolum. Tum Erasmus:* Na; tu præclare falsarium agere possis, si velis.

y) *Qui è rhapsodiis pendent, fontes non legunt, nonnulli Titum magnum falsarium fuisse scribunt. Non fuit: esse potuit. quod ipsum tanto maiori laudi est. Is demum vere bonus, qui peccare cum possit, non peccat.* Virtus est, vbi occasio admonet, despicere, *vt ait Plautus Pers.* 2, 3, 16. *Neq; vero statim* falsarius *habendus, qui chirographum alienum imitatur, aut libellum: vt nimis generaliter loqui videtur lex* 23. *D. ad l. Corn. de falsi. sed qui dolo malo id facit, aut in alienam perniciem: qualium πλαστογράφων exempla complura producit, ac de pœna simul eorum disserit Ianus Langlæus semestrium lib.* 8. *cap.* 13. *Alioqui cum Tito & Alexandro quem diximus, falsarium facies & Imp. Augustum, quem Noster in eius vita cap.* 64. *tradit in erudiendis suis nihil aque laborauisse, quam vt imitarentur chirographum suum.*

CAPVT IV.

Tribunus militum & in Germania & in Britannia [a] me- 1.
ruit, [b] summa industriæ, nec minore [c] modestiæ fama: sicut
[d] apparet statuarum & imaginum eius multitudine, ac [e] titu-
lis per [f] vtramque prouinciam. [g] Post stipendia, [h] foro o- 2.
peram dedit, [i] honestam magis quam assiduam. Eodem- 3.
que tempore Arricidiam [k] Tertullam, patre equite Romano
[l] sed præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit v-
xorem: & in defunctæ locum Marciam [m] Furnillam [n] splen-
didi generis, & cum qua, [o] sublata filia, diuortium fecit. [p] Ex 4.
quæsturæ deinde honore legioni præpositus, [q] Tarichæam &
[r] Gamalam vrbes validissimas Iudææ in potestatem redegit:
equo quadam acie sub [s] feminibus amisso, alteroque inscen-
so, cuius rector [t] contra se dimicans occubuerat.

a) *scil. stipendia: militauit.*

b.c.) *Hanc enim scripturam Torrentiani cod. Casaubonus, fortasse consentientibus mss. recepit.* Αὐτολεξεὶ *prope Cicero famil. 12. epist. 16. pr.* Vide filium tuum summa modestiæ fama. *Neque tamen publicata displiceat:* summa industria, nec minore modestia & fama. *Bene iungit modestiam & famam.* Modesti in gloriam præcipites aguntur, *(Taciti verbis in Agric. cap. 41.) quam ipsam* αὐτοκήρυκες *isti ac* περιαυτολόγοι *gloriosuli plerumque corrumpunt: quippe quæ non secus ac crocodilus (ap. Plin. 8. c. 25.) insequitur fugientes, fugit insequentes.* Omnis arrogantia odiosa est. *Cicero diuinat. in Q. Cæcil. c. 11.* Omnis ostentatio non caret suspicione mendacii: quia quicquid assumitur, proprium non putatur. Dehinc iactantia auara laudis, multum decoquit de pudore. *Symmachus lib. 1. ep. 1. Quanto rectius, qui Pythagoræ præcepto,* πράττουσι μεγάλα, μὴ ὑπισχνούμενοι μεγάλα? *Talis* Iugurtha, *qui* plurimum facere, & minimum ipse de se loqui solitus, duci suo Scipioni modestissime parendo, in magnam claritudinem breui peruenit. *Sallust. Iug. c. 6, & 7.* L. Piso, quæ agenda erant, curauit sine vlla ostentatione agendi. *Vell. Paterc. 2. c. 98.* Ælius Seianus, actu otiosis similimus, nihil sibi vindicans, eoque assequens omnia: semper infra aliorum æstimationes se metiens: vultu vitaque tranquillus, animo exsomnis. *Idem, 2. c. 127. Eiusmodi modestia, & vt Ta-*

citus

citus (3. Hist. 50.) appellat, quieta industria, *in aularum præcipiti culmine multo maxime necessaria est : quando vel in priuata familia*, nos quoque, famulos habentes, tunc eos maxime comprobamus, si cum bona gratia in omnibus obsequuti, nihil se grande arbitrantur egisse, *vt ait B. Chrysostomus homil. 3. in D. Matthæum. Italorum dicterio*, Chi ben serue e tace, assai domanda.

d) Apparet, *inquit : vt significet, illas statuas titulosque adhuc ævo suo superstites. Nam alias minus procedat ratio. Non enim si quis multis statuis ac titulis à præfectura statim ornatus est, ideo etiam optimus fuerit : sed si viuo posita, perseuerant etiam post mortem. Qua de re ad Tacitum, ad Liuium, politica iuuentutis bono, dixit multa Gruterus.*

e) *Inscriptionibus operum, cui qua causa ea essent posita, declarantibus.*

f) *Germaniam & Britanniam.*

g. h.) *Post exacta stipendia militaria causas forenses egit. Voluit, vt oportet virum Politicum, non belli modo, sed & pacis artibus claresicre : ne sibi vsueniret, quod C. Mario : quem Plutarchus, tempore pacis, veluti bellicum instrumentum, neglectum fuisse ait : quod Hannibali, qui cum in pace nescio qua re suos ciues offendisset, fremitumque populi mouisset ; perturbatus militaris vir vrbana liberate* : Nouem, *inquit*, annorum à vobis profectus, post sextum & tricesimum annum redii. Militares artes, quas me à puero fortuna nunc priuata, nunc publica docuit ; probe videor scire : vrbis ac fori iura, leges, mores, vos me oportet doceatis, *Liuius lib. 30. c. 37. Et hoc est, quod* milites arma magis quam iura scire *existimat Imperator l. vlt. C. de iur. deliber.* Credunt plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse : quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet. *Tacit. Agr. c. 9.*

i) *Plinius lib. 6. epist. 29. refert, Thraseam præcipere solitum*, suscipiendas esse causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes : *quibus ipse addit* claras & illustres. *Iam intelligitur, credo, qua Nostro hic sit* opera honesta.

k) *Quidam æque bene.* Tertullo patre eq. R.

l) *Impares Titi cum equitis filia nuptiæ videri queant. Ideo monet Autor, equitem fuisse Tertullum, sed in eo ordine summum. Magna quippe præfectorum prætorii dignitas fuit, & Imperatorio fastigio proxima potestas : vt non ab re præfectura illa βασιλεία ἀπόρρυτος ab Eunapio in Proæresio dica-*

tur. De ea fuse doctequé Faber lib. 1. Semestrium, capp. 1. 2. 3. & Bulenger. Imp. Rom. lib. 3. c. 2.

m) *Varie legunt*, Fuluiam, Fuluillam, Furuillam, Flauiam.

n) *Ad maiora nitenti, cumprimis de ineundo splendido matrimonio curam suscipiendam, nec tantum virtutis, sed & natalium ac generis rationem habendam esse*, Tacitus *in Agric. c. 6. duplici ratione docet. 1. quia illustre matrimonium viro* decus *addit: vt contra dedecorat ignobile: nec ab re male audiuit Antiochus ob vxorem obscuri generis, autore Liuio lib. 36. c. 11. & 17. & Ericus Suecia Rex, qui lictoris filiam sibi copulauit, teste Chytræo, lib. 22. Saxonia. Quod genus exempla quædam alia Mich. Piccartus observation. dec. 9. c 1. proponit: & ob indigna Principum matrimonia quantum subditi tristentur, ostendit Amiratus differt. politic. 6. libri 5. Altera causa, quia* robur *conciliat, ac facilius emergere facit.* Animos regios regiæ coniuges faciunt, *ait Liuius, 24. c. 25. Adde Picart. observat. decad. 6. c. 3. Clapmar. arcan. Imp. 4. c. 9. Sed & tertiam Plutarchus in de nobilitate referens*: Canes, *inquit*, & equos nobiles & ex bona progenie nobis quærimus: in vitibus, oleis, arboribus, seminibus, optimi generis ratio habetur. Multo potius igitur vxor ex meliori genere quærenda: cum sit consentaneum, talem & rectius educatam esse, & amitæ virtutis imitatricem fore.

o) *Suscepta ex ea, filia.*

p) *Post gestam Quæsturam prouincialem: cuius erat, curare pecuniam publicam a Tribunis ærarii acceptam, indeque stipendia exercitui, & viaticum legatis suppeditare: tum etiam vectigalem pecuniam vndequaq; exigere, & eam, vt & prædam ac manubias in rationes publicas referre. Adeundus Sigonius lib. 2. de antiq. iure prouinc. cap. 2. & 3. Loci huius est illud ἐκφώνημα politicum, esse consultius, gradatim ac sensim, quam subito, & per saltum, quod dicitur, ad magnos honores peruenire. Quæ de disserunt Langlæus lib. 7. Semestr. cap. 1. Amiratus lib. 3. disc. 3. Iunius quæstion. politic. part. 1. quæst. 10. Piccartus obseru. dec. 10. c. 5.*

q. r.) *Sita* Tarichea, *quæ & Tarichea, ad lacum inclytum Genesareth*: Gamala *vero supra eundem lacum, contra Taricheas posita, corrupte sic dicitur, quod extructa in monte, cameli formam præbeat. De his vrbibus & earum expugnatione consulendi Iosephus sub finem libri 3. & initium libri 4. de bell. Iud. & Egesippus de excid. Hieros. postremis capp. libri 3. & primis quarti.*

f) Femina *sunt interiores femorum partes, quibus equum premit insessor.*

t) *C. Barthius aduers. 43. c. 1. scribit, in casco antigrapho se reperisse,* circa se dim. *Et sane verisimilior hæc scriptura. Non enim in hostilem equum transcendisse Titum, est credibile. Si tamen* contra *retineas, maior ex eo laus Tito conciliabitur.*

CAPUT V.

1. a Galba mox tenente Rempub. missus ad gratulandum, quaqua iret, conuertit homines, quasi adoptionis gra-
2. tia arcesseretur. Sed vbi turbari rursus cuncta sensit, rediit exitinere: aditoque b Paphiæ Veneris oraculo, dum de nauigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est.
3. c Cuius breui compos, & ad perdomandam Iudæam relictus, nouissima d Hierosolymorum oppugnatione XII. propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus: cepitque eam e natali filiæ suæ, tanto militum gaudio ac fauore, vt in gratulatione f IMPERATOREM eum consalutauerint: & subinde decedentem prouincia detinuerint, g suppliciter nec non & h minaciter efflagitantes, *vt remaneret, aut secum omnes pa-*
4. *riter abduceret.* Vnde nata suspicio est, quasi i desciscceret à
5. patre Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim k boue Apide diadema gestauit: l de more id quidem rituque priscæ religionis: sed non dee-
6. rant, qui m secius interpretarentur. Quare festinans in Italiam, cum Rhegium, inde Puteolos oneraria naue appulisset, Romam inde contendit expeditissimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem, n *Veni*, inquit, *pater, veni.*

a) *Huic commati, cum sequentium vno alteroque, lucem fœnerabit Historiarum Tacitus liber 2. à princ.*

b) *Quæ apud Paphum Cypri vrbem colitur.*

c) *Scil.* spei: *nondum enim imperii.*

d) *De Hierosolymitano excidio videndi præcipue Iosephus lib. 7. & Egesippus libris 5. de bell. Iud. Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 5. & seqq. Zonaras Annal. tom. 1. Sabellicus Ennead. 7. lib. 3. &c.*

e) *Die 8. mensis Septembris.*

f) *Tacit. lib. 3. Annal. c. 74.* Tiberius id quoque Blæso tribuit, vt IMPERATOR à legionibus salutaretur: prisco erga duces honore, qui bene gesta Repub. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur. erantque plures simul Imperatores. nec super cæterorum æqualitatem. Concessit quibusdam & Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso. *Huius acclamationis exempla bene multa congessit Brissonius de formul. lib. 4. pag. 393. Addendi, Lipsius ad Tacit. Annal. 3. not. 173. Casaubonus ad Sueton. Cæs. c. 76. idemque Brissonius de V. S. voce Imperator.*

g.h.) Erant λιτεῖς μεμιγμέναι ἀνάγκαις, *vt loquitur Plato, epist. 7.* (Ich bitt dich/ du must es thun) *seu vt vno verbo Cicero lib. 9. ad Attic. epist. 16.* παιδαγώγει.

i) *Deficeret, ac rebellaret.*

k) *Nullus est scriptor res Ægyptias attingens, qui horum huius non meminerit: sed inter cæteros pluribus verbis Herodotus 3. c. 27. & 28. Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 17. Plinius 8. c. 46. Ælianus hist. annal. 11. c. 10. Mela 1. c. 9. Solinus c. 45. Am Marcellin. 22. c. 33. Macrobius Saturnal. 1. Glycas part. 2. pag. 180.*

l) *Eo de more plura Paschalius Coron. lib. 4. c. 13.*

m) *Alii*, sequius, *h. e. in deteriorem partem: quasi regium nomen, non religionem secutus, diadema gestasset.*

n) *Non est, quod primo intuitu videtur, Imperatiui Præsens, sed Indicatiui Præteritum.*

CAPVT VI.

[a] Neque ex eo destitit participem, atque etiam tutorem imperii agere. [b] Triumphauit cum patre, [c] censuramque gessit vna. Eidem [d] collega & in tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam [e] quæsto-

1. 2. 3. 4.

e quæstoris vice, præfecturam quoq; prætorii susceptt, f num-
5. quam ad id tempus, nisi ab equite Rom. administratam. g Egitque aliquanto h inciuilius & violentius: siquidem suspectissimum quemque sibi, i submissis qui per theatra & castra, quasi consensu ad pœnam deposcerent, haud cunctan-
6 ter oppressit. In his k Aulum Cæcinam consularem virum vocauit ad cœnam, ac vix dum triclinio egressum, confodi iussit: sane l vrgente discrimine: cum etiam chirographum eius præparatæ apud milites coniurationis deprehendisset.
7. Quibus rebus sicut m in posterum securitati satis cauit, ita n ad præsens plurimum contraxit inuidiæ: vt o non temere quis, tam aduerso rumore, magisque inuitis omnibus transierit ad Principatum.

a) *Admissum à patre Titum in societatem Imperii, tanto magis commendari meretur, quanto talis rarior est. Nam alias* Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. *Senec. in Agam. act. 2. Quod Tacito breuiter est:* Regnum insociabile, 13. *An.* 17. Suspectus semper inuisusque dominantibus quisquis proximus destinatur. *Tacit. 1. Hist. 21. Adeo quidem, vt* displiceant regnantibus *etiam* filiorum ingenia ciuilia. *Idem 2. Annal. 82.*

b) *De hoc explicatius Orosius lib. 7. cap. 9.* Vespasianus & Titus Imperatores, magnificum agentes de Iudæis triumphum, vrbem ingressi sunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione vrbis vsque in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem & filium vno triumphali curru vectos, glorioſissimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse. *Factum id anno ab vrbe condita.* DCCCXXIV.

c) *Plinius lib. 3. c. 5. hanc Censuram in annum V. C. 828. confert. Adde Censorin. de die Natali cap. 18.*

d) *Huius loci quæstio est, an patrem & filium, fratres item & propinquos in eodem officio dignitateque collegas esse par sit: quam egregie discutit Lanus Langlæus semestrium lib. 7. cap. 3.*

e) *Quæstores eos, quos Candidatos Principis appellabant, eius orationes & epistolas in Senatu recitare solitos patet etiam ex Tacit. 16. Annal. 27. & l. vnica §. 2. D. de offic. Quæstoris.* Sic *Adrianus Cæsar, Quæsturam gerens,*

rens, orationem in Senatu agrestius pronunciat. Spartian. in Adrian. cap. 3. *pr. Plura Iuretus ad Symmachi epistolam 89. libri 1.*

f) *An accredemus hoc tibi, Suetoni? Vetat Tacitus qui lib. 4 Hist. c. 68. Clementem Arretinum & præfectum prætorio & Senatorem palam adfirmat. Talis & Tiberii Seianus, lib. 4. Annal. 40. vbi Lips. not. 111. Ergo dictum hoc Nostri non nisi cum exceptione duorum istorum accipiendum.*

g) Egit, *subaudi*, præfecturam : *gessit.*

h) *Superbius, arrogantius. Addenda quæ diximus ad Nostri Cæsarem, c. 75, 10. d.*

i) *Subornatis, clam immissis.*

k) Alienum Cæcinam *legendum docet Lipsius not. 108. ad Tacit. lib. 1. Histor. Beroaldus atque Torrentius Nostro Cæcinæ occisi causam coniurationem referenti, contrarium putant Sextum Aurelium, qui ob suspicionem stupratæ Beronices, quam Titus amabat, iugulatum ait. Verum hæc ἀσύστατα non sunt : cum sæpe stupra, coniurationis fuerint instrumentum. Sic Philotas Alexandro ad cædem proditus per amasiam Antigonem, vt est apud Plutarch. in Alex. pag. 692. & erat. 2. de fortun. Alex. 339. Alia exempla vide apud Piccartum. obseru. 7. c. 3. Adde Liuium 27. c. 17. & Iustinum 43. cap. 4.*

l) *Quo excusatius Titi factum est : alioqui satis atrox, ac iniurium in hospitalitios deos. Et sane stulte fecerit, qui in tali discrimine vellet ordinario iuris vti processu. Nam, vt ait Cato apud Sallust. Catil. c. 52.* Res monet, cauere à coniuratis magis, quam, quid in illos statuamus, cosultare. Cætera maleficia tum persequare, vbi facta sunt: hoc, (*coniurationis*) nisi prouideris, ne accidat, vbi euenit, frustra iudicia implores. *Adde Arnol. Clapmar. lib. 4. c. 12. & cap. 19. m. Besold. de Iurib. Maiestatis pag. 163. Bodin. lib. 2. de Republ. c. 5. pag. 207. c.*

m.n.) Hæc ἀντίθετα, in posterum, & ad præsens *opportune iuuant restitutionem loci cuiusdam in Tacito, 1. Hist. 44. vbi dicitur, Vitellium omnes, qui præmia pro cæde Galbæ, libellis poposcerant, conquiri & interfici iussisse, idque fecisse, non honore Galbæ, sed* tradito Principibus more munimentum ad præsens, in posterum, vltionem. *Magnus ille Taciti sospitator not. 88. hæc rescribit, & legendum omnino contendit:* Tradita, principibus more, munimentum ad præsens, in posterum vltione : *& interpretatur : vltionem illam in posterum (id est, post ipsos, & vt successor vlciscatur eorum cædem) traditam esse Principibus more, ad præsens munimentum*

tum & tutelam sui. Sed haud dubie vulgata lectio præferenda. Dicit, esse morem principibus receptum & à maioribus traditum, vt antecessoris cædem, etiam nocentis, vlciscantur, duplici fine, 1. vt, si numquam impune Principes interfici constet, ipsi tanto tutiores munitioresque sint ad præsens (*scil. tempus, & dum viuunt. non enim τὸ* præsens *ad* munimentum *refertur*) *Deinde, si qui vel sic cædem Principum audeat, non desit tamen* in posterum *& post eorum mortem, qui vlciscatur ac vindicet. Nec obstat, quod accusatiui* munimentum *& vltionem à nullo Verbo pendere videntur. Nam eiusmodi constructiones elliptica Tacito non sunt infrequentes. Vt 1. Annal. 27.* Manus intentant, causam discordiæ & initium armorum. *item cap. 30.* Quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere, *h. e in documentum. Et c. 49.* Animos cupido inuolat eundi in hostem, piaculum furoris, *h. e. vt expiarent motæ seditionis crimen. Lib. 2. Annal. c. 64.* Immittere latronum globos, exscindere castella, caussas bello. *Lib. 3 Annal. c. 61.* suas centurias turmasque tradere, donum victori, & sibi in posterum gratiam, certabant. *Lib. 4. Histor. c. 19.* Augeri equitum numerum postulabant, non vt assequerentur, sed caussam seditioni: *h. e. vt, si negaretur, haberent seditionis mouendæ prætextum. Phrasi* tradito more, *cum al. bi Tacitus ipse* (1. H. 32.) *tum etiam Autor noster vtitur in Tiberio cap. 61. f.*

o) Non temere, *h. e. non facile. Plaut. in Bacchid.* Rapidus fluuius est, non temere hac transiri potest.

CAPUT V.

1. [a] Præter sæuitiam, suspecta in eo etiam luxuria erat: quod ad mediam noctem comissationes cum profusissimo
2. quoque familiarium extenderet. Nec minus [b] libido propter [c] exoletorum & [d] spadonum greges, propterque [e] insignem reginæ [f] Beronices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta & rapacitas: quod constabat, in
3. cognitionib. patris [g] nundinari [h] præmiarique solitum. Denique propalam [i] alium Neronem & opinabantur & præ-
5. dicabant. [k] At illi ea fama pro bono cessit, conuersaque est in maximas laudes: neque vllo vitio reperto, & contra
6. virtutibus summis. [l] Conuiuia instituit iucunda magis quam

profusa. [m] Amicos elegit, quibus etiam post eum Princi- 7.
pes, vt & sibi & Reipub. [n] necessariis, acquieuerunt, præcipue-
que sunt vsi. [o] Beronicen statim ab vrbe dimisit inuitus inui- 8.
tam. Quosdam è gratissimis [p] delicatorum, quamquam tam 9.
artifices saltationis, vt mox scenam tenuerint, non modo
fouere [q] prolixius, sed spectare omnino in publico cœtu [r] su-
persedit. [s] Nulli ciuium quidquam ademit: abstinuit [t] a 10.
lieno, [v] vt si quis vmquam: ac ne concessas quidem ac soli-
tas [x] collationes recepit: [y] & tamen nemine ante se muni-
ficentia minor. [z] Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta [aa] 11.
celeriter extructis, [aa] munus edidit apparatissimum largissi-
mumque. Dedit & nauale prælium in [bb] veteri nauma- 12.
chia: ibidem & gladiatores: atque vno die [cc] quinque mil-
lia [dd] omne genus ferarum.

a) *Doctissimus aduersariorum post Turnebum scriptor lib. 43. cap. 1. suadet, non persuadet, hic legendum*: Præter sæuitiam suscepta in eo &c. Et suscipere *exponit, pro certo veroque tenere. Citat in eam rem illud Phabadii c. 1.* Aut si hæresis suscipienda est, vt Catholici dicamur: aut vere Catholici non futuri, hæresin (non) repudiamus. *Vbi delendam omnino putarim particulam negandi* non: *vt sit sensus: admittendam vel probrosam hæretici notam, etsi præter meritum nobis impactam, dummodo vere Catholici simus. Ita Seneca epist. 81.* Si gratum esse non licebit, nisi vt videar ingratus: si reddere beneficium non aliter quam per speciem iniuriæ potero; æquissimo animo ad honestum consilium, per mediam infamiam tendam. Nemo mihi videtur pluris æstimare virtutem, (*pietatem*) nemo illi magis esse deuotus, quam qui boni viri (*boni Catholici*) famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Ex quibus apparet, quod in illo Phabadii loco*, suscipere, *sit, agnoscere, etsi non agnoscas* (für bekant annehmen) *etsi iniuriam tibi fieri sentias*: *cui ibidem oppositum est*, repudiare. *Aequi hæc significatio ad hunc Nostri locum aptari nullo modo potest. Ergo vulgatam retineamus*: Præter sæuitiam, suspecta &c. *quam etiam sequentia duo commata confirmant.*

b) *Scil. suspecta erat in Tito.*

c) *Pathicorum* παρὰ κολλόπων. *vide H. Steph. thes. Græc. tom. 2. c. 308. g. & in* κολλοπωδιάπτης. *309. b.*

d) Em-

d) *Eviratorum.*

e. f) *Notabilem, & quasi infamem. Erat enim Beronice, seu Veronica Iudaica mulier, Agrippæ soror. At qui despectissimi Romanis Iudæi, vt ex Triumpho Iudaico nec Vespasianus, nec Titus filius se Iudaicos dici voluerint, teste Dione in Vespas. De Beronice vide amplius Actor. 25. & 26. Tacit. 2. H. 2. & 81. Iuuenal Satyr. 6. Ioseph. & Egesippum passim. Dicta* Βερονίκη, *Macedonice pro* φερονίκη, *victrix: vt* Φίλιππος, *pro* φίλιππος, *teste Plutarcho Quæst. Græc. 9.*

g) *Sub Imp. Commodo* vendiderunt etiam euentus litium liberti. *Lamprid. in eius vita. c. 14. Sub Imp. Heliogabalo* ab eunuchis omnia vendebantur. quod genus hominum idcirco secreta omnia in aula nosse cupiunt, vt soli aliquid scire videantur, & habeant vnde vel gratiam, vel pecuniam requirant. *Idem in Alex. Seuero, c. 45. qui etiam c. 36. eiusmodi nundinatoris deprehensi punitique proponit exemplum insigne, scilicet Vetronii Turini, qui* omnia vel fingendo sic vendiderat, vt Imp Alexandri quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, & cui multa persuaderet, infamaret imperium: sicque omnibus persuaserat, quod ad nutum suum omnia faceret. *Tacito tales nundinatores dicuntur* venales 4. *A.* 31. *item* 13. *A.* 42. 2. *H.* 56. *& alibi. De hoc hominum grege Paulus* 5. *Sententiarum ad l. Corneliam testamentar.* Si qui de iudicis amicitiis vel familiaritate mentientes, euentus sententiarum eius vendunt, quiue obtentu eius nominis aiunt. *Adde l.* 15. §. *idem ait*, 30. *D. de iniuriis. & l.* 10. *C. de accusation.* iudices qui sententias suas precio nundinantur, *Apul. lib.* 10. *Ex quibus intelligi, credo, potest, quid hic Autori sit* nundinari. *Nam errat via tota* Sabellicus, *qui id in primitiua & propria notione accipit. Aliam (obiter hoc) & haud scio an à quoquam obseruatam eius vocabuli significationem suggessit eruditiss. Balth. Venator, in illo loco Ciceronis lib. 2 de diuinat. cap.* 31. In Selonio ad focum angues nundinari solent, *h. e. frequentes conuenire, tanquam in nundinis. Ad eam formam Liuius* 39. *c.* 16. *m.* concionari *dixit, hoc est, in concionem conuenire, cœtum frequentare.*

h) *Pacisci præmium suffragationis apud patrem.*

i) *Alterum, secundum: ob morum quippe similitudinem.*

k) *Opera pretium fuerit, adire V. Cl. Iul. Guil. Zincgresii emblema LVIII. Huius item loci sunt illa Tiberii apud Tacitum, 3. A.* 69. Non ex rumore statuendum. Multos in prouinciis (*in imperiis*) contra, quam

ſpes aut metus de illis fuerit, egiſſe. Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum; hebeſcere alios.

l) *Conuiuii iucunda requiſita tradit Agellius 13. c. 11. ex Varrone.*

m) Amicos *accipe, non quos in domeſtica & interiore vita Titus habebat priuata amicitia ſibi iunctos: ſed quos publice, vt ita dicam, amabat, & quorum conſiliis regebatur, quos hodie* Conſiliarios ſtatus (*Conſeillers d'eſtat*) *appellant. Ita Capitolinus in Pio*: Neque de vllis actibus quicquam conſtituit, niſi quod prius ad amicos retulit. *Inter huius generis amicos, apud bonos certe Principes, etiam Iurisconſulti fuere. Dini fratres l. 17. D. de iure patronatus*: Voluſius Mæcianus amicus noſter, & iuris ciuilis anxie diligens. *Ac mox*: Cum & ipſo Mæciano, & aliis amicis noſtris iurisperitis adhibitis tractaremus. *Sed alii, quibus aliquam Reipub. partem adminiſtrandam commiſiſſet Princeps, eius* collegæ, comites, amici, *imo* parentes *appellati. Quomodo Imp. Alex. Seuerus vocat Vlpianum, parentem ſuum, l. 4. C. de locato. Sic Imperator patrem ſibi eligere dicitur in §. filiusfamil. 4. in f. Inſtit. quibus mod. ius pat. pot. ſol. De Eutropio Patricio Claudianus:*

-----præſidium legum, genitorque vocatur
Principis, & famulum dignatur regia Patrem.

Ex hoc fonte indignationes illæ in hiſtoriis, Eunuchos fuiſſe patricios ſiue patres Principum: vt apud Suidam in παρίκιος, Sozomenum Eccleſ. hiſt. lib. 8. c. 7. Niceph. 13. c. 1. Hi dicti poſterioribus Orientalis Imperii Principibus βασιλοπάτορες, quaſi dicas Imperatoripatres, *nomine ab Imp. Leone Philoſophogenito, vt eſt apud Zonaram & Cedrenum: ad imitationem fortaſſe tum eorum quos diximus, tum etiam aliorum Regum ac Principum. Nam & Corbulo dictus pater Imp. Neronis, vt refert ex Dione Xiphilinus in Ner. pag. 192. a. Iulianus præfectus vrbi, pater Commodi, ibid. pag. 290. c. Miſitheus pater Gordiani, apud Capitolin. in Gordian. c. 27. Sic Mithridatis Regis pater Metrodorus Scepſius philoſophus apud Plutarchum in Lucullo. pag. 506. a. Quin imo Geneſ. 45, 8. Ioſephus aſſerit, ſe Dei voluntate miſſum in Ægyptum, & factum Pharaonis quaſi* patrem. *His omnibus aptari poteſt illud Miſionis apud Terentium Adelph. 1, 2, 46.* Natura tu illi pater es, conſiliis ego.

b) Grauiſſimi Principis labores, queis orbem terræ capeſſit, egent adminiculis, *vt ait Tacitus lib. 12. Annal. cap. 5.* Non poteſt Princeps ſua ſcientia cuncta complecti. *Idem, 3. Annal. 69.* Raro, eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam ſuam vſi

ſunt.

ſunt. Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent. *Vell. Paterc. lib. 2. c. 127.* Eum, qui de ſua vnius ſententia omnia gerit, ſuperbum iudico magis quam ſapientem. *Liuius 44. cap. 22. Certe non ſolus* Imp. Iuſtinianus ῥινότμητος, cum ſuo arbitratu (αὐτοβούλως) adminiſtraret omnia, in multas clades Rempub. coniecit. *Zonaras tom. 3. pag. 75, 14.*

o) *Ita Sextus Aurelius*: Vt ſubiit pondus regium, Beronicen nuptias ſuas ſperantem regredi domum præcepit. *Cauſſam addit ex Dione Xiphilinus, pag. 222. b.* quod intelligeret *ſcilicet*, populum Roman. id moleſte ferre. *Et ſane propter indigna matrimonia Principum ſuorum quantopere ſubditi triſtentur pluribus oſtendit Amiratus lib. 5. diſſert. 6.*

p) *Sunt quos paullo ſuperius* exoletos & ſpadones *dixerat.*

q) *Liberalius.*

r) *Omiſit.*

ſ. t) *Plin. Panegyr. c. 27.* Nihil largiatur Princeps, dummodo nihil auferat. *Et paullo poſt, de Traiano*: Nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium, vt ferarum catuli, ſanguine & cædibus nutriuntur. quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt, dari ſibi, quod nemini eſt ereptum; locupletatisque tam multis, pauperiorem eſſe factum Principem tantum.

u) *Quid ergo? nonne Principis ſunt omnia ſubditorum? Seneca diſtinguit lib. 7. de benef. cap. 4.* Ad reges poteſtas omnium pertinet: ad ſingulos proprietas. *Et cap. 5.* Sub optimo rege, omnia rex imperio poſſidet, ſinguli dominio.

x) *Vt qui maxime.*

y) Collationes *nolim cum Beroaldo tributa interpretari (Nam hæc remittere, quid aliud quam Reipubl. neruos incidere eſt?) verum cum alia prouinciarum, in auſpicio imperii, dona, tum* coronarium aurum *maxime, qua ſpecie collationis exhauriebantur (vide Admiranda Lipſii, 2. c. 9.) Itaque boni Principes remittebant. Sic inter liberalitatis Iuliani teſtimonia Marcellinus 25. c. 14. recenſet* coronarium indultum. &c.

z) *Nomine amphitheatri huius extat Martialis liber extra numerum aliorum. Ammian. Marcellin. lib. 16. cap. 17. de eo ſic*: Amphitheatri moles ſolidata lapidis Tiburtini compage, ad cuius ſummitatem ægre viſio humana conſcendit. *Ouali forma fuit, locorum* 87000. *capax. Adeundi Lipſius de amphith. cap. 6. &c. Marlianus. 4. c. 13.*

aa) *Spectaculum exhibuit cum maximo apparatu.*

bb) *Onuph. Panuin. de ludis circenſ. lib. 2. c. 11.*

cc) *Eundem numerum habent Eutropius, Euſebius, Oroſius. Pugnat, nec pugnat, Dio, cuius in breuiario* nouem millia *comparent. Sed numerum illi feras numerant: hic feras & pecudes (τὰ θηρία καὶ βοτὰ) coniungit. Sic fuerint quinque millia ferarum, quatuor pecudum, quæ plerumque dabantur populo diripienda.*

dd) Omnigenus *vna coniunctaque voce legit ex mſ. C. Barthius Aduerſar. col. 1927. m.*

CAP. IIX.

Natura autem benеuolentiſſimus. [a] Cum ex inſtitu- 1.
to Tiberii omnes dehinc Cæſares beneficia à ſuperioribus conceſſa principibus, aliter rata non haberent, quam ſi eadem iisdem & ipſi dediſſent; primus præterita omnia [b] vno confirmauit edicto: nec à ſe peti paſſus eſt. In cæteris vero 2.
[a] deſideriis omnium hominum, obſtinatiſſime tenuit ne quem ſine ſpe dimitteret. Quin & admonentibus domeſticis, [d] quaſi plura polliceretur quam præſtare poſſet: [e] 3.
Non oportere, ait, *quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere.* Atque etiam recordatus quondam ſuper cænam, quod 4.
nihil cuiquam præſtitiſſet, [f] memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit. [g] *Amici, diem* [h] *perdidi.* Po- 5.
pulum inprimis vniuerſum tanta per omnes occaſiones comitate tractauit: vt [i] propoſito gladiatorio munere, *non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium* [k] *editurum ſe* profeſſus ſit. Et [l] plane ita fecit. nam neque negauit quidquam pe- 6.
tentibus: & vt, quæ vellent, peterent, vltro adhortatus eſt. Quin & [l] ſtudium armaturæ [m] Thracum præ ſe ferens, ſæpe 7.
cum populo, & voce, & geſtu, [n] vt fautor [o] cauillatus eſt: verum [p] maieſtate ſalua, nec minus [q] æquitate. Ne quid po- 8.
pularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis ſuis,

admiſſa

9. [r] admissa plebe, lauit. [s] Quædam sub eo [t] fortuita ac tristia acciderunt: vt [v] conflagratio [x] Vesevi montis in Campania: & [y] incendium Romæ, per triduum, totidemque noctes:
10. item [z] pestilentia quanta non temere alias. [aa] In his tot aduersis, ac talibus, non modo Principis sollicitudinem, sed & [bb] parentis affectum vnicum præstitit: nunc consolando, per edicta: nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.
11. Curatores restituendæ [cc] Campaniæ è consularium numero
12. [dd] sorte duxit. [ee] Bona oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. [ff] Vrbis incendio nihil, nisi sibi, publice periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit: præposuitq; complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ [gg] valetudini leniendisque morbis, nullam diuinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni [hh] sacrificiorum remediorumque genere. Inter aduersa temporum &
16. [ii] delatores [kk] mandatoresque erant ex licentia veteri. [ll] Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissime traductos per Amphitheatri harenam, partim subiici in seruos, ac vænire, imperauit: partim in asperrimas insularum auehi.
17. Vtque etiam [mm] similia quandoque ausuros perpetuo coerceret, [nn] vetuit inter cætera, de eadem re pluribus legibus agi: [oo] quæriue de cuiusquam defunctorum statu, vltra [pp] certos annos.

a) *Huius loci grauis illa quæstio est; An Maiestatis potestas tam sit absoluta, vt nec successor antecessoris decretis & promissis obligari queat. Eam excutit Arnisæus lib. 1. de iure maiest. cap. 7. pag. 187.*

b) *Idem postea fuit ab Imp. Nerua præstitum. Data enim beneficia à Domitiano confirmauit edicto illo, quod extat apud Plinium lib. 10. epist. 62.*

c) Desideria *hoc loco sunt libelli supplices, preces, postulationes.* Requestas *vulgo &* remonstrationes *appellant. Noster in Aug. cap. 53.* tanta

comi-

comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigeret, quasi elephanti stipem. *Tacit. lib. 1. Annal. c. 19.* Non per seditiones & turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda.

d) *Plutarchus in Æmilio pag. 285. e. tradit, Antigonum Regem, populari ioco dictum fuisse* Dosonem (*quasi* Dabonem *dicas, à δώσω, hoc est, dabo*) *eo quod esset ἐπαγγελτικὸς μὲν, οὐ τελεσιουργὸς δὲ τῶν ὑποσχέσεων, promissor quidem, at non effector pollicitorum. Sed & ob eandem caussam cum Atheniensium ducis* Charetis pollicitationes *in prouerbium abiêre: tum etiam Imp. Pertinax,* Chrestologus, *h. e. verbis munificus, est appellatus, teste Capitolin. in eius vita, cap. 13. Italorum nescio quam bonæ fidei dictum est:* Promettere non è per dare, ma per i matti contentare: *quod magnis tamen Principibus heri hodieque, nec olim tantum, vsui permagno, nec dedecori esse videmus. Quorum classi Titum accensere, iniuria virtutum sit. Nam neque voluntas ei defuit, promissa exequendi, quippe natura benignissimo: nec facultas. Cum enim in genere Reges atque Principes, ob copiam rerum quas possident, non facile liberalitatis excedere posse modum videntur, eaque caussa non proprie dicuntur prodigi, teste Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 1. tum in Imperatoribus Rom. id multo minus fieri poterat, quippe penes quos totius Orbis diuitiæ videbantur esse: quod ostendit Lipsius lib. 2. de magnit. Rom. per totum. Vnde Plinius in præfat. hist. natur. ad Titum inquit:* Nec quicquam in te mutauit fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantundem posses, quantum velles. *Huc accedit Titi in rebus aliis (veluti conuiuiis, vt ostensum)* frugalitas, *quæ* tantas habet vires, vt tot impendiis, tot erogationibus, vel sola sufficiat. *Plin. panegyr. cap. 41.*

e) *O vocem vere Principe, atque adeo (quid possim enim altius?) ipso* TITO *dignam! quam explicat Reusnerus, symbolorum Imperatoriorum parte 1. symb. 11.*

f) *Memorat eandem, ac ad verbum repetit, præter alios, D. Hieronymus commentar. ad Galat. cap. 6. (rom. 9. pag. 200. c. Nec dubium est, quin Impp. Theodosius & Valentinianus eo respexerint, cum Nouellam suam de patrimonialibus rei dominicæ ita inchoarunt:* Prope est, vt beneficium accepisse credamus, quotiens offertur nobis caussa præstandi: & diem periisse proculdubio suspicemur, quem nostri numinis beneficentia non illustrat. *Beneficentia profecto ad deos proxime ab hominibus (& inprimis à Principibus, quos ex eo crediderim deos in Sacris appellatos) accedi, Strabo ab antiquis*

antiquis dictum esse memorat lib.10.Geographiæ.Qua caussa Ptolemæus Ægypti Rex,cognominatus est Euergetes, *h.e. Beneficus. Sed & aliis Regibus ac Principibus id cognomini conuenire tribuique , vulgo probant ex Euangelio Lucæ,cap.22,25. qui tamen locus (quod per occasionem in transitu monere liceat) omnium minime id sibi vult, quod isti volunt. Ait Seruator*: Reges gentium dominantur ipsis: & qui potestatem habent super eas, Benefici (εὐεργέται) vocantur. *Non cepit interpres mentem Græcorum verborum.Nam οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν (scil. βασιλέων, non enim ἐθνῶν) hoc est*, potentes eorum, *sunt haud dubie Regum dynastæ, proceres, in aula potentes.Fuit autem in aula Persica more receptum, vt, qui Regem regnumue insigni aliquo beneficio demeruissent , hi* Orosangæ *dicerentur (εὐεργέτας Græci vertunt) & ne cuiusquam meriti memoria intercideret , solebant Orosangarum seu Beneficorum nomina in regios Commentarios referri. Clarum hoc cum ex Herodoti lib.3.c.140.& lib.8. cap.85.Xenophont. lib.8. pæd. Ælian.12.Var. cap.40.tum etiam ex historia Sacra,libro Esthera,cap.6, 2.3.cui Iosephus lib.11 antiq.Iud. 6.consentit. Ita Xerxes apud Thucydidem lib.1.pag.85. d. ait, se velle Pausaniæ beneficium (quod captiuos Persas dimisisset) codicibus regiis,perpetuæ memoriæ caussa inferere , h.e.ipsum inter Orosangas referre (κείσεταί σου ΕΥΕΡΓΕΣΙΑ ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ ἐσαεὶ ἀνάγραπτος) quem locum nemo , quod sciam , interpretum est assecutus. Putem eo respexisse Neronem, cum in loco supra citato (Xiphilin. ex Dione , pag. 192. a.) Corbulonem appellare solitus est non modo suum patrem, sed & εὐεργέτην*, Beneficum. *Nec dubitem,in illo dicto Christi , hoc ipsum dignitatis aulicæ nomen designari. Nam si nomen εὐεργέτης in generali significatione capias , non autem ad hanc specialem restringas; hoc absurdum sequetur , quod Christus suis Beneficentiam interdixerit , virtutem Theologo vel inprimis commendatam à D. Paulo Tit. 1.8. Igitur interdictum illud Christi*, Vos autem non sic, *hanc vim habet , quod Apostoli nec dominatum regium cogitare , nec adeo nomina dignitatum , qua satrapis atque dynastis in Aula tribuuntur , ambire debeant. Quomodo sacris illis hominibus , qui Palatini Comites audire volunt, ac alia typhi aulici nomina , ὡς κεχηνότες λάφοι, captant , cum hoc mandato Christi conueniat , ipsi viderint. Atque hanc nouam (sic opinor) expositionem æquis iudicibus me facile probaturum confido: τοὺς ἰσχυρογνώμονας autem , & inueteratorum errorum mancipia,nihil moror.*

g) *Eutropius & alii veterum, qui ex Suetonio sua sunt mutuati, præferunt*: Amici,hodie diem perdidi.*Sed nihil mutem,non suffragantib. mss.*

h) Per-

h) Perdere *hoc loco est, quod nos dicimus*, vbel anlegen. *Videndus omnino Casp. Barthius V. Cl. aduersarior. lib.* 18. *cap.* 4. *m.*

i. k) *Munus gladiatorium* proponere, anſchlagen / außſchreiben: edere, halten.

l) *Planißime etiam ita Traianus. Sunt enim his nostris non gemina, sed eadem, quæ de ipso Plinius Panegyr. cap.*33. Impetratum eſt quod poſtulabatur: oblatum quod non poſtulabatur: inſtitit vltro, & vt concupiſceremus admonuit. *Quicquid turba petebat, fiebat. Volebant myrmillonem, retiarium, threcem, hos & illos nobiles, vel aulicos, gladiatores? veniebant. Illos dimitti, hunc iugulari? impetrabant.* Adi *Lipſium* de Poſtulaticiis gladiatoribus, *lib.*2. *Saturnal. cap.*16. *&* de Populi petitionibus, cap 22.

m) *h.e. fauorem. Spectatores ludorum in partes diducebantur, & magno ſtudio huic generi pugnantium fauebant aut illi. Sic in Circo alius in Venetum pannum, alius in Praſinum pronus: in Amphitheatro hic in Thracum armaturam, alius in Myrmillonum, aut Secutorum. Vnde factioſa illa nomina, vt ſpectatorum alii dicerentur Venetiani, alii Praſiani: item Parmularii (qui parma, hoc eſt, Thracibus ea armatura vti ſolitis, fauebant, qualem hoc loco Noſter Titum facit) itemque Secutorii &c. Hæc ſtudia ſua, geſtu, exultatione, metu, clamore, ſponſionibus etiam, indicabant, & quisque ſuos vincere iure vel iniuria volebant: atque fraude adeo nonnunquam vel imperio rem eo trahebant.* Litem iocoſam *vocat Martialis, ſpect. ac. epigr.* 20. cuneati lata theatri Seditio, *eſt Auſonio Edyllio* 9. *Adde quæ Lipſius habet* 2. *Saturn. cap.* 24.

n) *Alii* Threcum *legunt, nec id male. Nam & alii autores indiſcriminatim* Thraces *&* Threces *vſurpant. Erant Romæ genus gladiatorum, à ſimilitudine parmularum Thraciarum quibus vtebantur, ita dicti, vt Feſto placet: ſimulque quod ex Thracia primum oriundi, vt Myrmillones è Gallia) prout videtur Lipſio Satur.* 2. *c.* 9. *vbi de his plura.*

o) *Erat enim Titus, Parmularius, vt oſtenſum, & à Thracibus ſtabat.*

p) *Facete ſiſit, iocularia ſcommata iecit in diuerſa factionis ſpectatores.*

q) *Sic de eodem Tito Tacitus* 5. *Hiſt.* Comitate & alloquiis officia prouocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, INCORRVPTO DVCIS HONORE. *Iudicio igitur opus: quod niſi adhibeas, vilitatem Principi conciliabit hæc talis ciuilitas. Pars iudicii vna, vt*

ne quid

ne quid nimis. Quomodo Imper. Vitellius caligatorum quosque militum obuios exoſculatus eſt: perque ſtabula ac diuerſoria, mulionibus ac viatoribus præter modum comis fuit: vt mane ſingulos, iamne ientallent, ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet. *Noſter in Vitell. c. 7. Pars iudicii altera, vt aptes te moribus & ingenio gentis. Id facere omiſit Vonones à Tiberio Parthis impoſitus: de quo Tacitus 2. Annal. 2.* Prompti aditus, obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia: & quia ipſorum maioribus (*malim legere*, moribus) aliena, perinde odium prauis & honeſtis. Μέγα πρὸς ἐξημέρωσιν ἀνθρώπων, τὸ σύνηθες καὶ ὁμόφυλον: multum valet ad manſuefaciendos (*atque regendos*) homines, conſuetudinem & patrios mores eorum vſurpare, *ait Plutarchus in Alex. 690. E. vbi commendat Alexandrum συνοικειοῦντα αὐτὸν ἐπιχωρίοις νόμοις.*

r) *De* æquitate *in certaminibus eiusmodi, Gruterus ὁ πάμμεγας opportune locum ſuggeſſit è Caſſiodor. lib. 6. Variar. cap. 4. f.* Suauiter cogit gratum eſſe populum, quisquis in certaminibus partium declinat in iuſtum. Tanta eſt enim vis glorioſæ veritatis, vt etiam in rebus ſcenicis æquitas deſideretur.

ſ) *Vt plebs vna lauaret? an vt lauantem ipſum ſpectaret modo? Prius malim. Lampridius de Alex. Seuero, cap. 42.* Thermis & ſuis & veterum frequenter cum populo vſus eſt. *Eginhardus de Carolo Magno*: non ſolum filios ad balneum verum optimates & amicos, aliquando etiam ſaltellitũ & cuſtodum corporis turbam inuitauit: ita vt nonnunquam centum vel eo amplius homines lauarentur. *Refert Suidas, olim fuiſſe morem, vt diuites vna cum pauperibus lauarent: vt, quibus propria ſupellex ſtrigilum, ſpongiarum, guttorum &c. non eſſet, diuitum vterentur ſupellectile Tribunique Carthaginenſium inſolentiæ Valerius Max. 9. cap 5. f. quod patritii ſeparato à plebe balneo lauabantur.*

t) *Huic commati lucem commodabit Gruteri diſcurſ. ad Tacitum ſecundus partis primæ. Plin. panegyr. cap. 31.* Crediderim per hunc Ægypti ſtatum, (*infelicem*) tuas Fortunam vires experiri, tuamque vigilantiam ſpectari voluiſſe. Nam cum omnia vbique ſecunda mereari, nonne manifeſtum eſt, ſi quid aduerſi cadat, tuis laudibus, tuisque virtutibus, materiem campumque præſterni? cum ſecunda felices, aduerſa magnos probent.

u) *Infortunia, Tacit° ita ſæpe: vt 4. H. 5.* firmior aduerſus fortuita. &c.

x) *Memorabilis huius incendii multi meminerunt: Dio apud Xiphilinum pag. 225. & seqq. Plinius iunior lib. 6. epist. 16 Martialis lib. 4. epigr. 44. Orosius 7. c. 9. Zonaras t. 2. p. 195. Cedrenus, p. 199. qui postremus addit, illorum temporum Christianos hac opportunitate vsos ad Gehennæ persuasionem, & religionis Christianæ studium Gentilibus iniiciendum. Recte? Negat B. Chrysostomus in Matthæum, inquiens:* Μή μοι γένοιτο, ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συστήσασθαι: absit à me, vt veritatem per mendacium velim ire confirmatum. *Ex eodem Vesuuii montis incendio Pseudosibyllinus Hariolus prædixit mox insecutam persecutionem Domitiani in Christianos, his versibus.*

Ἀλλ' ὁπόταν χθονίης ἀπὸ μαγάδος &c. *pag. 162. m.*

Ita hic propheta diuinat ea, quæ multis annis ante eum contigerant.

y) *Vesuui montis (qui &* Vesebius, Vesbius, Vesuius, Vesuuius: *hodie* Monte di Somma, *ab Castello* Somma *radicibus adsito) descriptionem elegantem habent, post Strabonem lib. 5. Leander Albertus in Campania, Laurentius Schraderus in Italiæ Monimentis, & nouissime Phil. Cluuerius in Italia. Legenda quoque scitu digna de eo apud Cassiodorum lib. 4. Variar. epist. 50.*

z) *Quæ quantaque depastum sit hoc triduanum incendium, ostendit ex Dione Xiphilinus pag. 227.*

aa) *E cineribus incendii Vesuuiani nata. Eusebius in Chron. ad annum MMXCIII. scribit, ea peste decem millia ferme mortuorum hominum, in Ephemeridem* (ins Todtenregister. Libitinę rationem *appellat Noster in Ner. cap. 39.) per aliquot dies à Libitinariis relata fuisse.*

bb) *Claudian. ad Honorium:*

Tu ciuem PATREMQVE geras: tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, sed publica damna.

Plin. in Panegyr. cap. 6. Imperatorem Generis humani parentem *vocat: & cap. 87.* parentem publicum. *De Neruæ Ausonius:* Princeps nomine, mente parens. *Seneca lib. 1. de Clem. c. 14. rationem reddit, cur Principi datum nomen* patris patriæ.

cc) *Nam illa Vesuuino isto incendio potissimum adflicta.*

dd) *Cur* sorte *Romani in deferendis huiusmodi muniis vsi, Tacitus 4. Hist. 8. causam hanc adducit:* ne ambitioni aut inimicitiis (*inter competitores*) locus foret: *non improbatam etiam à Sapientia magistro, Prouerbior. cap. 18. vers. 18.*

Bona caduca, *hoc est, vt hic explicatur,* quorum heredes non extabant, *in fiscum suum Princeps iure & more poterat inferre. Non fecit Titus:*

tus: sed ad restitutionem afflictarum incendio Vesuviano ciuitatum ea contulit. Magnifice liberaliterque.

ff) *Amiratus dissertationum in Tacit. lib. 3. disc. 12.*

gg) *Pestilentia.*

hh) Aduersæ res religionum admonent. *Livius lib. 5. cap. 51. f. Exemplo memorabili fuit Rex Tullus, ibid. lib. 1. cap. 31. m.*

ii) Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam satis coercitum. *Tacit. 4. Annal. 30. Eos pluribus insectantur, & partim quid pro iis dici possit, ostendunt, adeoque conferendi materiam nobis præbebunt, Amiratus 4. disc. 11. Camerar. centur. 3. cap. 58. Bodinus 5. de Rep. c. 3. Piccart. obseru. 8. c. 10. Antimachiau. 1. theor. 2 Clapmar. 5. de arcan. imp. c. 15. & plerique Politici.*

kk) Mandator, *qui delatorem submittit, subornat, instruit etiam, probationes dando, accusationes allegando.*

ll) *Laudat ab hoc facto Titum, sed multo magis Traianum suum, Plinius in Panegyr. c. 35. & 34. De pœnis & coercitione delatorum, videndus omnino Brissonius lib. 3. select. antiquit. c. 17.*

mm) *Scil. delationes & calumnias.*

nn) *Multa sunt inuenta legum diuerticula & vafritiæ. Vt si actionem intendero aduersario secundum formulam legis Aquiliæ, & ille absoluatur, tunc ex aliis legibus actionem mihi competere dicam, vt ita infelix reus diuexetur. Id quod fieri vetuit hoc loco Titus. Hæc Beroaldus. Ea sanctio refertur in libris Iuris sub titulo de accusation. l. Senatus 14. his verbis:* Senatus censuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret. *Quo & respicit l. Sanctio 41. ff. de pœnis. Neque pugnant, quod Noster Titum, lex Senatum ait id vetuisse. Solebant enim Principes in Senatu proponere: Senatus vero re deliberata decernere: vt proinde sæpenumero res vnæ eademque alibi à Principe, alibi Senatusconsulto introducta effodicatur. Adde Rad. Fornerium lib. 5. rer. quotid. c. 18.*

oo) Status *personarum conditionem significat, secundum quam alii ingenui sunt, alii libertini, alii serui. Crebræ hic delatorum calumniæ cum lucro. Nam liberos in seruitutem, ingenuos in libertinitatem trahebant, bono fisci & suo. Status autem conditio mutata mutat etiam hæreditatem. Itaque defunctis quoque mouebant controuersiam status. Plinius panegyr. cap. 34. de iisdem:* Nulla iam testamenta secura, nullius status certus. *Scilicet huic morbo Titus hic Æsculapius. Solus? Etiam post eum* Imp. Antoninus Phil.

Phil. de statu defunctorum intra quinquennium quæri iussit. *teste Capitolino in eius vita, cap. 10. Videnda quoque l. 1. ff. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.*

pp) *Forte quinquennium, quod imitati successores, vt modo dictum.*

CAPUT IX.

[a]Pontificatum maximum ideo se professus accipere, vt [b]puras seruaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi causſa non deesset: sed *peristurum se potius, quam perditurum*, adiurans. [c]Duos patricii generis conuictos in affectatione imperii, nihil amplius quam vt desisterent monuit, [d]dicens *principatum fato dari*: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: & confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nunciarent. Cæterum ipsos non solum [e]familiari cæna adhibuit: sed & insequenti die, gladiatorũ spectaculo, [f]circa se ex industria collocatis, oblata sibi [g]ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognita [h]vtriusq; [i]genitura, *imminere ambobus periculum affirmasse*, [k]verum *quandoq; & ab alio*: sicut euenit. [l]Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pæne [m]ex professo [n]sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neq; [o]deponere ac ne in minore quidẽ honore habere sustinuit: sed vt à primo imperii die, consortem successoremq; testari perseuerauit: nonnumquam secreto lacrymis & precibus orans, *vt tandem mutuo erga se animo vellet esse.*

1.

2.

3.

4.

5.

a) *Hæc aliqui laxius interpretati, Pontifici maximo Romanorum ne quidem interesse licuisse iudicio sanguinis, hinc colligunt. Sed quin à mente Autoris aberrent, causſa dici non potest. Vtique Vestales, & alios, qui religiones violassent, à Pontificibus sæpe legimus condemnatos. Quin etiam priores Imperatores Pontificatum eundem acceperant: nec tamen ad talem aliquam se se necessitatem adstrinxerunt. Titus autem hoc sese voto non effundendi sanguinis*

guinis adstrinxit impulsu propriæ bonitatis potius, quam quod ius publicum id esset. Hoc tantum colligi potest ex hoc loco: Pontificem Romanum de capite sententiam dicere, vt vt licuerit, minus tamen quam alios, decuisse. Sane Titi peculiaris religio pro lege publica non est accipienda.

b) *Cæde & sanguine. Principum elogium, sed optimi tantum cuiusque, quod incruentum fuerit eorum imperium, De Imp. Antonino Pio Capitolinus fine vitæ eius*: Solus omnium prope principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quantum ad seipsum pertinet, vixit. *Idem autor Alexandri Seueri Imperium fuisse vocatum ἀναίμακτον*, incruentum, *scribit in eius vita, c. 52. consentiente Herodiano lib 6. pag. 128. pr. Quod multo verius de Diui Maximiliani II. Imperio prædicari posse gloriatur in eius oratione funebri Crato: Fas sit optare, Deus vt huic quoque sæculo, cum Securitate Publica, mitem aliquem Seuerum, vereque Maximum Αἰμύλιον, h. e. Tranquillum, impertiat: qui moderatione sua studeat Periclis præconium posteritati relinquere. Is hanc inter præcipuas suas laudes retulit, quod, quum longo tempore Athenas rexisset*, Nemo ipsius causa lugubrem vestem vnquam induerit. *Plutarch. in Peric. pag. 173. b. Italis est in prouerbio: Maledetto sia quel huomo, della cui vita piangono molti, & della cui morte ridono tutti: Seneca*: Quid pulchrius, quam viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? si paullum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne quod illi euenit, sibi quoque euenire deputet?

c) *Ita* Cæsar, si quæ cogitarentur grauius aduersus se, inhibere maluit, quam vindicare. *Sueton. Cæs. cap. 75. commate 8. Ratio facti: nam* ipsa facilitate veniæ animos sontium in posterũ conciliamus. *Liu. 32. c. 14.* Nihil glorioſius est Principe impune læso, &c. *Senec. 1. de Clem. 20.* Numquã placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur, *autore Marco Antonino apud Vulcatium invita Au. Cassii. Coniuratio porro in Principem, an, & quomodo puniendæ, disquirunt Bodinus lib. 4. de Repub. c. 7. Amirat. lib. 2. disc. 9. Clapmar. lib. 4. c. 13 & seqq.*

d) *Hinc Impp. Græci, Θεοστεφεῖς*, à Deo coronatos, *in scribere se solebant. Atque ita Nicolaus PP. ad Imp. Michaelem scripsit?* sciat à Deo redimitum Imperium vestrum. *Etiam in numismatis eorum, Imperatorium diadema Christi Domini manu imponitur. Indidem illud insigne natum, quod*

vulgo

vulgo ciuitati Constantinopolitanæ à pictoribus tribuitur, duæ manus è nubibus protensæ, coronam tenentes. Nostri quoque: Dei gratia: *vel*, diuina fauente clementia Rom. Imp. semper Aug. *Hæc Marq. Freherus in Notis ad Lupoldum de Berenberg, pag. 28. Huius maxime loci est cordatum illud Imp. Marci Antonini responsum ad epistolam Veri monitoriam vt ab Auidio Cassio, affectati Imperi suspecto, sibi caueat.* Epistolam tuam legi, (*inquit*) & solicitam potius quam imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei diuinitus debetur Imperium, non poterimus interficere etiamsi velimus. Scis enim proaui tui (*Traiani*) dictum: SVCCESSOREM SVVM NVLLVS OCCIDIT. Sin minus, ipse sponte, sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. *Vulcat. Gallic. in Au. Cass. c. 2. In hanc rem plura* P. *Greg. Tolos. de Repub. 21. c. 3. n. 4. & 5.*

e) *Notanda & Magnatibus imitanda comitas.* Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est, *ait Seneca epist. 19.* (der Wolff frist sein Rotfleisch allein) *Plut. initio libri 7. Symposiac. misomonophagi Romani nescio cuius dictum sane quam scitum refert: qui, cum aliquando solus cænasset,* Se edisse isto die, non cænauisse, *pronunciauit. Vel ipsum enim nomen* cœnæ *atq; conuiuii, communionem quandam requirit & oblectantem familiaritatẽ. Plin. panegyr. c. 49. m. de Traiano*: Non tibi semper in medio cibus, mensaque communis? non ex conuictu nostro mutua voluptas? non prouocas reddisque sermones? *&c. A Gracis obiectam pro magno conuicio μονοφαγίαν, arguit illud Ameipsiæ apud Athenæum lib. 1. pag. 8. e.*

Ἐρῶ ἐς κόρακας μονοφάγε καὶ τοιχωρύχε:
Abi in malam rem, soli-epulo, & effractarie.

Vide Casaubon. in Athenæum lib. 2. c. 8. eo in Histor. Aug. in fine Marci Antonini, pag. 80. Contra principes soli-epulones disserit egregie Piccart. obseru. 17. cap. 6. Adde Gruteri discurs. in Tacit. part. 2. p. 18.

f. g) *De hoc facto explicatius S. Aur. Victor.* Amplissimi ordinis duo cum aduersus eum coniurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuit primo: post deductos in spectaculum, circa se vtrimque assidere iussit: petitoque ex industria mirmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri commisit: quibus perculsis, & constantiam mirantibus, dixit: videtisne, potestates fato dari? &c. *Huic prope geminum est, quod refert ex Dione*

Xiphi-

Xiphilinus panegyr. 24. de Imp. Nerua, qui & ipse Calpurnium aliosque coniurationis compertos, sed rem emanasse nescios, in spectaculo iuxta se collocauit, iisque gladios tradidit, in speciem quidem vti pro more diiudicarent, an satis acuti essent: reuera vt ostenderet, &c. Ex quibus hæc duo colligere licet: primum, fuisse moris, in spectaculis gladiatorum, priusquam paria committerentur, vt pugnaturorum ſica siue gladii, Munerario seu Editori ostenderentur, explorandi causſa, & an satis acuti essent. Id quod ex his ipsis locis primus obseruauit Lipsius Saturn. 2. 6. 19. & in excurſ. G. ad lib. 3. Annal. Taciti. Deinde Ornamenta *dici pugnantium arma, (die rüſtung) & hic quidem speciatim ipsos mirmillionum gladios. Id pridem etiam notauit magnus ille Lipsius Saturn. 2. cap. 17. ad quæ, si placet, hæc addantur autorum loca Senec. epiſt. 14.* Ars ei conſtat, qui per ornamenta percuſſus eſt: *id eſt, per ipſa arma. Sic* ornare, *eſt, armare. Liuius 29. cap. 1.* Diem iis, qua equis armisque inſtructi ornatique adeſſent, edicit. *Tacit. 5. Hiſt. 22.* pauci ornati militariter. *Idem in Germ. cap. 13.* ſcuto frameaque iuuenem ornant. *Cicero pro Cacin.* Armatos, ſi Latine loqui volumus, quos appellare vere poſſumus? Opinor eos, qui ſcutis telisque parati ornatique ſunt. *Idem 1. famil. epiſt. 10.* Exercitus ſatis probe ornatus auxiliis. *Huc pertinet & illud Iuſtiniani in proœm. Inſtit.* armis decoratam. *Imo generalius adhuc*, ornare, *quomodocunque inſtruere eſt.* Ornata iumenta *in l. 38. ff. de ædilic. edict. ſunt inſtrata, & franis ephippiisque inſtructa: quomodo &* Ornati aſini, *apud Catonem de re ruſtica, cap. 10. Lares floreis ſertis redimitos Tibullus* ornatos deos *appellat. Etiam in ſacrificiis vocabulo locus. Vt Tacit. 6. Annal. 37.* equum placando amni adornare. *Itemq; in comptu muliebri. Hinc* Ornatrices, *quæ nobis ſunt* auffmutzerin/ *dixit Macrobius 2. Satur 5. Noſter in Claudio, c. 40. Adeoq;* ornare *vernaculis illis,* herauß butzen/ rüſten/ mutzen/ außſtaffiren/ (*à Gall.* eſtoffer) *& in iumentis,* angſchirren/ *planißime reſpondet. Æque late patet Græcorum* σκευὴ *&* σκευάζειν. *Porro pro* Ornamenta *hic legunt alii, mſs. fide nixi.* ferramenta. *Sed id, meo quidem palato, gloſſema ſapit, non valde vſitatam hac notione vocem alia notiore declarantis.*

h) *Iſtorum coniuratorum.*

i) *Themate natalitio.*

k) *Torrentiani codicis hanc lectionem in contextum admiſit Caſaubonus. Sed non ineptior codicis Vrſini lectio*, venturum quoque: ſed ab alio.

l) *Domitianum.*

m) *Aperte.*

n) *Ad defectionem.*

o) Seponere *alias est remouere, procul ponere. Vt Propert. 1. eleg.* 20. sepositus fons. *Martial. spectac.* 3. seposita gens. *Hic autem peculiariter est, honesta aliqua negotii specie quasi relegare, adeoq; paullo minus quam in exilium mittere. Noster Augusto, c.* 65. Agrippam ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit seposuitque Surrentum. *Ausonius Professore* 17.

Dum Constantini fratres opulenta Tolosa
Exilii specie sepositos cohibet.

Tacitus ita sæpe. Vt 4. *Annal.* 44. L. Antonium admodum adolescentulum seposuit Augustus in ciuitatem Massiliensem, vbi specie studiorum, nomen exilii tegeretur. *Item* 1. *Histor.* 13. *Nero Othonem sibi* suspectum in prouinciam Lusitaniam specie legationis sposuit. (*Quod ipsum pene totidem verbis in Othone Noster cap.* 3. sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.) *Iterum* 1. *Hist.* 88. Sepositus Dolabella in coloniam Auinatem. *Eandem vim habet*, amoliri. *Tacit.* 2. *Annal.* 42. Honoris specie amolitur iuuenem (*Germanicum*) Tiberius. *Idem autor* 1. *Hist.* 21. exilii honorem scite vocat: *Zonaras* κατεσχηματισμένην εὐπροσώπως ὑπερορίαν, relegationem specioso titulo obumbratam; *de qua Gruterus dissert. ad Tacit. part.* 2. *pag.* 124. *& seqq.*

CAP. X.

Inter hæc [a] morte præuentus est, maiore hominum 1.
damno quam suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine, 2.
populo coram, [b] vbertim fleuerat, Sabinos petit aliquanto
tristior, quod sacrificanti [c] hostia aufugerat, quodque [d] tem-
pestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim [e] man- 3.
sionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, su-
spexisse dicitur dimotis [f] plagulis cœlum: multumque con-
questus. *Eripi sibi vitam immerenti: neque enim exstare vllum suum factum pænitendum, excepto dumtaxat vno*, [g] id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile
succurit. Quidam opinantur [h] consuetudiuem recordatum 4.
quam

quam cum fratris vxore habuerit. Sed nullam habuisse persancte Domitia iurabat: haud negatura si qua omnino fuisset,[i] immo etiam gloriatura: quod illi promptissimum erat in omnibus probris.

a) *Sua, an violenta? Id non satis ex autore liquet. Sed nec alii consentiunt. Philostratus lib. 6. de vita Apollonii, monitum Titum scribit ab Apollonio, vt ab his sibi caueret, qui essent propinquissimi: necatumque esse eum à Domitiano, veneno leporis marini propinato, quo Neronem quoque tradunt multos in conuiuiis sustulisse. Eadem Tzetzes in. versib. politicis, chil. 6. hist. 43. & Glycas in Annalibus, pag. 334. Xiphilinus ex Dione refert ista*: Fama est, fratrem Tito mortem attulisse, præsertim quod ei insidias ante parauerat: alii morbo extinctum tradunt. Quum enim adhuc respiraret, possetque forsan conualescere, Domitianus ipsum in arcam plenam niuis coniecit, quo celerius moreretur. *Plutarchus sub initium præceptorũ tuendæ sanitatis, intempestiuo balnei vsu scribit extinctum. Iudæi, credo quod ob euersam Hierosolymam Tito irascerentur, portentoso figmento, muscam in eius cerebrum ingressam perhibent, vnde contabuerit perieritque: quod notat in animaduersionibus ad Eusebium pag. 185. Scaliger.*

b) *Titi* χρηστότης ἔμφυτος, *innata bonitas, etiam hoc indicio se prodidit.* ---- ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες: *Viri boni ad lacrymandum faciles, ait poëta.*

c) *De hoc omine diximus ad Suet. Cæs. c. 59, 2. a.*

d) *Tonitrua tempestate serena Xenophonti Hell. 7. pag. 485, 16. sunt* ἐξ αἰθρίας βρονταὶ: *quæ hic inter omina infausta referuntur. At Xenophon ibidem & alii pro læto felicique auspicio obseruarunt. Notum illud Ennianum apud Ciceronem lib. 2. de diuinat. c. 39.*

Cum tonuit læuum bene tempestate serena.

Sic inter omina Imperii Antonini Pii, Capitolinus scribit in illius vita, c. 3. fulgur cœlo sereno sine noxa in eius domum venisse. *Nimirum effato Plinii 28. c. 2.* vires ostentorum in nostra potestate sunt: ac prout quæque accepta sint, ita valent. *Vel potius animi sollicitudine suspensi vitium id est, vt quæuis etiam fortuita ac naturalia in prodigium accipiat. Seneca certe lib. 1. Natural. quæst. cap. 1. ad finem, & lib. 2. cap. 18. naturali ratione fieri docet, vt aliquando sereno quoque cœlo tonet.*

a) *Mansiones sunt habitationes, ad quas viatores interuentu noctis se recipiunt* (außspann.) *Patet ex Plin. 12. c. 14 Iustini: 13,8,5. & Lampridii Alexandro Seuero cap. 48.* Ἀλλαγὰς *vel Mutationes posterior ætas appellauit. Hinc* Mansionarius *apud Hincmarum, qui Græcobarbare* διεγγυαμονὰς, *quasi* τὰς μονὰς, *mansiones dirigens: nobis* ein Furirer / *metator.*

f) *Lectica velo sine linteo tegebantur, quod dimouere licebat, seu adducere, pro voluntate vehentis. Lipsius 1. Elect. 19. Eiusmodi vela, lectica fenestris oppansa,* Plagulas *hic appellat Autor. Nam male codd. alii,* pallulis, pellibus, paludamentis, *legunt. Nonius Marcellinus cap. 14.* Plagæ sunt grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam sindonem dicimus: (*hinc ortum nostrum* Plahen) quarum diminutiuum est Plagulæ.

g) *Excusat eum Ausonius in Cæsaribus:*

Vnum, dixisti moriens, te crimen habere:
Sed nulli de te, nec tibi, credidimus.

Valde probabilis est, ac Dioni quoque (Xiphil. 229.) probata eorum coniectura qui putant, id pœnituisse Titum, quod Domitianum fratrem, à quo certo sciebat sibi insidias parari, non interfecisset, sed id ab eo pati maluisset: & quod traderet Imperium Romanum tali Viro qualem Domitianum fuisse constat.

Sane ius fasque esse, vt præueniamus eos, qui nocere possunt, quique, vt ait Faustina (Vulc. Gallican. in Auid. Cass. cap. 9.) nisi opprimuntur, opprimunt; *id bonis rationibus docet cum Arn. Clapmar. lib. 4. arcan. cap. 10. tum præcipue Alb. Gentilis lib. 1. de iure belli, cap. 14. Quorum dicta confirmat & illa vox Legatorum Coryæorum apud Thucydidem lib. 1. pag. 24.* Δεῖ προπολεμεῖν μᾶλλον, ἢ ἀντεπιβουλεύειν: *& vero Niceph. Gregoras lib. 5. cap. 5. de Palæologo, Lachanæ cædem procurante:* Oportet eos, *inquit*, qui citra periculum viuere velint, anteuertere, & occurrere malis impendentibus. Et si in præsentia crescentis plantæ radicem facile præcidere possis, non est cunctandum, nec expectandum vt acceptam iniuriam cum periculo vleiscaris, (*& quanto minus, vt occisus ne possis quidem vlcisci?*) cum ad uersarii conatus opprimere liceat. *Huc pertinet oratio Antonini Caracalla apud Herodianum lib. 4. pag. 93. Adde dicta ad Suet. Cæs. c. 57, 8. a*

h) *Adulterium cum* Domitiani *fratris vxore Domitia.*

i) *Eo scilicet ingenio sunt homines ad flagitia proiecti; dedecore suo non minus ac egregio aliquo facinore delelectantur glorianturque.* Nolunt solita peccare, quibus peccandi præmium infamia est, *ait optimus præceptor Lu-*

ptor Imperatoris peßimi, epiſt. cap. 122. *f. Tale* Trionis ingenium, auidum famæ malæ. *Tacit* 2. *Annal.* 28. *Tale* Meſſalinæ, *fœminarum impudiciſſimæ, quæ adultero, viuente adhuc marito, palam nubere verita non eſt*, ob magnitudinem infamiæ; cuius apud prodigos nouiſſima voluptas eſt. *Idem* 11. *Annal.* 26. *Tale denique* Polemonis, perditæ luxuriæ Athenis adoleſcentis: neque illecebris eius tantum, ſed ipſa infamia gaudentis. *Val. Max. lib.* 6. *cap.* 9. *Ergo poſthac cum exceptione credamus dictis Quintiliani*, 3. *cap.* 8. Nemo tam eſt malus, vt malus videri velit: *itemque Senecæ, epiſt.* 97. Omnes peccata diſſimulant: & quamuis fæliciter ceſſerint, fructu illorum vtuntur, ipſa ſubducunt: *& D. Auguſtini, de ciuit, Dei* 14. *cap.* 18. Ipſi turpes, licet turpitudinis ſint amatores, oſtentatores eſſe non audent.

CAP. XI.

Exceſſit [a] in eadem qua pater villa: Idib. Septembris, poſt biennium, ac menſes duos, diesque XX. quam ſucceſſerat patri, [b] altero & quadrageſimo ætatis anno. Quod vt palam factum eſt, non ſecus atque in domeſtico luctu mærentibus publice cunctis, ſenatus prius quam edicto conuocaretur, ad curiam [c] cucurrit: obſeratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, [d] laudesque congeſſit, quantas ne viuo quidem vmquam atque præſenti.

a) *Cutylias accipe, ac Reatina rura in Sabinis, vbi mortuum Veſpaſianum patrem, tradit in eo Noſter cap.* 24.

b) *Climacterico hebdomatico ſexto. De quod genus annis plura diximus ad Suet. Cæſ. c.* 88, 1. *a. Vide ſi tanti eſt.*

c) *In Palatinis Codd. eſſe*, concurrit, *monet Gruterus: quod haud dubie rectius eſt.* Nam cucurriſſe *Senatores, quis credat?* Concurrere *autem, vt &* confluere, *Romane loquentes etiam de iis vſurpant, qui βάδλω, eundo, conueniunt frequentes. Ariſtoteles lib.* 4. *Ethic. cap.* 3. *Magnanimo tribuit inter alia κίνησιν βραδεῖαν, inceſſum tardum. Ac demus hoc affectui Senatorum, vt ad curiam iuerint accelerato gradu, ſiue, vt Plutarchus orat.* 2. *de fort. Alex. loquitur,* δᾶττον ἢ βάδλω, (*Gall.* plus vite que le pas:) *certe ſine Senatoriæ grauitatis iactura currere non potuerunt.*

d) *Enſe-*

d) *Eusebii monitum aureum est apud Stobæum serm.* 44. Boni Principis hoc vnum proprium est lucrum, & instar infinitorum aliorum, omnia sic facere, vt & in ipso Imperii tempore, & POST ID, Iustitiæ ac bonorum omnium à subditis testimonium habeat. *Nec aliter Tacitus 4. Annal,* 38. Cætera, *inquit*, Principibus statim adesse: vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: vt, quandocunque concesserint, (*obierint*) cum laude & bonis recordationibus posteri facta atque famam nominis eorum prosequantur. *Nam viuorum quidem Principum laudes*, vel necessitate expressæ, vel verecundia, *videri queunt, vt loquitur Noster in vita Augusti, cap.* 57. *posteritatis autem iudicia libera sunt*: nec potest aboleri vox populi, & conscientia generis humani. *Tacit. Agr. cap.* 2. Secordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis æui memoriam. *Idem* 4. *Annal.* 35. Nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. *Plin. panegyr. cap.* 53. *Qua vel vna ratio generosos, & Venusini verbo*, laudis avaros *Principes à male consultis abstrahere debet, & eos impellere, vt ad exemplum Iuliani A. de quo Cl. Mamertin. panegyr. cap.* 31. immortalitatis amore flagrent: vt dirigant omnes opes & cogitationes ad memoriam posteritatis æternam: atque his maxime seruiant iudicibus, qui de rebus gestis sine odio & gratia venturis sæculis iudicabunt. Non potest quidquam abiectum & humile (*addo, nec asperum & crudele*) cogitare, qui scit, de se semper loquendum. *Quisquis es, Princeps, audi sis hæc non modo, sed & ausculta, patriæ bono, & tuo.*

FINIS.

Digitized by Google